image
not
available

LAKEMACHERI
ANTIQUIT.
GRÆC SACRÆ

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
B
69
NAPOLI

LAKEMACHERI
ANTIQUIT.
GRÆC. SACRÆ.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
B
69
NAPOLI

Digitized by Goog

7-45.
LVIII
B
69

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
B
69
NAPOLI

Digitized by Google

Illustrissimo Domino,
L. B. de Münchhausen,
cum demiss. mentis significatione
mittit auctor.

JO. GOTHOFR. LAKEMACHERI

GR. ET ORIENT. LINGV. PROF. ORD.

ANTIQVITATES GRÆCORVM SACRÆ.



B. R. NEAPOLIS

HELMSTADII

IMPENSIS CHRIST. FRIED. WEYGANDI

MDCCXXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PRopoſitum mihi hac ſcriptione fuit librum aliquem uſibus accommodum in manus tradere cum iis, qui in academiis, duce præceptore quodam, notitiam harum

antiquitatum comparare ſtudent, tum illis quoque, qui absque magiſtri ope earundem conſectantur ſcientiam. Quocirca cavendum mihi eſſe duxi, ne vel brevis, vel copioſus nimis eſſem; quorum hoc cum acroaſeos academicæ rationibus minus congruere, illud fraudi futurum videbatur expoſitore vivo non utentibus. Abſtinuiſſem profecto ab hac opera, niſi eorum in numero librorum, quibus res Græcorum antiquæ exponuntur, deſiderari adhuc credidiſſem talem, quem in uſum illum, quem dixi, geminum convertere liceat commode. Dedit quidem nobis Lambertus Bos, vir Græce doctiſſimus, *antiquitatum Græcarum, præcipue Atticarum, deſcriptionem*, a) ſed eam adeo brevem,

a) Edita hæc eſt, ſine auctoris nomine primum Frane-

vem, ut ne recitationibus quidem inſervire poſſit academicis, niſi tempus nimis multum, ad calamum dictando ea, quibus partim illuſtretur, partim ſuppleatur libellus, decretum ſit conſumere. Copioſior quidem eſt Franc. Rouſi, Angli, *Archæologia Attica*; b) at complu- ribus tamen non exigui momenti in rebus juſto parcior; e. c. in expoſitione de templis, nec non illis in capitibus, quibus de ſacerdotibus agitur, de ſacrificiis, de feſtis. De regione vero Græcorum nihil prorſus apud eum reperias. Everhardi

 Fei-

nequ. 1714. ſecundum Bernæ & Francof. 1716. tertium Hafniæ 1721, ac poſtremo Francof. 1730. ſimul cum Santorocci *Breviario antiquit. Rom.*

b) Publicata hæc eſt decies amplius lingua Anglica poſt edit. primam Lond. 1637, 4. Vid. Jo. Alb. Fabricii *Bibliogr. antiquar.* c. II. p. 35. Ego verſione utor Belgica, quam confecit Henr. van Rhenen, ediditque Amſtel. 1688. 8.

Feithii *Antiquitates Homericæ* c) eleganter, nervoſe ſolideque inſtituta Græcorum vetuſta ut in aliis, ita in ſacris quoque repræſentant; at non niſi ea, quod ipſe etiam titulus prodit, quorum mentionem Homerus injecit: quibus cumulus poſtea acceſſit prope infinitus. Nemo igitur e. c. tractationem de oraculis, de feſtis d) & de ludis ſacris ſolemnibus in iis quærat. Addi tamen potuiſſet Græciæ urbiumque ejus, antiquiſſimo jam tum ævo claritate inſignium, deſcriptio, qualis quidem peti poteſt ex Homero. Porro

c) Prodierunt poſt auctoris mortem Lugd. Bat. 1677. 12. Inſertæ deinceps ſunt tomo ſexto *Theſauri Gronoviani*, & ſeparatim denuo editæ Amſtel. 1726. 8.

d) Nam quæ de Dodonæo Pythioque oraculis habentur l. I. c. XVI, & de feſtis generatim c. X. perpauca ſunt.

ro magni quidem fiunt a multis Jo. Phil. Pfeifferi *Antiquitates Græcæ gentiles*; e) majoris vero a plerisque Jo. Potteri, Angli doctiſſimi, *Archæologia Græca.* f) Sed de Pfeifferiano opere facile aſſentior auctoris genero, Chriſtiano de Helwich, qui illud „mancum eſſe judi„cavit & mutilum: multa in eo o-

e) In lucem emiſſæ Regiom. et Lipſ. 1688, recuſæ 1708. 4.

f) Bis edita eſt Anglice Oxon. 1699 & 1706, 2. Vol. 8. Latine vero translata Lugd. Bat. 1702 fol. quæ editio tomo XII Theſ. Gronov. adjuncta eſt. Nunciarunt haud ita pridem *Nova litteraria*, quæ lingua vernacula prodeunt Lipſiæ, (a. 1734. p. 25.) Petrum Baſſagliam, bibliopolam Venetum, in eo nunc eſſe, ut novam apparet editionem operis Latinam, eamque ab auctore ipſo reviſam, emendatam auctamque, tomis duobus, 4. maj. Vidimus ſpecimen aliquod a bibliopola Italo ad noſtrum transmiſſum. Ea editio, quam Jo. Ge. Eccardus in *Monatl. Auszügen* a. 1700. m. Majo, p. 241. lingua Latina atque Belgica adornatam, curaturum nunciat Petrum van der Aa, neſcio an lucem aſpexerit.

„miſſa eſſe, alia vix levi brachio ta-„cta, alia a recentioribus longe ma-„jori diligentia exculta. - - - De „oraculis quæ tradita ſunt, non ſatis „eſſe examinata, aut falſitatis con-„vinci poſſe. - - Porro non exa-„cte obſervatam temporum diffe-„rentiam, ac ætates Græciæ varias. „Præterea modum exceſſiſſe aucto-„rem in allegandis Lexicis„ cet. g) Mancus certe & mutilus reputatur merito hujus generis liber, in quo de regione Græcorum, de urbibus nobilioribus, de Diis, de ſacrorum miniſtris, de luſtrationibus, de decimis nonnulliſque aliis, ad antiquitates haſce utique pertinentibus, vel nihil prorſus, vel parum certe per-

g) Vid. *Vitas ſelectas quorundam erudit.* Vratislav. 1711. publicatas, & in *Actis erudit.* Lipſ. a. 1712. p. 131. ſqq. recenſitas.

perſcriptum extat. Ad Potterum vero quod attinet, h) equidem laudibus operis, ſane præſtantis, ſummaque induſtria a Præſule Venerando longeque eruditiſſimo elaborati, nihil volo detractum: ſed eſt tamen, quod deſiderari poſſe videatur in parte ſaltem illa, quæ res Græcorum ſacras tractat. Plane enim omiſit auctor de regione Græcorum dicere, itemque de Diis, de primitiis & de votis. De templis vero perſoniſque ſacris commentatus quæ eſt, pauciora ſunt, quam quæ ad percipiendam accuratam eorundem notitiam ſufficiant. Ac-

h) Animadverti, Potterum nonnullis in capitibus preſſo pede ſecutum eſſe Rouſium. Ita v. c. in iis, quibus de jurejurando diſſerit & de divinatione, ſumſiſſe videtur pleraque ex Rouſio. Quod eo minus vitio verti ei debet, quo eſt manifeſtius, Rouſium his in rebus declarandis ſtudium quoddam poſuiſſe præcipuum.

ceдit, quod multa paſſim iis dicuntur auctoritatibus, quæ ad rem, de qua agitur, probandam vix cenſeri poſſunt ſatis idoneæ. Vſus ſi ſpectentur academici, neque Pfeifferi neque Potteri liber aptus iis eſt, propter molem. Quæ quum ita ſint, non putavi actum me acturum, ſi de antiquitatibus Græcorum ſacris novam ſuſciperem commentationem. In hac igitur id cumprimis dedi operam, ut Græciæ, urbiumque hujus principum, templorum item & perſonarum ſacrarum, pleniorem & exactiorem, quam a ceteris antiquitatum Græcarum ſcriptoribus factum videbam, ſubminiſtrarem notitiam. In rebus diſponendis rationem ſervavi eam, quam in antiquitatibus Hebræorum ſacris ſecutus eſt Hadr. Relandus. nam ea viſa mihi eſt aptiſſi-

tiſſima. Allaboravi etiam, ejusdem auctoris exemplo, ut quæ ponerem teſtimoniis munirem ſcriptorum veterum talium, quorum non reprobari poſſent fides & auctoritas. Equidem minime ſprevi, ut cuivis facile apparebit, recentiores, (faſtidioſi enim hoc fuiſſet & arrogantis hominis) ſed quæ ab illis vel ex inſtituto, vel data etiam occaſione obſervata ex hoc genere reperi, in uſus meos cupide contuli; at non admiſi tamen facile quidquam, priusquam cum fontibus, unde derivatum eſſet, contuliſſem, & ad horum normam exegiſſem. De locis auctorum veterum, in teſtimonium vocatorum, dubitavi initio, ipſane adferrem, an tantum indicarem. Vicit autem dubitationem meam hæc potiſſimum conſideratio: poſterius ſi fieret, quum evitari vix poſſet, quin

quin menda aliqua in numeris librorum, capitum aut paginarum irreperent, difficillimam interdum redditum iri operam evolvere loca forte cupientibus; contra autem fore, ut multum illa levaretur locis ipſis appoſitis. Deinde nec ad manus ſemper futuros credidi auctores excitatos lectoribus, quorum tamen nonnunquam interfore putavi, ut verba auctorum ipſa poſſint expendere. Verſiones locorum Græcorum magnam quidem partem tales, quales extant, retinui; at ſæpius tamen vel plane novas confeci, (id quod in iis maxime, quæ ex Platone & Porphyrio, qui ambo ab interpretibus habiti ſunt peſſime, afferenda erant, non raro fieri oportuit) vel, ſicubi opus fuit, emendavi. Rationes rituum, easque ex opinionibus petitas gentis, paſſim qui-

quidem in medium protuli, ſed protuliſſem tamen crebrius, niſi viſa ea res fuiſſet disquiſitionem interdum poſcere longiorem, quam quæ meo inſtituto conveniret, ac niſi memor fuiſſem ſubinde ejus conſilii, quo recitationibus liber deſtinatus erat academicis, quæ occaſionem ubertim de illis diſſerendi ſuppeditant ampliſſimam. Eædem fere cauſſæ prohibuerunt, quominus frequentius, quam feci, rituum cærimoniarumque Græcarum comparationem cum Romanis, Judaicis, aut illis aliarum gentium, olim celebrium, inſtituerim. Præſtari utrumque majori in opere poterit commodius. Quod reliquum eſt, rogatos humaniter volo antiquitatis Græcæ peritos, ut judicium de labore hocce qualicunque meo ferant libere, meque de iis, quæ deſiderari

in

in illo poſſe exiſtimaverint, amice, ſive publice ſive privatim, admoneant. Addam, detraham, emendabo poſthac promte, quicquid vel omiſſum, vel ſupervacue poſitum, vel erratum denique fuiſſe intellexero. Judicent etiam, quæſo, an operæ pretium facturus videar, ſi *antiquitates* Græcorum *civiles*, *militares*, *domeſticas* & *litterarias* ſimili ratione elaborare inſtituam. Sacras antiquitates ſeparatim prodire juſſi, quoniam illas potiſſimum uſui futuras judicavi ſacrarum litterarum in hac academia cultoribus, quorum ſtudiis ut præcipue conſulere annitar, gemini, quod gero, muneris ratio a me flagitat.

ELENCHUS CAPITUM.

PARS I.
DE LOCIS SACRIS.

Caput I. De Græcorum regione.
C. II. De urbe Athenarum.
C. III. De Sparta, Corintho atque Thebis.
C. IV. De Græcorum Diis, Dæmonibus ac Heroibus.
C. V. De agris lucisque, Deorum honori atque cultui conſecratis.
C. VI. De templis.
C. VII. De ſimulacris, aris, menſis ſacris & donariis.

PARS II.
DE PERSONIS SACRIS.

C. I. De ſacerdotibus.
C. II. De miniſtris ſacerdotum.
C. III. De initiantibus, expiantibus, vatibus & divinis.

PARS III.
DE REBUS RITIBUSQUE SACRIS.

C. I. De ſacrificiis.
C. II. De precibus, diris, votis, hymnis & jurejurando.
C. III. De luſtrationibus.

C.IV. De oraculis generatim.
C.V. De oraculo Dodonæo.
C.VI. De oraculo Delphico.
C.VII. De oraculo Trophonii.
C.VIII. De Amphiarai, Colophonio, Branchidarum Delioque oraculis.
C.IX. De divinatione.
C.X. De ominibus.

PARS IV.
DE TEMPORIBVS SACRIS.

C.I. De tempore in genere, ſive de annis, menſibus & diebus.
C.II. De feſtis.
C.III. De exercitiis corporis apud Græcos uſitatis.
C.IV. De ludis Olympicis.
C.V. De ludis Pythiis.
C.VI. De ludis Nemeis.
C.VII. De ludis Iſthmicis.

JO. GOTHOFR. LAKEMACHERI
ANTIQVITATES GRÆCORVM SACRÆ.

PROLEGOMENA.

§. I.

PEr *antiquitates Græcorum ſacras* notitiam deſignamus cum Deorum ipſorum, a Græcis quondam in honore atque veneratione habitorum, tum eorum omnium, quæ ad cultum Diis præſtandum, & ad mentem eorundem voluntatemque intelligendam pertinere exiſtimavit gens Græ- *Antiquitates Gr. ſacras quid vocemus.*

corum priſca, ſuperſtitionis tenebras nondum eluctata; h.e. locorum, perſonarum, rituum, cærimoniarum, ſolennitatum atque inſtitutorum quorumcunque, quibus uſi Græci antiqui, & in his præſertim Attici, fama præ ceteris nobilitati, ut Numen rite colerent placarentque, nutum conſiliumque illius explorarent, ac in univerſum officia religionis omnia exſequerentur.

§. II.

Vtilitas harum antiquit. prima. Vtilitatem vero notitia iſta nobis affert multiplicem, eamque plane admirabilem. Primo enim juvat nos longe plurimum ad legendos exquiſita quadam cum jucunditate, & cum fructu egregio, auctores veteres, Latinos juxta atque Græcos, quos accurate intelligi rei litterariæ multum ſane intereſt, quum ex hoc fonte ſapientia humana omnis, & ex parte etiam divina, promanaverit, & ad nos ſit derivata. Nam quis eſt, qui ignorare poſſit, ſi vel obiter inſpexerit, ſcriptores illos quæ ad Græciæ vetuſtæ pertinent religionem, e.c. certa Deorum, ædium ſacrarum, ſacer-

cerdotum, ſacrificiorum, luſtrationum, divinationum, oraculorum ſolennitatumque genera, creberrime commemorare; commemorare vero ſubinde ita, ut breviter modo, imo interdum alludendo tantum attingant, omiſſa rerum, in vulgus tunc notarum, expoſitione? Itaque ſperare nemo poterit, fore, ut in illis lectitandis pede progredi poſſit inoffenſo, niſi cognitionem rerum earundem uberiorem aliunde ſibi jam comparaverit. Vt nihil nunc dicamus de frequenter obviis adagiis, ex uſu rerum ſacrarum petitis; e. c. *ἄκαπνος θυσία, ſacrificium ſine fumo*, *νηφάλιος θυσία, ſacrificium jejunum*, *ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίειν, ſacra non immolata devorare*: quæ profecto nemo recte capiet, qui illa, quam diximus, notitia ſit deſtitutus.

§. III.

Vſum alterum lector capere poteſt & interpres codicis ſacri, fœderis utriusque. Occurrunt enim in hoc non pauca, quæ absque ritus Græci ſcientia non poſſunt non obſcura eſſe. Tale e. c. eſt, cum Simſon dici- *Vtilitas altera.*

tur a) *percuſſiſſe* Philiſtæos, *crure femori impacto.* Locutio, nimirum, hæc eſt proverbialis, e moribus deſumta Græcorum, ex qua gente, quod alibi b) docuimus, pars Philiſtæorum magna originem duxit. Apud Græcos enim qui lucta, in ludis etiam ſacris ſuſcipi ſolita, decertantes adverſarium proſtraverant, crure corpori femorive ejus impoſito ſignum dabant, ſe victum tenere adverſarium. Itaque Simſonem Philiſtæos, qui luctæ uſum, Græcorum e regionibus, in Canaanis oras importaſſe utique videntur, colluctatoris alicujus robuſti inſtar, proſtraviſſe ſignificatur. Porro Eſaias, c) *menſæ τῇ Gad inſtructæ*, *potionisque τῇ Meni impletæ*, mentionem faciens, in animo procul dubio habuit illam Græcorum conſuetudinem, qua τῇ Ἑκάτῃ, quæ & Μήνη dicebatur, quovis novilunio menſam adornabant, cibis & libamine mixto refertam.

a) Judic. XV, 8.
b) *Obſervat. philolog.* p. II. Obſ. 2. qua de *Crethi* & *Plethi* agitur.
c) Cap. LXV, v. 11.

tam. d) Sic & Ezechiel, divinus vates, cum repræſentatas ſibi fuiſſe ait e) feminas, Tammuſum in templo Hieroſolymitano deflentes, ad Adoniorum reſpicit ſolennitatem, Græcis uſitatam, qua feminæ, geſtu habituque lugubri, Adonidis, Veneri tantopere adamati, (hunc ſcilicet *Tammus* (תמוז) vocabant orientales) deplorabant interitum.

§. IV.

In novi autem fœderis tabulis longe etiam plura ejus extant generis, quæ aliunde, quam ex antiqua Græcorum religione, illuſtrari nequeunt: Quem uſum tertium ponimus. Afferre liceat ex magna copia exemplum unum alterumve, & ex eorum quidem numero, quæ non meminimus obſervata jam eſſe aliis. Ita Jeſum Chriſtum Paullus dignitate atque majeſtate præditum eſſe ait f) tanta, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, *ut*

Vtilitas tertia.

d) Pluribus hoc declaratum demonſtratumque ivimus in *Obſervat. Phil.* p. IV. Obſ. II.

e) Cap. VIII, 14.

f) Phil. II, 9.

ut in nomine Jeſu omne ſe flectat genu cœleſtium, & terreſtrium atque inferorum. Quibus verbis veri nobis videtur ſimillimum ad triplex illud reſpici Numinum genus, in quod agmen Deorum univerſum diſtinguere ſolebant Græci; ſic ut docere voluerit Apoſtolus, quæcunque Numina colere in more habeant Græci, ea omnia Jeſu Chriſto longe eſſe inferiora. g) Porro ſingulare illud viſum eſt, quod Deum in epiſtola ad Timotheum priori ter, h) & in illa ad Titum itidem ter i) σωτῆρα, *ſervatorem*, appellat idem Chriſti legatus. Qua appellatione quum non utatur alibi, ratio utique ſubeſſe videtur peculiaris, quare his potiſſimum in epiſtolis eam uſurpaverit. Scilicet factum id eſſe ſuſpicamur propterea, ut Diis fictis Deum verum opponeret Paullus, atque ſignificaret, longe majori jure illum cognominari σωτῆρα, quam Dianam aut Jovem, quorum illam Epheſii,

g) Egimus hac de re pluribus in *Obſervat. phil.* p. VIII. obs. II.
h) Cap. I, v. 1. II, 3. IV, 10.
i) Cap. I. v. 3. II, 10. III, 4.

ſii maxime, quos inter degebat Timotheus, Σωτῆρας, *Soſpitæ*, hunc Cretenſes cumprimis, in quorum inſula tunc verſabatur Titus, Σωτῆρος, *Servatoris* k) titulo mactare pridem conſueviſſent. Denique non dubitamus, quin hac ad Timotheum admonitione: l) Σὺ δὲ, ὦ ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, ταῦτα φεῦγε, δίωκε δὲ δικαιοσύνην, κ. τ. λ. *Tu autem, vir Dei, fuge hæc, ſectare vero juſtitiam* &c. alluſerit Paullus ad curſores Græcorum gymnicos, qui a carceribus, ſive linea, unde currendi fiebat initium, quam velociſſime recedebant, ſic ut ab illis viderentur *fugere*; metam vero ut quam celerrime *aſſequerentur*, ſeu attingerent, omnem dabant operam. His igitur ut in fuga vitiorum, & in virtutis ſtudio, ſimilem ſeſe præbeat Timotheus, jubet Paullus. Argumento ſunt quæ præceptum hocce proxime ſubſequun-

k) V. quæ de cognomine hoc Dianæ atque Jovis ex nummis antiquis obſervarunt Ez. Spanhemius in *Obſervat. ad Callim.* p. 122. & 226, & du Choul dans la *Religion des anciens Romains*, p. 57. & 58.

l) 1. Tim. VI, 11.

quuntur verba, ἀγωνίζȣ cet. quæ apertiſſimum eſt, ex re petita eſſe athletica, argumento, inquam, hæc ſunt, expoſitionem iſtam ſua non deſtitui ratione.

§. V.

Vtilitas quarta. In *Patrum*, ſive Doctorum Eccleſiæ Chriſti antiquæ, monumentis verſandis operam ſi quis ponere inſtituat, næ is quoque experietur, quam neceſſaria ipſi ſit, quamque utilis antiquitatum, quas nunc commendamus, notitia. Fatebuntur id, credo, facile, qui e. c. Juſtini Martyris *ad Græcos cohortationem*, Clementis Alexandrini libros *Stromatum*, Origenis *adverſus Celſum* ſcriptum; Euſebii Pamphili *Præparationem Evangelicam*: Ex Latinis vero Tertulliani *adverſus gentes apologeticum*, ejusdem de *idolatria*, Minucii Felicis, Cypriani, Arnobii de argumento haud diſſimili; Lactantii de *falſa religione* cet. Auguſtini, *de civitate Dei*, et commentaria id genus alia diligenter volverit.

§. VI.

§. VI.

Exſiſtet denique utilitas ex antiquitatibus hiſce minime contemnenda, ſi ritus nonnullos Græcos cum ſimilibus quibusdam Judæorum atque Chriſtianorum contulerimus. Conducet enim comparatio iſta non parum ad perſpiciendam poſteriorum originem. Dubitari, ſcilicet, vix poteſt, quin cœtus Judæorum ab illo inde tempore, quo cum Græcis multum verſari cœpit, ritus complures Græcorum ex moribus adſciverit, atque ſuos fecerit. Sunto pro exemplo quinque illi, tabernaculorum ſolennitate adhibiti, quos in *Obſervat. philolog.* m) recenſuimus, cum ritibus Græcorum Bacchicis comparavimus, atque hinc profluxiſſe oſtendimus. Eſto etiam mos liberandi a vinculis captivum aliquem feſto paſchatos, quippe Græcis ſolennisſimo Thesmophoriorum feſto itidem uſurpatus, & ab his ad Judæos transla-

Vtilitas quinta.

m) P.I. Obſ. II. Adde & Obſ. III.

latus. n) Neque ſane in eccleſia Chriſtiana, illa præſertim, quæ pontifici paret Romano, cærimonias, ritus atque conſuetudines deſideres, origini adſcribendas plane eidem. Cujusmodi v. c. ſunt *aquæ luſtralis*, quam *benedictam* illi appellant, aſperſio, & *proceſſiones*, quæ vocantur, priſcis etiam Græcis, nomine πομπῶν haud infrequenter ſuſceptæ; conſuetudo item præficiendi regioni et civitati propemodum cuivis Sanctum aliquem peculiarem, tanquam Numen tutelare: qui mos, ſi pro Sanctis Deos ſubſtituas, Græcorum etiam genti fuit ſolenniſſimus. o)

§. VII.

Fontes & ſubſidia. *Fontes*, unde antiquitatum, de quibus agimus, haurienda eſt notitia, ſcriptores potiſſimum profani ſunt, Græci & Latini, quibus Patres etiam nonnulli adjungi debent, ii maxime, quos §. V. memoravimus. Cavendum

n) Pluribus hoc docuit oſtenditque Jo. Spencerus de *legibus Hebr. ritual.* l. IV. c. 7. p. 1127. edit. Cantabr. 1727.

o) Vide ſis *Obſ. phil.* p. IX. obſ. III, §. 6.

dum tamen hic illud maxime eſt, in quo non pauci adhuc peccarunt, ne ſcriptorum illorum loca atque teſtimonia ea, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinere videbuntur, latius quam fieri debebat, extendamus, ſic ut v. c. quæ certo tantum tempore locum obtinuere, vel reipublicæ uni aut civitati etiam alicui ſingulari, propria fuere inſtituta religionis, ritus & conſuetudines ſacræ, ea vel ad omnes ætates, vel ad gentem Græcorum univerſam referamus. Quæ recentiorum, e. c. *Franc. Rouſi, Everh. Feithii*, *Jo. Phil. Pfeifferi*, *Jo. Potteri, Petri Dametii, Pauli Chriſtiani Hæpfneri*, *Lamb. Boſſi*, et, qui primo loco nominandus erat, *Jac. Gronovii* (cujus ſtudio *Jo. Meurſii*, aliorumque quam plurimorum ſcripta, huc ſpectantia, in unum collecta, & Tomis XII. p) majoris formæ, Lugd. Bat. a. 1697-1702. denuo edita debemus,) induſtria ad ſtudium hocce attulit ſubſidia, ea more ſuo diligenter at-

p) *Theſauri antiquitatum Græcarum* titulum præferentibus.

atque accurate recenſuit vir celeberrimus, Jo. Alb. Fabricius. q)

§. VIII.

Tractationis partitio.

Tractationem hancce univerſam in partes tribuemus quatuor; quarum prima de *locis*, altera de *perſonis*, tertia de *rebus ritibusque*, quarta de *temporibus* Græcorum ſacris exponet. Præmittemus vero regionis, quam Græci olim incoluere, urbiumque in ea principum, aliqualem notitiam, quippe ad intelligentiam eorum, quæ dicentur, accuratiorem non parum profuturam. Exiſtimamus enim cum Nic. Cragio, r) *fieri non poſſe, quin cum locorum (quorum paſſim in ſequentibus neceſſario nobis facienda eſt mentio) ignoratione, rei ipſius aliqua obſcuritas ſit conjuncta.*

PARS I.

q) In *Bibliographia antiquar.* p. 33. ſqq.
r) De *Republ. Laced.* l. I. c. 1.

PARS I.

DE LOCIS SACRIS.

CAPVT I.

DE GRÆCORVM REGIONE.

§. I.

Regionis nomina.

NOminibus, quam deſcripturi ſumus, regionem appellatam reperimus variis. Eorum antiquiſſimum *Pelasgia* eſt, ex Pelasgis inditum, qui populus, magnus cum eſſet, univerſam olim Græcorum regionem opplevit, Herodoto, a) Thucydide b) &

a) Lib, II. c. 56. cf. l. I, 56, 57.
b) Lib. I. p. 3.

& Strabone c) teſtibus. Succeſſit illud *Græciæ*, incolæ certe Γραικοὶ dicti; d) nec dubitandum videtur, quin ipſum quoque γῆς Γραικῆς, vel Γραικίας vocabulum in uſu olim fuerit. Vnde enim, niſi hocce eodem ex nomine, ſuum *Græcia* efformaſſent Latini, litteras linguamque a Græcis mutuati? Neque vero aliunde repetendum nomen hoc exiſtimamus, quam ex urbe Boeotiæ antiqua atque nobili, Γραῖα (unde gentilia fiunt Γραῖος & Γραικὸς, *Grajus*, *Græcus*) quæ et Τάναγρα & Ταναγραῖα fuit nuncupata, circa quam pri-

c) *Geograph.* lib. V. p. 337. l. VII. p. 504. & l. XIII. p. 921. & 922. edit. Almelov.

d) Ariſtoteles *Meteor.* l. I. c. 14. Ὤκουν γὰρ οἱ Σέλλοι ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες. *Habitabant ibi*, (circa Dodonam) *Selli*, *& ii*, *qui tunc quidem Græci vocabantur*, *nunc vero Hellenes.* Auctor *epocharum Græcarum* marmoris Arundeliani lin. 10. & 11. apud Palmerium in *Exercitat.* ad p. 680. Ἕλληνες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι. *Hellenes nominati ſunt, qui prius Græci vocati fuerant.* Ceterum uſus nomine illo eſt Lycophron in ſuo carmine v. 532. Imo Alcman quoque & Sophocles, in *Paſtoribus*, Græcorum matres dixere Γραῖκας, obſervante Stephano Byzant. *de urbibus ac populis*, voce Γραικός.

primos Græcos incoluiſſe, haud obſcuris ex indiciis conſtat. e) Tandem vero Ἑλλάδος invaluit appellatio, quæ, cum urbis initio eſſet in Theſſalia, f) Homero etiam aliquoties memoratæ, g) mox, diffundentibus ſeſe habitatoribus, toti tributa fuit Theſſaliæ, de qua & Homerus vocem alicubi uſurpavit, h) ac poſtquam Theſſali, fines ſuos transgreſſi, in regionibus ad auſtrum ſitis, ad Iſthmum usque, ſedem magno numero fixiſſent, Græciæ extra Iſthmum omni; i) imo temporis

e) Thucyd. l. I. p. 9. Strabo *Geogr.* l. IX. p. 618. 619. Pauſanias in *Phoc.* c. 8. p. 816. Steph. Byzant. V. Τάναγρα & Euſtath. ad *Il.* II. v. 498. p. 201.

f) Inter Pharſalum & Melitæorum urbem. Dicæarchus in *Statu Græciæ* p. 21. ed Hudſon. Scholia in Hom. parva ad *Il.* II. v. 683. IX, v. 473. XVI, v. 595.

g) Locis modo cit.

h) *Iliad.* II. v. 684. IX. v. 395. ex interpretatione Apollodori apud Strab. *Geogr.* l. VIII. p. 568. & Ariſtarchi in Schol. parv. ad *Il.* IX. v. 395.

i) Sic ſumi videtur apud Homerum, hoc verſu, *Odyſſ.* IV, v. 726.

τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος.

Cujus gloria lata per Helladem & medium Argos.

Nam

ris ſucceſſu regioni tandem illi univerſæ, quæ inde a Macedonia ad mare usque illud, quod Peloponneſum ab auſtro alluit, extenditur. Quanquam apud ſequioris ætatis ſcriptores varia obſervatur ejus nominis acceptio, eaque modo latior, modo arctior. Homeri tempore uſitatum maxime fuit nomen Ἀχαιΐς, vel Ἀχαιΐς γαῖα, quo poeta ille ſæpius utitur de regione illa univerſa, ex qua gens Græcorum priſca ad expeditionem Trojanam confluxit. k)

§. II.

Termini. Terminata autem fuit Græcia, ſi Macedoniam, ſimul cum Illyrico Græcis colonis frequentato, nec non Epiro (quæ regiones ad Græciam antiquam interdum referuntur, quippe lingua Græca, & inſtitutis Græcis magnam partem uſæ) accenſam velis, ab occaſu mari partim Adriatico, partim Jonio; a ſeptentrione Illyrico Barbarico, Dardania, quam Hæmus, in-

Nam uti Argos ibi Peloponneſus eſt, ita Helladem commode de Græcia accipias reliqua.

k) V. *Il.* I, v. 254. & alibi paſſim.

ingens montium jugum, a Macedonia dividit, Thraciaque; ab ortu mari Ægæo; ab auſtro Jonio. Quod ſi vero Illyricum, Epirum atque Macedoniam, imo ipſam quoque Theſſaliam, utpote Macedoniæ tandem contributam, excludas, adeoque Græciam intelligas, ut vocari ſuevit, liberam, ſive Hellada propriam; fines erunt ad occaſum Epiri pars, cum mari Jonio; ad ſeptentrionem Theſſalia cum Macedonia; ad ortum & auſtrum iidem, quos antea poſuimus.

§. III.

Macedonia, Illyris Græca, Theſſalia & Epirus.

Complexa autem, quam modo definivimus, Græcia regiones eſt varias, *Macedoniam*, *Illyridem*, *Theſſaliam*, *Epirum* cet. quas, ſimul cum urbibus nobilioribus, ordine recenſere inſtituemus, facto a ſeptentrionalibus initio. Prima igitur *Macedonia* eſt, Pellam habens urbem principem, a ſinu Thermaico non adeo longe remotam, quo ſedem regiam, quæ Ædeſſæ fuerat antea, Philippus tranſtulit, Amyntæ filius. In *Illyride Græca* Epidamnus eminet, ſeu Dyrrhachium,

um, urbs maritima, cum Apollonia, quam magnam urbem & gravem appellat Cicero. l) *Theſſalia* in regiunculas diſtributa erat quatuor: Phthiotidem, in qua Phthia, Achillis patria, Eſtiæotidem, Theſſaliotidem, ſive Theſſaliam propriam, & Pelasgiotidem, ubi Lariſſa, urbs nobilis & potens, & Pharſalus, Pompeji clade inſignis. *Epiri* partes tres fuere: Chaonia, Thesprotia & Moloſſis. Hic Dodona, propter Jovis oraculum, memorabilis, in confiniis ſita Thesprotiæ & Moloſſitidis.

§. IV.

Græcia libera regiones.

Græcia libera, *Hellas* etiam *propria* dicta, ipſa quoque in regiones tributa fuit complures, quarum ſingulæ forma regiminis, legibus inſtitutisque uſæ ſunt peculiaribus. Prima, ſi ab occaſu incipiamus, *Acarnania* eſt, inter ſinum Ambracium & Acheloum fluvium; cujus Argos erat Amphilochicum, urbs nobilis. Adjacet, ad auſtrum fere, *Ætolia*, in qua Nau-

l) *Ppilippica* XI. p. 644. edit. Schrevel.

Naupactus & Tetrapolis Dorica. *Locridem* mons Parnaſſus in duas ſecat partes, quarum citeriorem, ſive occidentalem, Locri tenuere Ozolæ; in hac Amphiſſa, urbs primaria: ulteriorem vero Locri Epicnemidii, quorum Thermopylæ & Opus. *Phocis*, inter Boeotos & Locros. Hujus urbs maxima Elatea; clariſſima, ex Apollinis fano & oraculo, Delphi, in adſcenſu montis poſita, Græciæ, imo totius terrarum orbis, umbilicus credita. *Boeotia*, inter Atticam, Locridem atque Phocidem, in qua Thebæ, Tanagra, olim Græa, & Oropus memoratu dignæ. *Attica*, Boeotiæ ad auſtrum, Athenis, urbe totius Græciæ facile principe, ſuperbiit. Eleuſis, urbs Athenis ad occaſum poſita, ex ſacris ſuis valdopere nobilitata eſt. *Megaris*, ſive Megarenſium regio, Atticæ ab occaſu objacens, Megaram habuit urbem.

§. V.

Regiones modo recenſitas a *Peloponneſo* Iſthmus dividit. Tractus terræ anguſtus eſt, inter duo maria, la- *Peloponneſi regiones.*

tus, qua maxime extenſus eſt, ſtadia circiter XL. m) Alluit ab ortu ſinus Saronicus, ab occaſu Criſſæus. Regiones Peloponneſi VI. enumerat Pomponius Mela, n) *Argolidem*, *Achajam*, *Elidem*, *Meſſeniam*, *Laconicam* & *Arcadiam*. *Argolis*, juxta ſinum patens Saronicum, Argos oſtentabat, quæ omnibus olim Græciæ civitatibus antecelluit, o) arcibus inſtructa duabus. *Achajæ*, ad ſinum Criſſæum extenſæ, decus Corinthus erat, totius Græciæ lumen, ampla, dives, nitida, Cenchreis pro portu utens. Nemea quoque hic extitit, ludis ſolemnibus concelebrata. Achajæ ad auſtrum *Elis* erat, ſive *Elea*, in ora maritima, Caput regionis Elis urbs, vicinam habens Olympiam, ludis nobilem. Littus Peloponneſi occidentale reliquum *Meſſenia* occupabat, in qua Meſſena urbs princeps. Oppoſita ab

m) Murus certe, quem tempore belli Perſici inde ab ora Iſthmi occidentali ad littus usque oppoſitum duxerunt Peloponneſii, ſtadia longus fuit XL. Diod. Sic. *Bibl. hiſt.* l. XI. c. 16. cf. de Iſthmo Pauſan. in *Corinth*, c. I.

n) Lib. II. p. m. 50.

o) Herodotus l. I. c. 1.

ab auſtro *Laconica*, cujus gloria Sparta; Lacedæmon quoque nominata, habitatorum virtute, toti Græciæ, imo exteris quoque, formidabili, ſummam adepta claritatem. *Arcadiam* Peloponneſiacæ gentes undique, uti Mela loquitur, incingebant, ſitam quippe in mediterraneis. Vrbes ejus clariores Tegea, & Megalopolis, paucis menſibus poſt pugnam Leuctricam condita.

§. VI.

Quum ad notitiam regionis alicujus accuratiorem non parum conferat, ſi ingenium & naturam ſoli, nec minus, quibus rigetur fluviis, quibus lacubus, montibus, vallibus, campisque diſtinguatur, habeamus cognitum; conducibile, credo, inſtituto noſtro erit, ut his quoque ſingulis in Græcia conſiderandis operam aliquam impendamus. Quod igitur de regionibus fere omnibus dici poteſt, eandem minime eſſe agrorum conditionem ubivis, ſed alios fertilitate ſeſe commendare, alios contra ſterilitate laborare; has partes amœ- *Ingenium & natura ſoli Græci.*

 nas,

nas, illas aſpectu eſſe aſperas atque horridas: Idem quoque de Græcia valet, quemadmodum ex recenſu regionum ejus præcipuarum ſtatim apparebit. Itaque *Macedoniæ* partem illam, quæ circa Strymonem fluvium, in Thraciæ confiniis, eſt, multas frugum proprietates & metalla; eam item, quæ ſinui Thermaico ad orientem potiſſimum adjacet, in qua Theſſalonice & Caſſandra ſint, celeberrimæ urbes, ſimul cum Pallene fertilem habere, ac frugiferam terram; illam porro, quæ nobiles urbes, Edeſſam, Beroeam & Sellam habeat, incolis, iisdemque ſimul impigris cultoribus, frequentem; reliquam vero plagam, partim ad ſeptentrionem, partim ad occaſum frigidam eſſe omnem, cultuque duram & aſperam, Livius p) confirmat. *Illyridem* & *Epirum*, quanquam aſperæ eſſent & montium plenæ, tamen hominum olim floruiſſe copia, Strabo teſtatur. q) *Theſſaliam* fertiliſſimam

p) Lib. XLV, c. 30.
q) *Geogr.* l. VII. p. 504

mam idem prædicat geographus, r) niſi qua fluminibus alluitur. Nam Peneus, multos amnes recipiens, & in agros ſæpius effuſus, ſtagno hos tegebat. Amœnitatem regioni huic eximiam Tempe conciliabant, poetis decantatiſſima. In *Phocide* ager potiſſimum circa Cephiſſum fluvium ubertate præſtans eſt, arboribus ferendis idoneus, frugibusque fœcundus & pabulo: unde diligentiſſime olim colebatur. s) *Ætoliæ* tractus occidentalis agros habet planos & fertiles; orientalis vero, Locridi vicinus, Naupactum verſus, ſolum aſperius & ſterilius. t) *Boeotiæ* Strabo u) ſolum tribuit præſtans, præſtantius certe Attico. Dicæarchus quoque & frumenti & vini feracem facit. x) Vinum præſtantiſſimum illud habebatur, quod circa Tanagram proveniret. *Atticæ* & *Megaricæ* regiones ſubaſperæ. Megaricæ

 par-

r) Lib. IX. p. 657.
s) Pauſan. in *Phocicis* c. XXXIII. p. 883.
t) Strabo l. X. p. 691.
u) Lib. IX. p. 614.
x) De *ſtatu Græciæ* p. 12.

partem majorem montes implent O-neji. y) Abundat etiam Attica montibus, ſed aëre fruitur tenui: unde acutum habitatoribus ingenium. z) *Peloponneſi* partem majorem, præter Arcadiam, terram optimam vocat Thucydides. a) Speciatim vero de *Argolide* perhibet Ariſtoteles, b) quod quum paluſtris fuiſſet olim, fertilis evaſerit poſtea; uti contra Mycenæorum ager, olim florens, ſua ætate aridus ſit atque ſterilis. *Eleorum* agrum Polybius ait c) præ ceteris omnibus Peloponneſi frequentem eſſe habitatoribus, & mancipiorum numero, & rerum omnium copia refertiſſimum. Incolis, propter ſummum agriculturæ ſtudium, laxumque agri modum, (διὰ τὸ πλῆθος τῆς χώρας) neceſ-

y) Strabo l. IX. p. 582. & 602.
z) Cicero *de fato* p. 1235. *Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; craſſum Thebis. itaque pingues Thebani & valentes.* Cf. Meurſium de *fortuna Att.* c. III. p. 22. ſqq. & Sponium in *Voyaye de Grece* &c. T. II. p. 92.
a) Lib. I. non longe a princip.
b) *Meteor.* l. I. cap. ult.
c) *Hiſtor.* l. IV. c. 73.

ceſſariorum ad vitam nihil quidquam deeſſe. *Laconicæ* Euripides d) ſoli multum eſſe confirmat ad arandum, ſed difficile elaboratu: eſſe enim regionem cavam, montibus cinctam, e) & aditu in bellis difficilem. *Meſſeniacam* contra bonæ frugis feracem, irriguam, multis curruum boumque millibus, & paſcuis aptam. *Arcadia* montoſa, magnam partem herbarum lignorumque ferax, (ὑλώδης) non montes ſolum, verum etiam campeſtria omnia. Multis igitur opus agricolis habebant Arcades, multis caprariis, ſubulcis item, oviumque paſtoribus, & bubulcis, qui bovibus præeſſent & equis. Lignatoribus item plurimis opus habuit illa regio. f)

§. VII.

Fluvii Græciæ nobiliores iſti quidem ſunt: (1) *Strymon*, Macedoniam & *Fluvii.*

d) Apud Strabonem *Geogr.* l. VIII. p. 563.

e) In quibus tamen Tænarus atque Taygetus lapicidinis lapidis pretioſi nobiles. Strabo l. c. p. 564.

f) Vtimur deſcriptione Philoſtrati *de vita Apollonii* l. VIII. c. 7. p. 346.

& Thraciam olim diſterminans: exit in mare Ægæum. (2) *Peneus*, per mediam labens Theſſaliam, amnesque complures, Herodoto g) & Ovidio h) nominatos, abſorbens. (3) *Sperchens*, ejusdem regionis auſtralia alluens. (4) *Achelous*, Acarnaniam ab Ætolia dividens, & in mare ſe effundens Jonium. i) (5) *Evenus*, qui Ætoliam *antiquam* ab *adjecta* diſtinguit. (6) *Cephiſſus*, prope Lilæam, urbem Phocicam, ortus, in lacum Boeoticum Copaidem, *Pindo* flumine recepto, illabitur, non confundendus cum Cephiſſo Atticæ, Athenas ab occaſu præterfluente. (7) & (8) *Aſopus* & *Iſmenus*, qui per planitiem feruntur, quæ ante Thebas eſt, & juxta Oropum urbem in Euripum exeunt. *Aſopus* alius Peloponneſi eſt, prope Sicyoniam. (9) & (10) *Iliſſus* & *Eridanus* Atticæ flumina ſunt, quorum hic Athenas ab occaſu, ille ab ortu prætermeat. (11) *Inachus* Argo-

g) Lib. I. c. 129.
h) *Metamorph.* l. I. v. 577.
i) Pluribus deſcribit Plutarchus, vel quisquis auctor eſt libri de *fluviis* p. 43. edit. Hudſon.

golidis, in ſinum Argolicum: i) (12) *Alpheus* Arcadiæ juxta Olympiam in mare Jonium: k) (12) *Pamiſus* Meſſeniæ, in ſinum Meſſenium: (14) *Eurotas*, in Arcadia exortus, Sparta ad occaſum relicta, in ſinum Laconicum ſeſe exonerant.

§. VIII.

Ex *lacubus* commemorari potiſſimum merentur (1) is, qui *ante Pellam* eſt, Macedoniæ regiam, l) (2) *Lychnitis*, in Macedoniæ occidentalibus. m) (3) *Neſonis* & *Bœbeis*, in Theſſalia, inter Oſſam & Olympum montes, ex diluvio Theſſalico ambo, ut opinio erat, reſidui. n) (4) *Copaicus*, ex oppido Bœotiæ, Copis, nomen adeptus, urbibusque in orbem cinctus. (5) Lacus *Marathonis* in Attica, cujus meminit Pauſanias. o) (6) *Trichonidis* in Ætolia. (7) *Stympha-* *Lacus.*

i) V. Plutarchum l. c. p. 34.
k) Id. p. 38.
l) Strabo l. VII. in *Excerptis* p. 509. Livius l. XLIV, c. 46.
m) Strabo l. c. p. 503.
n) Id. l. IX. p. 658.
o) In *Atticis* c. XXXII.

phalis in Arcadia, juxta montem & urbem Stymphalum. p) Erumpit ex eo Eraſinus fluvius, qui terra merſus in Argolide rurſus prodit. (6) *Lerna*, in Argolidis & Laconicæ finibus, in quem purgamenta Argivi projecerunt.

§. IX.

Montes. *Montes* Græciæ præcipui ſunt (1) *Athos*, ſummæ altitudinis, ad mare pertinens Ægæum, in Chalcidice, quæ Macedoniæ erat regio, ſinui Thermaico ad ortum. q) (2) *Olympus*, præaltus, ſinui imminens Thermaico. Apud Strabonem r) Macedoniæ attribuitur. Oppoſitus huic ab auſtro in Theſſalia (3) *Oſſa*, qui diluvii Deucalionei tempore abruptus fertur ab Olympo, terræ motu. s) Olympum inter & Oſſam Peneus effluit fluvius, per media Tempe. Ab Oſſa eodem in littore non adeo longe in auſtrum remotus (4) *Pelius* eſt, de

p) Polyb. *Hiſt.* l. V. c. 7.
q) Deſcribit montem copioſius Herodotus l. VII. c. 22. *ingentem* vocans *atque nobilem.*
r) Lib. VII. in *excerptis* p. 508.
s) Strabo l. IX. p. 658.

de quo ſingularis extat Dicæarchi commentariolus, t) quo Pelium nemoroſum & frugiferarum arborum, imo cedrorum quoque, feracem eſſe docetur. (5) *Pindus*, longus montium tractus, Theſſaliam inter & Epirum, partimque a Theſſalis, partim ab Epirotis habitatus, Macedoniam habens a borea. u) (6) *Ceraunii*, ſive *Acroceraunii* montes, ex fulminibus, quibus ſæpius impetuntur, nomen conſecuti, inde a mari Adriatico, quod ab Jonio diſcernunt, in ortum procurrentes, ad Epirum pertinent. (7) *Oeta*, ſive *Oeteus*, in Theſſaliæ & Locridis finibus ad Thermopylas inclinans, longitudine ducentorum ſtadiorum: aſper mons & excelſus. x) (8) *Parnaſſus*, in parte Phocidis occidua, cujus latus occidentale Locri tenuerunt Ozolæ; auſtrinum Delphi. y) Ad radices montis

t) Qui inter Hudſoni *Geographiæ veteris ſcriptores Græcos minores*, T. II. comparet.
u) Strabo l. IX. p. 663. Cf. Cellar. in *Not. O. A.* T. I. p. 1097.
x) Strabo l. IX. p. 655.
y) Strabo l. IX. p. 640.

tis fons Caſtalius, Muſis ſacer. In adſcenſu ejus Delphorum urbs ſita, cum Apollinis fano & oraculo, editiore loco poſito. (9) *Helicon* in Bœotiæ & Phocidis confiniis protrahitur longe, Muſis pariter olim ſacer, terræ bonitate & arborum crebritate præſtans, fontemque habens Hippocrenen. (10) *Cithæron*, Bœotiæ mons, ad Megarenſes vergens, & ad Thebas deſinens, fabulis carminibusque celebratus. (11) *Hymettus*, Athenis ab ortu oppoſitus, ſilva, marmore & melle nobilis. (12) *Pentelicus* Athenis itidem non multum diſtans, Marathonem verſus, adeoque ortum inter & ſeptentrionem, lapicidinis marmoris inſignis. (13) *Parnes*, ſupra Eleuſinem & Acharnas ſitus, cujus vertex ſilvoſus & venationibus aptus, inferiora frugum atque vini feracia. (14) *Oneji* montes regionem percurrunt Megarenſem. (15) Promontorium *Sunium*, in ora Atticæ terræ maritima, in orientem ſpectans.

§. X.

Montes Peloponneſi.

Peloponneſi ſunt (1) *Parthenius*, Ar-

Arcadiæ mons, ad fines Argolidis longo jugo ad Tegeatidem decurrens. (2) *Erymanthus*, pariter Arcadiæ, Achajam attingens, apro Herculis fabuloſus. (3) *Cyllene*, montium Arcadicorum altiſſimus maximusque. Huic ad auſtrum (4) *Parrhaſius*. (5) *Mænalus*, Pani conſecratus pinisque refertus. (6) *Taygetus*, qui partim ad Arcadiam ſpectat, partim ad Laconicam, tantæ longitudinis, ut per totam procurrat Laconicam, a mari usque ad Arcadiam extenſus. (7) *Menelaius*, proxime Spartam. z) (8) *Tænarum*, nobile Laconicæ promontorium, in auſtrum projectum, fauces habere creditum, per quas ad inferos deſcenderetur: antrum item, per quod Hercules, ut eſt in fabulis, ab inferis rediit Cerberumque reduxit.

§. XI.

Valles atque campi. Ex *vallibus campisque*, quorum mentionem fecerunt ſcriptores veteres, inſigniores ſunt. (1) *Campi Theſſali-*

z) Livius l. XXXIV. c. 28.

ſalici, & in his ſpeciatim *Pelasgicus*, in media Theſſalia, circa Pharſalum & Lariſſam urbes, ad ripam Penei auſtralem. a) (2) *Tempe*, vallis amœniſſima, inter Olympum & Oſſam montes, per quinque millia paſſuum, ad mare usque protenſa, Peneoque rigata fluvio. Fuſe deſcribit Ælianus. b) (2) *Campi* in *Bœotiæ mediterraneis*, Straboni commemorati, c) quorum pars videtur eſſe *campus ante Thebas*, cujus idem meminit. d) (4) Campus *Thriaſius* in Attica, Athenas inter atque Eleuſinem, ad littus usque pertinens. e) (5) Campus *Rharius*, circa Eleuſinem, in quo frugum primum jacta ſemina adoleviſſe ferebant, ut loquitur Pauſanias. f) (6) Campus *Pylius* in Elide, Peloponneſi regione, circa Pylum urbem, ſolum habens fertile. g) Ejusdem regionis

a) Strabo l. IX. p. 658. & 676.
b) *Hiſt. var.* l. III. c. I.
c) Lib. IX. p. 622.
d) Pag. 625.
e) Strabo l. IX. p. 605. Cf. Apollodorum *Biblioth.* l. XIII. c. 13. p. 222.
f) In *Atticis* c. XXXVIII, p. 93.
g) Strabo l. VIII. p. 529.

nis (7) *Æpaſius* quoque eſt. h) (8) Campus *Elyſius*, habitus vulgo beatorum ſedes. Eum nos alibi i) in Meſſenia Peloponneſi quærendum eſſe oſtendimus. (9) *Mænalius* campus in Arcadia, de quo Pauſanias. k)

§. XII.

Inſulæ propinquiores.

A continente ad inſulas progredimur præcipuas, tum quæ ex propinquo Græciam circumjacent, tum quæ inde remotiores, a Græcis tamen fuere quondam inhabitatæ. Oram igitur Græciæ inde ab Adriatico mari, per Jonium, Creticum & Ægæum præterlegentibus occurrent (1) *Saſon*, prope Illyridem. (2) *Corcyra*, Theſprotiæ Epiri objecta, cum urbe cognomini. (3) Minores nonnullæ, circa Leucadiam, (quæ peninſula eſt, Acarnaniæ adhærens) & ante Ætoliam. In his *Echinades* & *Ithaca*, Vlyſſis patria, memorabiles. (4) *Cephallenia*, Acarnaniam verſus & Leucadem, urbes habens qua-

h) Id. p. 535.
i) *Obſervat. phil.* P. II. obſ. 3.
k) In *Arcad.* c. XXXVI.

tuor. l) (5) *Zacynthus*, Cephalleniæ ad auſtrum ſubjecta, propiusque ad Peloponneſum accedens. (6) *Strophades* duæ, ante Eleam. (7) *Sphagia*, ante Meſſeniam. (8) *Cythera*, Veneri ſacra, Maleæ, promontorio Laconicæ auſtrali, oppoſita. (9) *Calauria*, Argolidi ab ortu objacens. (10. 11. & 12.) *Belbina*, *Ægina*, olim præpotens, & *Salamis* in ſinu ſunt Saronico, Atticæ ad auſtrum. (13) *Euboea*, inſula prælonga & magni ambitus, Bœotiæ potiſſimum, a qua Euripi freto, anguſtiori quidem, dirimitur, ad Theſſaliam usque prætenta. Vrbes hujus nobiliores duæ erant, Eretria & Chalcis, utraque in littore occidentali.

§. XIII.

Inſulæ remotiores. Remotiores a continente Græciæ, a Græcis tamen pariter olim poſſeſſæ, ſunt (1) *Creta*, cujus incolas antiquiſſimis jam tum temporibus fuiſſe Græcis annumeratos, refert Herodotus. m) Eſt illa omnium, quæ inter Ægæum & Cyrenaicum mare ad Græ-

l) Thucyd. l. II. p. 120.
m) Lib. I. c. 2.

Græciam ſunt, inſularum facile maxima, quippe a Peloponneſo pene usque ad Aſiæ fines protenſa, lata quinquaginta millia, longa ducenta & ſeptuaginta millia paſſuum, & centum quondam urbibus habitata. n) Circumjacent eam magno numero inſulæ parvæ, Plinio recenſitæ. o) In mari Ægæo, quod Græciam Aſiamque interfluit, inſulæ ſunt fere innumeræ: ex quibus memoratu præ cæteris dignæ (2) *Cyclades* ſunt atque (3) *Sporades*. Et Cyclades quidem, circa Delum in orbem, ita tamen, ut plures ad auſtrum eſſent, ſitæ, duodecim numerabantur initio Strabone teſte; p) acceſſerunt vero poſtea plures. Objacent ab ortu tum Peloponneſo, tum ei, quæ extra Iſthmum eſt, Græciæ. Sunt autem ſequentes: *Andrus, Tenos, Cythnus, Seriphus, Siphnus, Melos, Oliarus, Delus,* Apollini & Dianæ ſacra, (cujus inſulæ ſumma ſemper fuit auctoritas reli-

 gio-

n) Accurate, præter ceteros, deſcripſit Jo. Meurſius, libro ſingulari, edito Amſt. 1675. 4.
o) *Hiſt. nat.* l. IV. c. 12.
p) Lib. X. p. 743.

gionis, q) cum vicina *Rhenea*, ubi Deliorum ſepulcra, quoniam in ſacra inſula neminem fas erat ſepeliri, r) *Myconus*, *Gyarus*, *Paros*, *Syros*, ſ. *Syra* & *Syria*, & *Naxus*, quam Agathemerus s) inter Cycladas optimam vocat: Alii Sporadibus annumerant. Ab Andro & Delo in ſeptentrionem ſunt (3) *Scyros*, ubi Theſeus mortuus, rex Athenarum celeberrimus, & (4) *Lemnus*, inſula nobiliſſima, ad Thraciam. *Sporades*, quaſi *inſulas* dicas *diſperſas*, partim in Europa ſunt, partim in Aſiæ ora: eſtque numerus earum incertus. Potiores iſtæ cenſentur: *Amorgus*, *Jus*, *Cos*, *Pathmus*, *Icaria*. In ſeptentrionem vergunt, Aſiæque propiores ſunt (5) *Samos*, (6) *Chios*, (7.8.) *Lesbus* & *Tenedos*. t)

§. XIV.

q) Cic. in *Verr*. l. I. c. 18.
r) Strabo l. X. p. 744.
s) Lib. I. c. 5.
t) Statum inſularum maris Ægæi, ſive, ut nunc vocatur, Archipelagi, hodiernum, & quæ reſidua in illis ſunt antiquitatis monumenta, qui poſt Jac. Sponium & Ge. Whelerum, in *Voyage de Dalmatie, de Grece & du Levant*, copioſius accuratiusque expoſuerit Pittono de Tournefort, in *Relation d'un voyage du Levant*, Amſtel. 1718, 4. novimus neminem.

§. XIV.

Numeroſior ſucceſſu temporis quum evaſiſſet Græcorum gens, quam ut continente ante deſcripta, inſulisque illam cingentibus, capi amplius poſſet, ſedes ſibi alias pars magna, per intervalla, quæſivit & invenit. Primi omnium Attici, qui *Jones* olim dicebantur, ductis ex reſponſo Apollinis Delphici, & communi conſilio totius Hellados, in Aſiæ minoris oram coloniis tredecim, Joniam ibi condiderunt, conſtitutis civitatibus ampliſſimis. u) Acceſſerunt mox eadem in ora Doris atque Æolis, quarum conditores Dores atque Æoles extiterunt, ex Græcia itidem profecti: quanquam ſunt, qui horum migrationem antiquiorem etiam faciunt Attica. Miſſi vero poſtea coloni etiam fuere in Rhodum Cyprumque inſulas, in Ægyptum, regiones Africæ maritimas alias; atque alia parte in Macedoniam Thraciamque. Sed maxime memorabilis illa videtur migratio, quam in Italiam Siciliam- *Græcorum coloniæ.*

u) Thucyd. *Hiſt.* l. I. p. 9. ſq. Vitruvius *Architect.* l. IV. c. 1.

que ac vicinas inſulas ſuſcepere Peloponneſii, ex genere Dorico ac Æolico. Factum enim illa eſt, ut Græci per Italiam propemodum univerſam fuerint diſſeminati, atque oppida condiderint multa paſſim. Præcipue vero Italiam occuparunt interiorem, ubi nunc regnum eſt Neapolitanum, ſimul cum Sicilia, (in qua Syracuſæ exſtructæ ab illis ſunt) & inſulis Æoliis. Quas regiones *Græciam* uſus appellavit *magnam*, quod revera ampliores eſſent Græciâ propria, licet quibus finibus terminata fuerit Græcia illa magna, non adeo ſit exploratum. x)

CAPVT II.
DE VRBE ATHENARVM.

§. I.

Vrbis præſtantia, claritas & antiquitas.

VRbs totius Græciæ princeps *Athenæ* extiterunt *Atticæ*, quarum ad laudes tota conſpirat antiquitas. Vrbs nimirum antiquiſſima erat, ma-

x) V. Thucyd. l. c. & Cf. Vbb. Emmii *Græciam vet.* T. II. l. I. p. 9. Cellarii *Notit. O. A.* T. I. p. 639.

maxima, pulcherrima, incolarum, fortitudine atque ingenio valentium, frequentia atque opibus, nec minus ſapientiæ omnisque humanitatis ſtudiis florentiſſima. Quibus ex rebus non potuit non ſummam conſequi gloriam, & admirationi eſſe omnibus. Hinc Iſocrates, poſtquam urbem *antiquiſſimam* vocaſſet, *maximamque*, y) παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ὀνομαστοτάτην prædicat; quod verbo Pliniano, z) eadem de urbe uſurpato, *claritate ſuperfluentem* poſſis reddere. Et Philo Judæus, a) *quod in oculo ſit pupilla, in anima ratio, hoc Athenas eſſe* ait *in Græcia.* Pindarus b) λιπαρὰς καὶ ἐυωνύμους, *urbem ſplendidam, atque cele-*

 brem.

y) In *Panegyr.* p. 88. ed. Gen.
z) *Hiſt. nat.* l. IV. c. 7.
a) Libro *quod omnis probus ſit liber*, p. 658.
b) In *Nemeis*, oda IV. v. 29. & 30. & in *Iſthm.* oda II. v. 30. ubi recte Schmidius vocem λιπαρὰς, quæ *pingues* proprie ſonat, *ſplendidas* vertit, docens ſimul, reſpexiſſe hoc epitheto Pindarum ad virtutem, ſapientiam & res præclare geſtas civium. Sane enim eodem ſenſu Ariſtophanes in *Nubibus* Act. I. ſc. IV. v. 25. & Euripides *Iphigen. in Tauris* v. 1131. Atticam, quæ aſpera potius, quam pinguis erat, λιπαρὰν χθόνα (γᾶν) appellant.

brem : Æſchines c) κοινὴν καταφυγὴν τῶν Ἑλλήνων, *commune Græcorum perfugium :* Cicero *humanitatis, religionis, frugum, jurium, legum omniumque doctrinarum inventricem*, tantæque *vetuſtatis* urbem vocat, *ut ipſa ex ſeſe ſuos cives*, qui propterea αὐτόχθονας ſe dicebant, *genuiſſe dicatur*, tantæ etiam *pulcritudinis, ut de poſſeſſione ejus etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum ſit.* Denique Cornelius Nepos e) civitatem prædicat, *quæ antiquitate, humanitate & doctrina præſtet omnes.* De antiquitate ſpeciatim Hyginus : f) *Hoc oppidum in terris dicitur primum eſſe conſtitutum.*

§. II.

Nomina. Nomen urbis antiquiſſimum *Cecropia* fuit, impoſitum a Cecrope, primo poſt obſcuriſſima tempora rege, qui ea ætate in Attica regnaſſe creditur,

c) *Orat. contra Cteſiph.* p. 293.
d) Orat. *pro Flacco*, c. XXVI. & de *oratore* l. I. c. IV.
e) In *vita Attici* c. III.
f) *Fab.* CLXIV. Teſtimonia de antiquitate urbis plura Jo. Meurſius congeſſit, de *fortuna Attica* c. I.

ditur, qua populum Moſes Iſraeliticum ex Ægypto eduxit. g) Is, nempe, primus populum per regionem Atticam ſparſum, nullaque arctiori ſocietate conjunctum, in certum coegit ordinem, inque claſſes certas diviſit: Metropolin vero regni ſui, ut illud ſibi tutius faceret, quamvis invidiæ, propter ſoli aſperitatem, magnopere haud obnoxium, in rupe quadam excelſa & præru- pta conſtituit, eamque vel inſtauratam, vel noviter conditam a ſe appellavit Cecropiam. h) Quod oppidum, quum aucta in majus urbs fuiſſet, tempore præſertim Theſei, adjuncta ad radices montis parte ſic ſatis ampla, pro arce (*ἀκροπόλει*) urbi fuit, nomenque Cecropiæ ſolum retinuit, urbs vero ipſa nomen accepit *Athenarum*, i) quod urbibus deinceps aliis pluribus, Stephano Byzant. k) recenſitis, fuit attributum.

g) Auguſtinus de *Civ. Dei* l. XVIII. c. 8.
h) Strabo *Geogr.* l. IX. p. 608. ſq. Plinius *Hiſt. nat.* l. VII. c. 56. Auguſt. de *C. D.* l. c.
i) Thucyd. l. II. p. 111. edit. Steph.
k) De *urb. ac pop.* V. *Ἀθῆναι.*

Primus hoc, ſi Juſtino l) credimus, urbi indidit Amphictyon, rex Atticæ, ſi a Cecrope numerare incipiamus, tertius; ſin autem Plutarcho, Theſeus, rex decimus. Repetendam vero arbitramur appellationem iſtam non, ut plerorumque fert opinio, a Minerva Dea, Græcis Ἀθήνη dicta, cui XII. Deorum ſententia adjudicata urbs fuiſſe traditur, n) (nam hanc quidem, ſicuti infra monebitur, ab ipſa urbe non cenſemus diverſam) ſed a femina quadam illuſtri, (quod genus urbibus etiam aliis, e. c. Ephyræ, i. e. Corintho, Spartæ & Smyrnæ, ex more antiquitatis nomen fecit,) nominatim ab Athide, ſive Atthide, Cranai, regis ſecundi, filia, ex qua tota etiam regio Attica fuit nominata. o) Quod ſi tamen pro *appellativo*, ut vocant, habere malis nomen, conflatum illud cenſeri poſſet ex θὴν, quod in lingua Græcorum

l) *Hiſt.* l. II, c. 7.
m) In *Theſeo* p. 11.
n) Apollodorus *Biblioth.* l. III. c. 13. Auguſtinus de *Civ. Dei* l. XVIII. c. 9.
o) Juſtinus l. c.

corum veteri *lactantem* ſonuit, ſive *matrem*, p) & α privativo, ut ita vox Ἀθῆναι urbem indicet *matre carentem*, h. e. talem, quæ non ab alius urbis vel gentis hominibus, ſed ab habitatoribus ejus regionis antiquis, iisque non advenis, ſed eodem innatis ſolo, quod incolunt, ut Juſtinus loquitur, fuit condita. Porro Athenienſes urbem ſuam ἄςυ (quod nomen apud Homerum paſſim de urbe uſurpatum occurrit) nominare conſueverunt, eo ſcilicet ſenſu, quo Romam Latini veteres *Vrbem*, & Conſtantinopolin, poſtquam ſedes imperii orientalis facta eſſet, τὴν πόλιν vocarunt Græci. q)

§. III.

Sitæ Athenæ, uti obſervationes docent accuratiores, r) ſub gradu latitudinis 38, cum min. 5. longitudinis vero 53, in medio quidem Atticæ, ab occa- *Situs.*

p) *Etymolog. magnum* p. 24.
q) Diod. Sic. *Bibl. Hiſt.* l. I. c. 28. Strabo l. IX. p. 606. Terent. in *Eunuch.* Act. V. ſc. 6. v. 17. Cic. *de legibus* l. II. c. 2. Nepos in *Themiſt.* c. 4.
r) Apud Sponium in *Voyage* cet. T. II. p. 80.

occaſu Megaridem, a ſeptentrione Bœotiam, ab auſtro ſinum Saronicum, & ab ortu mare habentis Ægæum. Quæ regio nomina geſſit varia. Nam & Acte, ſive Actæa, & Cecropia, s) & Mopſopia, & Poſidonia, t) ac denique Jonia fuit nuncupata. Poſtremum hoc datum ei volunt ex Jone, Xuthi filio, Hellenis, qui Deucalione natus fertur, nepote. Nempe Xuthum ajunt, Pandione, rege quinto, Atticæ imperante, in hanc regionem veniſſe e Theſſalia, ductaque in matrimonium Creuſa, regis ſorore, filium, quem ex Apolline illa conceperat, adoptaſſe atque Jonem appellaſſe. Ab hoc poſtea Jonum & Joniæ nomen ad Athenienſes, horumque regionem & colonias promanaſſe. Alii vero idem nomen a Javane, יון, Japheti filio, u) arceſſunt. Theſei ætate pervulgatum illo ſignificatu fuiſſe Joniæ nomen, ex Plutarcho poteſt col-

s) Apollod. l. c. Pauſan. in *Att.* c. 2.
t) Strabo l. IX. p. 608.
u) Gen. X, 2.

colligi.x) Columnam enim is memorat, a Theſeo, agrorum determinandorum cauſſa, in Iſthmo poſitam, cujus lateri orientali inſcriptum fuerit:

> Τὰ μὲν πρὸς ἕω, τάδ᾽ οὐχὶ Πελοπόννησος,
> ἀλλ᾽ Ιωνία.
>
> *Hæc, quæ in ortum ſpectant non ſunt*
> *Peloponneſus, aſt Jonia:*

Lateri occidentali:

> Τὰ δὲ πρὸς ἑσπέραν, τάδ᾽ ἐστὶ Πελοπόννησος οὐκ Ιωνία.
>
> *Hæc quæ in occaſum ſpectant, Peloponneſus ſunt, haud Jonia.*

Omnium vero maxime diuturna *Atthidis*, ſive *Atticæ* extitit appellatio, quam ex Atthide, Cranai filia, impoſitam regioni fuiſſe, Juſtinus y) & Pauſanias z) confirmant.

§. IV.

Ambitus urbis non idem fuit ſemper, ſed pro ætate diverſa diverſus. Vrbs vetus ſtadiorum fuit LX. in circuitu, ob- *Ambitus.*

x) In *vita Theſei* p. 11.
y) L. c.
z) In *Att.* c. 2.

obſervante Meurſio. a) Huic vero tempore ſuccedente tantum acceſſit, ut in ſtadia tandem CLXXVIII. circuitus excreverit, poſtquam ſcil. portus Piræeus, Munychia & Phalerus juncti urbi fuiſſent. Hinc Thucydides b) & Plutarchus c) Athenas Syracuſis comparant, quas Strabo muro olim contentas fuiſſe ſcribit d) CLXXX. ſtadia longo. Augent, rhetorum more, magnitudinem Dio Chryſoſtomus e) & Ariſtides, f) quorum alter ambitum urbis ſtadiorum facit ducentorum, alter integri diei itinere metitur. Ædificiis tamen oppleta omnia non fuerunt, ſed loca bene multa ædibus extitere vacua. g)

§. V.

a) Libro de *fort. Athen.* c. 3. ex ſcholiaſte Thucyd. ad l. II. p. 110. Poſſunt tamen, ne quid diſſimulemus, verba hujus de ſolo Piræei & Munychiæ ambitu commode accipi.

b) Lib. VII. p. 503.

c) In *vita Niciæ* p. 534.

d) Lib. VII. p. 503. Cicero *in Verr.* IV. c. 52. Syracuſas *Græcarum urbium maximam* prædicat, *pulcherrimamque omnium.*

e) Orat. VI.

f) In *Panathen.*

g) Rurſus docet Meurſius l. c. ex Thucyd. Xenoph. & Ariſtide.

§. V.

Muris cinctam fuiſſe urbem, hiſtoria teſtis eſt antiqua, quæ & bis dirutorum a Lacedæmoniis, & bis refectorum per Themiſtoclem & Cononem, Athenienſium imperatores, mœnium facit mentionem. h) De muro ad Hymettum montem, adeoque ortum inter auſtrumque, ſpectante ſcribunt Plinius i) & Vitruvius k), quod fuerit lateritius. Celebrantur vero cumprimis *muri longi*, (μακρὰ τείχη) *crura* etiam dicti (σκέλη,) Latinis auctoribus *brachia*, ab utraque portus Piræei, l) qui urbi ad occaſum eſt, parte procurrentes, urbemque cum portu iſto conjungentes. Muri ſcilicet duo erant, borealis unus, alter auſtralis, quorum ille a Pi- *Muri.*

h) Corn. Nepos in *Themiſt.* c. VI. & in *Conone* c. IV.

i) *Hiſt. nat.* l. XXXV. c. 15.

k) *Architect.* l. II. c. 8.

l) Piræeus pagus Atticæ (δῆμος) fuit antiquitus, ſtadiis ab Vrbe diſtans XL, occaſum verſus. Themiſtocles muro cinxit, &, quod navium ſtationi valde judicaret commodum, portum conſtituit triplicem. Pauſan. in *Att.* c. I. Strabo l. IX. Corn. Nepos in *Themiſt.* c. VI.

a Piræeo ad urbem in longum per ſtadia patebat XL, auſtralis juxta mare extenſus, Munychiam Phalereumque portus cum urbe connectebat. Pars hujus ea, quæ Phalerum inter atque urbem continebatur, *murus* etiam dici ſolebat *Phalericus*. Qui vero borealem & auſtralem conjungebat, murus vocabatur *medius* (τὸ ἀνὰ μέσον τεῖχος m)

§. VI.

Porta. Portas urbis tredecim recenſet, Meurſius; n) neque enim plurium extat memoria. Sunt in illis tres potiſſimum obſervatu dignæ: (1) Ηρίαι, q. d. *ſepulcralis*, per quam cadavera efferebantur ad τὰ ἠρία, ſive *ſepulcra*. (2) Θριασίαι, maxima omnium atque patentiſſima, o) poſtea Δίπυλον appellata, ut docet Plutarchus. p) Dicebatur etiam *Ceramica*, quia in propinquo erat Ceramicus, certa urbis regio, de qua infra agemus pluribus.

m) V. Meurſii *Athenas Atticas* l. III. c. 2.
n) L. cit. c. 12.
o) Liv. l. XXXI. c. 24.
p) In *Pericle* T. Opp. I. p. 168.

bus. (3) Ἱερὰ, ſive *ſacra*, per quam Eleuſinem ibatur, pompa ſolenni, ad celebranda ſacra Cereris.

§. VII.

Pars urbis uti antiquiſſima, ita nobiliſſima *arx* erat, rupi impoſita undique præruptæ acceſſusque difficilis. Nominata fuit varie. Nam & *Cecropiam* dixere ex conditore, vel inſtauratore, Cecrope, Atticæ rege, & πόλιν, & ἀκρόπολιν, & τὴν ἄνω πόλιν. Initio non tam magna erat. Mox cum auctæ in immenſum eſſent Athenæ, ut illuſtrior ea eſſet, ceteræque urbis tantæ magnitudini reſponderet; totæ veteres Athenæ, quarum circuitus ſtadiorum fuiſſe creditur LX, ipſi adjectæ, ac potiſſimum ea pars, quæ in auſtrum ſpectabat. q) Ac ſita quidem in urbe erat media, illa certe ætate, qua portus tres, Piræeus, Munychius atque Phalereus, partim ab occaſu, partim ab auſtro objacentes, urbi jam erant conjuncti. r) Initio palis tan- *Arx.*

q) Docet Meurſius lib. de *Cecropia* cap. III.
r) Meurſ. l. c. c. IV.

tantum ſepta arx erat ſpinoſis: quod ſeptum, ἕρκος dictum Herodoto, s) oleaſtri cingebant exterius. Poſtea muro partem borealem munivere Agrolas & Hyperbius, t) homines Pelasgi, quod genus partem urbis quondam inhabitavit. u) Hinc murus ille *Pelasgicus* vocari ſuevit, ſeu *Pelargicus.* x) nam Atticis

s) Lib. VII. c. 142.
t) Pauſan. in Att. c. 28.
u) Dederant Athenienſes Pelasgis, pro mercede muri, circa arcem ducti, regionem, quæ ſub arce erat, Hymettum montem verſus, inhabitandam colendamque. Eripuere vero poſtea, propter injurias, quas a Pelasgis paſſi fuerant, inſidiasque, quibus ab eisdem impetiti. Ejectis Pelasgis cautum fuit lege, ne quis Pelasgicum (ſic enim vocabatur pars urbis a Pelasgis quondam poſſeſſa) ut locum exſecrabilem, incoleret, agrosve ad illam pertinentes foderet, aut ex illis quidquam meteret, ſtatuta trium drachmarum mulcta in eum, qui contra egiſſet. Sequendum enim erat oraculi conſilium, quod apud Thucyd. extat lib. II. p. 113. Τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον. *Pelasgicum incultum eſſe, melius eſt.* V. Herodot. l. VI. c. 136. ſeq. Strab. l. IX. p. 616. Pollucem in *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 101.
x) Meminere muri hujus, præter Herod. l. c. Ari-

ticis Pelargi audiebant, qui Pelaſgi ceteris. Tandem Cimon, Miltiadis filius, partem etiam auſtralem muro circumdedit, uſus ad id manubiis Perſicis. y) Aditus ad arcem ex urbe una tantum via erat, z) per gradus & veſtibula, προπύλαια, magnifice exſtructa, & lapide tecta albo. Cui operi Pericles, Athenienſium princeps, talenta inſumſit MXII, annos quinque, opera uſus Mneſiclis architecti. Portæ veſtibuli quinque, quarum claves archontes ſinguli ſingulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare poſſent, ſervabant. Tectum ſtatuæ ornabant equeſtres. a)

§. VIII.

Opera arcis memorabilia. In ipſo arcis introitu Mercurii & Gratiarum in pariete ſpectabantur ſimu-

Ariſtophanes in *Avibus* v. 833. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom.* l. I. c. 19. Euſtath. ad Dionyſ. *Perieg.* v. 347.

y) Plutarchus in *Cimone* p. 487.

z) Ab occaſu quidem, ſi aſcenſus idem fuit olim, qui nunc eſt. V. Spon *Voyage* T. II. p. 100. Wheler T. II. p. 417.

a) Meurſ. c. V. & VI.

ſimulacra, quorum hæc Socratis fabricata erat manus. Ad dextram Victoriæ alis carentis templum erat. Ad ſiniſtram cella, picturis exornata variis. Progredienti ſtatuæ ſeſe objiciebant complures, cum ſacello Dianæ Brauroniæ, in quo Dianæ ſignum, opus Praxitelis, ſtatuarii egregii. Poſt illud ornamentum arcis præcipuum ſpectabatur, *Parthenon*, ſive *templum Minervæ Virgini* dedicatum, in admirationem rapiens omnes: b) ædificatum a Callicrate & Ictino, accurante opus Pericle: longum pedes C. latum, ſi interius menſuretur, L. In eo, præter ſigna cetera, Minervæ ſimulacrum, ſane admirandum, quod Phidias, artifex inſignis, elaboraverat ex ebore, cui aurum magni ponderis ita inductum, ut tolli poſſet rurſusque appendi. Signum univerſum cubitorum fuit XXVI,

---

b) Eſt illud hodienum ſuperſtes, ſervitque pro fano ſ. proſeucha Turcis. Curioſe illud contemplati ſunt Sponius & Whelerus, deſcripſeruntque ambo copioſius. Cf. Guilletiere *Athenes anc. & nouv.* p. 192. ſq. Dicæarch. de *ſtatu Gr.* p. 8.

XXVI, teſtante Plinio, c) tunica quidem veſtitum talari, geſtans in pectore Meduſæ caput, & Victoriam, cubitos magnam fere quatuor. Templum hoc prætergreſſis ſtatuæ ſeſe oſtendebant variæ, *fanum* item *Neptuni*, cognomento *Erechthei*, & ante illud *ara Jovis* ὑπάτȣ, in qua animati nihil offerebatur. Eo in templo puteus erat, aquam habens marinam, quæ flante auſtro ſonum edere obſervabatur. Erat vulgi opinio, aquam hanc reliquias eſſe ejus, quam Neptunus, inito cum Minerva de poſſeſſeſſione urbis certamine, percuſſa tridente tellure, erumpere feciſſet. Continebat idem fanum *ſacellum* peculiare, *Minervæ* τῇ πολιάδι conſecratum, in quo *olea* oſtendebatur illa, quam in certamine paullo ante memorato Minerva produxiſſet. Hoc in ſacello *ſignum* quoque *Minervæ* cuſtodiebatur, ceterarum ſanctiſſimum habitum, quippe cœlitus, uti ferebant, delapſum, & ab omnibus Atticæ populis una dedicatum. Addita ſimulacro,

c) *Hiſt. nat.* l. XXXVI. c. V.

cro, ex ligno oleæ fabricato, noctua, ſignificatum habens ſymbolicum. Porro *lychnus* collocatus hic erat *inexſtinctus*, qui per totum annum ardens ſervabatur. Pone ſacellum Minervæ τῆς πολιάδος ὀπισθόδομος erat, muro communitus duplici, per quem una tantum janua ad *ærarium*, quod hic fuit, intrabatur. Aſſervari illic ſolita, præter pecunias alias, talenta mille, quæ, niſi in ſumma neceſſitate, nefas erat attingere. Denique nec *armamentarii*, quod itidem in arce fuit, prætermittenda videtur mentio.

§. IX.

Templa urbis inferioris. Ex arce in urbem deſcendemus ei ſubjectam, ut hujus quoque *templa*, nec non *curias, fora, porticus, theatra, gymnaſia, portus*, & ſi quid præterea memoratu dignum videbitur, cum intra tum extra urbis mœnia, conſideremus. Itaque templorum ſatis magnus ibi fuit numerus, ex quibus potiora breviter enumerabimus. Primum locum tribuimus merito ei, quod ex re vocabatur *Pantheon*, ſive *omnium Deorum commune templum*, ma-

magnificentiſſimum illud, columnisque ſuffultum CXX, e marmore Phrygio; ex qua materia parietes etiam in porticibus exſtructi. In porticibus cellæ, inaurato laqueari & alabaſtro præfulgentes. Exſtruxit ædem Hadrianus Imperator, cujus ea propter in Athenienſes, Græcos univerſos, imo barbaros quoque beneficia perſcripta in hoc templo fuere. d) Superat hodienum, ſi fides eſt Theodoſio Zygomalæ, e) & Guilleterio, f) qui oculis illud ſeſe uſurpaſſe venditant. (2) *Olympieum*, ſive *templum Jovis Olympii*, quod ſola ſtructuræ delineatione ſtuporem incutere ait Dicæarchus, g) cujus ætate imperfectum adhuc fuit ædificium. Nam fundamenta ejus jecerat Piſiſtratus, h) Athenienſium tyrannus, continuaverantque deinceps opus ejus filii; i)

d) Pauſan. in *Att.* c. V. & XIIX.

e) In *Epiſt.* ad Mart. Cruſium a. 1575. ſcripta.

f) In *Athenes ancienne & nouv.* p. 267. Sed lege ſis, quæ contra illos monuit Sponius T. II. p. 114.

g) In *ſtatu Græc.* p. 8.

h) Vitruv. in *præfat.* l. VII.

i) *Ariſtot. Polit.* l. V. c. 11.

his vero ſublatis aſſertaque in libertatem republica, diu manſit imperfectum, k) donec, poſtquam manum ei varii admoviſſent, Sylla vero partem rurſus deſtruxiſſet, l) Hadrianus tandem Imperator illud perficeret dedicaretque, annis poſt Piſiſtratum circiter ſeptingentis. m) Situm erat arci ad ſeptentrionem. n) (3) *Theſeum* ſ. *templum Theſei*, conſecratum Theſeo, regi Athenienſium decimo, eique optime merito. Hoc templum, quod omnes venerati ſunt, o) in urbe media conditum ab Athenienſibus fuit, poſtquam Cimon, Miltiadis filius, oſſa Theſei, in Scyro Lycomedis perfidia interemti, ex inſula illa, cædis illius ulciſcendæ ergo everſa, Athenas reportaſſet, atque eo, quem diximus, loco humaſſet. Simile illud fere per omnia Parthenoni, p) niſi

k) Plutarchus in *Solone* p. 96.
l) Plin. *Hiſt. nat.* XXXVI. c. 6.
m) Pauſan. ll. cc. & Philoſtr. in *Vita Polem.* p. 533.
n) Spon. T. II. p. 142. Wheler. T. II. p. 472.
o) Plutarch. de *Exſilio* p. 607. & in *Theſeo* p. 17. Pauſan. in *Att.* c. XVII. p. 41.
p) Obſervantibus Sponio T. II. p. 144. & Whelero T. II. p. 455.

niſi quod magnitudine aliquantum huic cederet, aſylumque præbuit ſervis, omnibusque humilioris conditionis hominibus, qui potentiores extimeſcerent. Omitto templa reliqua; e. c. Cereris, Veneris τῆς Οὐρανίας & τῆς Ἑταίρας, Apollinis & Panis, Dianæ τῆς Λυσιζώνε & τῆς Αγροτέρας, Junonis, Bacchi, Dioſcurorum, Herculis, Serapidis, Auguſti Cæſaris cet. Meurſio, q) Guilletterio, r) Sponio ac Whelero s) recenſita & deſcripta.

§. X.

Collocatæ etiam, extra templa, paſſim per urbem fuerant *ſtatuæ* Deorum Heroumque; nec minus *aræ*, e. c. Matris Deum, Telluris, Deorum XII, Jovis Αγοραίε, Apollinis, Muſarum Iliſſiadum, Pacis, Famæ, Verecundiæ, Alacritatis, Humanitatis, cet. Digna vero cumprimis eſt, ad quam attendatur, *ara Deo ignoto* conſecrata, quam & ſcriptores memorant exteri, & Paullus etiam Apoſtolus Athenis *Statuæ atque aræ.*

q) In *Athenis Att.*
r) In *Ath. anc. & nouv.*
s) In *Voyage de Grece* cet.

nis ſibi dicit obſervatam. t) Poſita illa fuit, ut docet Sponius, u) prope portum Phalericum. Quanquam non improbabilis eorum conjectura eſt, qui exiſtimant, extitiſſe Athenis aras plures, quarum ſingulis, aut quibusdam certe ex illis, inſcriptum fuerit: Θεῷ ἀγνώςῳ.

§. XI.

Pompeum. Ad ædificia ſacra referri etiam quodammodo poteſt *Pompeum*, quod dicebatur. Ædificium erat publicum in primo urbis ingreſſu, ex Piræeo adventantibus, apparatui inſerviens pomparum, quarum aliquas annis ſingulis, alias per intervalla mittebant Athenienſes. x) Frumentum quoque illic vendi ſolebat ac dividi, ſicut & in Odeo. y) Statuæ ibidem erant clarorum aliquot virorum, & in his illa etiam Socratis, z) monumen-

t) Act. XVII, 23. ubi vid. Interpr.
u) *Voy.* T. II. p. 116.
x) Pauſan. in *Att.* c. II. p. 6.
y) Diog. Laert. in *Diog. Cyn.* p. m. 379. Add. Pollux in *Onomaſt.* l. IX. ſegm. 45.
z) Diog. in *Socr.* p. 116.

mentum publicum pœnitentiæ, qua ducti Athenienſes, quod morte affeciſſent virum præſtantiſſimum.

§. XII.

Ex *curiis*, *βουλευτηρίοις*, ſive locis, quæ deliberationibus de republica, & juri dicundo deſtinata eſſent, commemorari potiſſimum merentur: (1) *Prytaneum*, ſic appellatum, quoniam ibi *prytanes* conveniebant, numero quinquaginta, penes quos rerum omnium erat adminiſtratio. a) Exſtructum illud fuerat a Theſeo, non procul ab arce, ſeptentrionem verſus. b) Servabantur illic leges Solonis, axibus inſcriptæ ligneis: c) ſervabatur etiam ignis inexſtinctus, in ara Veſtæ ſacra. d) Porro victus in prytaneo quotidianus, ſumtu publico, viris præbebatur præclaris, ac bene de republica meritis, imo horum *Curiæ.*

a) Schol. Thucyd. ad l. II. p. 111.
b) Thucyd. l. c. Plut. in *Theſ.* p. 11. Wheler *Voy.* T. II. p. 471.
c) Pauſan. in *Att.* c. XVIII. Plut. in *Solone* p. 92.
d) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. 1. ſect. 4.

rum quoque poſteris. e) (2) *Curia quingentorum*, βουλευτήριον τῶν πεντακοσίων, prope fanum Matris Deum. In hac conventus ſuos ſenatus habebat magnus, e viris compoſitus quingentis, quorum e numero prytanes, de quibus modo dictum eſt, legebantur, qui ſenatui per vices præſiderent. Sacellum hic erat Jovis Bulæi & Minervæ Bulææ, in quo ſenatores, poſtquam curiam ingreſſi eſſent, vota nuncupabant, ut Numina illa conſilia ipſis ſuppeditarent reipublicæ ſalutaria. f) (3) *Areopagus*, ſ. *Collis* ex *Marte* nominatus, ex adverſo arcis, ab occaſu, ſitus. Hoc ſcilicet in colle tribunal ſuum ſenatus habuit omnium honoratiſſimus ſanctiſſimusque, *Areopagiticus* ex loco dictus, qui de capitalibus aliisque majoris momenti cauſſis noctu, & ſub dio quidem, cognoſcere ſuevit atque judicare. Ad quod tribunal Paullum ductum fuiſſe apo-

e) Probat teſtimoniis idoneis Meurſius *Ath. Att.* l. I. c. 8.

f) Meurſ. in *Ceram.* c. VI. Herod. l. VIII. c. 52.

apoſtolum, ſacræ narrant litteræ, f) ut rationem reddderet doctrinæ ſuæ, qua numina nova, & religionem novam viſus erat annunciare. g) (4) *Porticus regia*, ubi tribunal erat ejus, qui magiſtratum gerebat annuum, quem *regnum* illi appellabant. h) Hic etiam jusjurandum dabant Theſmothetæ, leges ſe conſervaturos eſſe, neque dona accepturos, aut daturos ſtatuam auream. i) De curiis tribus poſterioribus, videl. illa quingentorum, Areopago & porticu regia, dignum obſervatu eſt, quod fuerint ſingulæ in *Ceramico*. Nuncupatur nomine hoc, vel ex Heroe Ceramo, vel ex arte figulina, tractus quidam nobilis, isque ſatis amplus, cujus pars aliqua extra urbem, pars vero reliqua intra illam, ſpatium ejus ad occaſum & ſeptentrio-

f) Act. XVII, 19.

g) Egit de Areopago libro ſingulari Jo. Meurſius.

h) Pauſan. in *Att.* c. III. p. 8. Plato in *Euthyphr.* ſtatim in princ.

i) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 86.

trionem occupans haud exiguum. k) Addimus (5) *Pnycem.* Locus hic erat prope arcem & Muſeum, l) ubi *αἱ ἐκκλησίαι*, ſive *conciones* habebantur populi, olim quidem omnes, poſtea vero eæ tantum, quibus magiſtratus legebantur & belli duces: apparatus more vetuſtæ ſimplicitatis, non ad theatri ſplendorem. m) Tribunal olim hic fuit in mare proſpiciens, quod terram verſus converterunt XXX. tyranni. n)

§. XIII.

Fora. *Fora* urbis duo potiſſimum celebrantur, *vetus* ac *novum.* Forum vetus in Ceramico erat, &, ampliſſimum quum eſſet, in partes diſtinctum varias. Cuivis parti merces aſſignatæ propriæ, quæ venales ibi ſub tabernis exponerentur. Harum quæque nomen loco ſuo dabant peculia-

k) Deſcripſit Ceramicum utrumque commentario ſingulari Jo. Meurſius.

l) Collis erat propugnaculo idoneus, ubi Muſæus, poeta antiquus, canere ſueviſſe ferebatur, ac ſepultus fuiſſe.

m) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. X. ſegm. 132. Heſych. V. *πνύξ.*

n) Plutarch. in *Themiſt.* p. 121.

culiare. Sic e. c. erat ibi ἰχθυόπωλις ἀγορὰ, *piſcium forum*, ubi piſces: γυναικεῖα ἀγορὰ, ubi *mundus muliebris*, τὸ ὄψον, ubi *obſonia*, τὰ μύρα, ubi *unguenta*, ὁ χλωρὸς τυρὸς, ubi *caſeus* vendebatur *recens*. o) Ceterum ſtatuis decoratum forum vetus erat longe plurimis. p) Multum huic celebritate *forum* ceſſit *novum*, quod extra Ceramicum fuit. q)

§. XIV.

Porticus etiam per urbem conſtitutæ fuerant paſſim. Nobiliores erant: (1) *Porticus varia*, ex picturis, quibus *variegata* erat, iisque res geſtas populi memorabiliores repræſentantibus, nomen conſecuta. Hic Zeno docuit philoſophus, auctor ejus ſectæ, quæ ex hac ipſa ςοᾶ *Stoicæ* nomen tandem retulit r). (2) *Porticus regia*, in Ceramico, de qua ſupra, §. XII, jam dictum eſt. s) **Porticus.**

§. XV.

o) Pollux *Onomaſt.* l. X. c. II. ſegm. 19.
p) V. pluribus de foro hoc Meurſ. in *Ceram. gem.* c. XVI.
q) Meurſ. in *Ath. Att.* l. I. c. 6.
r) Meurſ. in *Ath. Att.* l. I. c. 5.
s) Porticus alias idem commemorat Meurſ. l. c. c. 3.

§. XV.

Theatrum Bacchi & Odeum. Ornatum urbi non poſtremum *theatra* quoque conciliabant duo, unum *Bacchi*, alterum, quod *Odeum* dicebatur. *Bacchi theatrum* omnium in toto terrarum orbe *pulcherrimum*, *memorabile*, *magnum* & *mirandum* Dicæarchus t) vocat. Ac erat ſane ædificium ſplendidum juxta atque amplum, ad latus rupis, cui arx inſidet, auſtrale, e marmore candido, forma ſemicirculi, cujus diameter CCXLIII. pedum regiorum, a Philone architecto exſtructum, variisque graduum, in ipſa magnam partem rupe, ut ſedilia eſſent ſpectatoribus, elaboratorum, nec minus arcuum ordinibus, ab imo ad ſummum usque, diſtinctum. Agebantur hic tragœdiæ & comediæ: quocirca & tragicorum comicorumque celebriorum ſtatuæ hic fuerant collocatæ. t) *Odeum*, in Ceramico, ipſum quoque theatri forma præditum, & permagnificum, præſertim poſt-

t) Delinearunt deſcripſeruntque ædificium, cujus rudera hodienum ſuperſunt, Sponius in *Itiner.* T. II. p. 123. & Whelerus T. II. p. 428. ſqq.

poſtquam ab Herode Attico inſtauratum fuiſſet. Nam dirutum incendio fuerat tempore belli Mithridatici Odeum illud, quod Pericles & Lycurgus condiderant. Sedilia illic erant multa, & columnæ plurimæ, tectum ſuſtinentes cedrinum, acclive quidem illud, ſic ut imaginem & ſimulacrum tentorii regis Perſarum referret Odeum. Vſui vero inſerviebat non uni. Præterquam enim quod Muſici, aliique id genus, in arte ſe ſua ibi exercebant, invicem certabant, ſpectatoresque oblectabant, frumenta quoque illic vendi, & tempore caritatis dividi ſolita, imo cauſſæ etiam frumentariæ, & controverſiæ, quæ ad alimenta debita ſpectarent, diſceptari. u)

§. XVI.

Exercitationum corporis amantisſimi quum eſſent uti Græci reliqui, ita Attici quoque: *Gymnaſia* aliqua, ſive loca publica exercitationibus iſtis deſtinata, in urbe ab ipſis fuerant *Gymnaſia & Stadia.*

u) Pauſan. in *Att.* c. VIII, XIV. & in *Ach.* c. XX. Meurſ. in *Ceram.* c. XI. Caſaub. ad Theophr. *Charact.* p. 144. Add. Whelerum l. c. p. 451.

rant conſtituta. Celebratur maxime gymnaſium *Ptolemæium*, juxta forum novum, ex conditore ſuo, Ptolemæo, cujus & ſtatua ænea, cum ſignis pluribus aliis, partim lapideis, partim æneis, ibi ſpectabatur, nominatum. x) Meminit gymnaſii hujus etiam Cicero, & Antiochum ſe ibi audiviſſe refert. y) Præter illud tria Athenis erant gymnaſia, fama pariter admodum nobilitata, *Academia*, *Lyceum*, *Cynoſarges*, omnia arboribus, ut ait Dicæarchus, z) & ſolo gramineo decorata. Ea vero quoniam extra urbis fuere mœnia, infra commemoranda nobis erunt in locis ſuburbanis. Cum gymnaſiis *Stadia* conjungimus, h. e. loca, ubi curſus peragebantur, & ſpectacula interdum edebantur. Hæc etiam plura Athenis reperiebantur; ſed omnium nobiliſſimum *Panathenaicum* erat, ad Iliſſum fluvium, de quo itidem in ſuburbanis dicendi locus erit.

§. XVII.

x) Pauſan. in *Att.* c. XVII.
y) De *finibus* l. V. in ipſo ſtatim initio. Cf. Whelerum T. II. p. 468.
z) De *ſtatu Gr.* p. 8.

§. XVII.

Ad loca urbis memorabilia tria hæc haud immerito adhuc referas: *Tholum*, *Bibliothecam*, & Λέχας. *Tholus* ædificium erat in Ceramico, forma orbiculate rotunda & in conum ſurgente, ex qua & nomen habuit, ſtructum. In eo prytanes conveniebant quotidie, ſacrisque factis epulabantur. Erant illic quoque, præter ſigna quædam ex argento haud magna, ſtatuæ Heroum ἐπωνύμων, h. e. eorum, de quorum nominibus tribus Athenienſium fuerant appellatæ. Ad ſtatuas haſce leges novæ, priusquam ferri poſſent, examinandæ proponebantur, ex lege Solonis. a) *Bibliothecam* primus poſuerat Piſiſtratus Athenienſium tyrannus, ut libri disciplinarum liberalium publice ad legendum præberentur: deinceps ſtudioſius accuratiusque ipſi Athenienſes auxerant. Sed omnem illam poſtea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, urbe ipſa, præter ar-

Tholus, biblioth. λέχαι.

 cem,

a) Pauſan. in *Att.* c. V. Pollux in *Onomaſt.* l. VIII. c. XV. ſegm. 155. Cf. Heinſterhuiſii not. ad l. VII. ſegm. 174. Meurſ. in *Ceram.* c. VII.

cem, incenſa abſtulit abſportavitque; Seleucus vero Nicanor, rex, referendos Athenas curavit univerſos. b) Hinc Sylla in Italiam Athenis advexit: c) inſtauravit vero Hadrianus Imperator, quem Euſebius d) refert Bibliothecam Athenis exſtruxiſſe miri operis. Nimirum cellas pro libris fieri curaverat in Pantheo, lacunari inaurato & alabaſtro præfulgentes, ſignisque & picturis undique exornatas. e) Λέσχαι, quaſi *confabulationes* dicas, vel *loca confabulationum*, loca erant publica, exedris ſimilia, & Apollini dedicata, ubi, confabulandi cauſſa, magno numero conveniebant homines otio abundantes. Pauperes etiam iſtuc, ut gratis calefierent, confluebant. Hujusmodi loca Athenis CCCLX. erant. d)

§. XVIII.

Conditio urbis a- Jam urbs ipſa, ſi ædes ſpectentur pri-

b) Gellius *Noct. Att.* l. VI. c. 17.
c) Lucianus *adv. indoctum* T. Opp. II. p. 380.
d) In *Chron.* Olymp. CCXXVII.
e) Pauſan. in *Att.* c. XVIII. p. 43.
f) Heſych. & Harpocrat. voc. λέσχη, λέσχαι, Proclus ad Heſiodi *Op. & di.* v. 301.

privatæ, & conditio reliqua, qualis fuerit, Dicæarchi ſaltem ætate, omnium optime ex ipſo diſcas Dicæarcho, Ariſtotelis æquali. f) Ἡ δὲ πόλις, inquit, ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος· κακῶς ἐῤῥυμοτομομένη διὰ τὴν ἀρχαιότητα. αἱ μὲν πολλαὶ τῶν οἰκιῶν εὐτελεῖς, ὀλίγαι δὲ χρήσιμαι. ἀπιστηθείη δ᾽ ἂν ἐξαίφνης, ὑπὸ τῶν ξένων θεωρουμένη, εἰ αὐτή ἐστιν ἡ προσαγορουμένη τῶν Ἀθηναίων πόλις· μετ᾽ οὐ πολὺ πιστεύσειεν ἄν τις. *Vrbs ipſa tota ſicca, neque aquis bene inſtructa, neque recte item in plateas ſecta, ob vetuſtatem. Domuum pleræque viles, paucæ uſui commodæ. Primo ſtatim aſpectu plane dubitarent peregrini, an hæc eſſet illa celebrata Athenienſium urbs, verum aliquanto poſt facile adduceretur quis ut credat.* *deſque privatæ.*

§. XIX.

Habitatorum urbis, quum maxime floreret, numerus fuit pene immenſus. Demoſthenis certe tempore civium habuit XX. millia, qui per ætatem bello apti eſſent, & reipublicæ partem aliquam poſſent capere: a qua plu- *Habitatores, annonæ ratio, aer.*

f) In *ſtatu Græciæ* p. 8.

plurimi, ob inopiam, remoti. Servorum, cum Demetrius Phalereus urbi præeſſet, fuere quadringenta millia; inquilinorum millia decem. Neque tamen ulla annonæ ibi caritas, quod frumentum e Ponto & Byzantio, alimenta reliqua aliunde maxima adveherentur copia. Quapropter homo frugi obolo in diem ſuſtinere ſeſe poterat. Aer ſupra urbem purus, tenuis atque ſalubris; unde ingenia ibi acutiora exiſtimata. g)

§. XX.

Suburbana: Academia, Lyceum, Cynoſarges, Stadium Panathen.

Extitere vero in ſuburbanis quoque Athenarum plurima, memoria utique digna. Potiora ſunt (1) *Academia*, ex Heroe Academo nominata, ſita quidem in Ceramico extra urbem, huic ad ſeptentrionem & occaſum, ſex ſtadiorum intervallo ab urbe. Locus erat initio ſqualidus, ſiccus, &, quod inſalubris haberetur, deſertus. Cimon vero, Miltiadis filius, muro jam antea ab Hipparcho, Piſiſtrati filio, cinctum, nemo-

g) Meurſ. in *Fort. Athen.* c. III. & IV.

moroſum effecit atque irriguum, ambulacrisque ornavit umbroſis. h) Excidit vero nemus Sylla, machinaſque ex arboribus (platani magnam partem erant, ingentis proceritatis, i) oleæ item aliquæ) maximas, quibus ad oppugnandam urbem uteretur, confecit. Illuſtris autem locus iſte ex eo maxime evaſit, quod Plato, ſummus philoſophus, ibi habitavit, & philoſophiam publice docuit. Ex quo factum, ut ſcholæ Platonicæ *Academiæ* tributum nomen ſit, quod ad alias etiam ſcholas publicas poſtea fuit translatum. Viſebantur porro hic *gymnaſium* aliquod, *ara Amoris*, in ipſo Academiæ introitu, *Minervæ fanum*, *aræ Muſarum* & Deorum quorundam, *ædes Muſarum* a Platone dedicata, & *balneum* quoque. Viſebantur denique tum intra Academiam, tum in vicina parte Ceramici reliqua, ſepulcra clarorum virorum, e. c. Cimonis, eorum maxime, qui in bello, pro patria geſto, occubuerant.

h) Plutarch. *in Cimone* p. 487.
i) Plin. *Hiſt. nat.* l. XII. c. 1.

rant. k) (2) *Lyceum*, ex Lycio, Pandionis filio, nomen conſecutum. Situm erat ad ripam Iliſſi fluvii, (V. cap. I. §. VII.) urbi ad ortum. l) Erat illic quoque *gymnaſium*, a Piſiſtrato inchoatum, a Pericle conſummatum, auctum vero tandem magiſque ornatum a Lycurgo oratore: erat etiam περίπατος, ſive *ambulacrum*, in quo inambulans Ariſtoteles philoſophiæ præcepta tradidit, atque diſputavit. Qua de cauſſa qui cum illo erant, & ſectatores ejus poſtea omnes, *Peripatetici* dicti ſunt. m) Incenſum Lyceum, dirutum exciſumque fuit partim a Philippo, Demetrii filio, Macedonum rege, partim a Sylla. n) In vicinia, non longe a porta urbis (3) *Cynoſarges* erat gymnaſium, cui nomen *canis* dedit *albus*, vel *celer*, qui, Diomo rem ſacram ſive Veſtæ, ſive Herculi, faciente, coxam victimæ abreptam illic de-

k) Plura dabunt Meurſ. in *Ceram.* c. XX-XXVII. & Sponius T. II. p. 146. ſq.

l) Strabo l. IX. p. 614.

m) Cic. *Acad. quæſt.* l. I. p. 1023.

n) Liv. l. XXXI. c. 24. Plut. in *Sylla*, p. 469. Add. Meurſ. *Ath. Att.* l. II. c. 3.

depoſuerat. o) Templo, quod Herculi ibi poſitum fuerat, gymnaſioque lucus circumjectus erat. p) In gymnaſio nothi ſeſe exercebant, quod Hercules etiam, cui ſacer locus erat, talis haberetur. Themiſtocles vero nothorum & ingenuorum, ſive ex legitimo matrimonio natorum, diſcrimen callide e Cynoſarge ſuſtulit, cum juvenes aliquos ingenuos nobileſque perſuaſione adduxiſſet, ut ſecum ibi ungerentur. q) Ceterum docere in Cynoſarge ſolitus Antiſthenes, ejus auctor ſectæ, quæ ex loco hoc, quem Philippus paulo ante memoratus incendio tandem delevit, nomen retulit *Cynicæ.* r) (4) *Stadium Panathenaicum*, quod Herodes exſtruxit, vel ſaltem inſtauravit, Atticus, civis Athenienſis locupletiſſimus, ad ulteriorem Iliſſi ripam, qui amnis ut trajici commode ab iis poſſet, qui ex urbe ad ſtadium hocce contenderent, ponte jun-

o) Heſych. & Suid. v. Κυνόσαργες.
p) Liv. l. c.
q) Plut. in *Themiſt.* p. 112.
r) Laert. in *Antiſth.* p. 372.

ctus fuerat lupideo, tribus arcubus inſtructo, & XL. pedes longo. Figura Stadii lunata: longitudo CXX, latitudo XXVI. circiter paſſuum. Colle quaſi circumdabatur artificiali, qui ex marmore aggeſtus fuerat candido, eoque Pentelico, compluresſque habebat graduum ordines, ſibi invicem imminentes. In hoc ſtadio, (quod Philoſtratus, s) ἔργον vocat ὑπὲρ πάντα τὰ θαυμάσια, ᾧ ἐδὲν θέατρον ἁμιλλᾶται, *opus excellentiſſima ſuperans quævis, cum quo theatrorum nullum conferri poſſit,*) curſu certabatur, ferarum venatio exhibebatur, ludique publici, *Panathenaici* dicti, agebantur. Rudera ejus hodienum ſuperant, referentibus Sponio, t) & Whelero, u) teſtibus oculatis.

§. XXI.

Portus Athenienſium.

Portus Athenienſes tres habuere: *Phalereum*, *Munychium* & *Piræeum*. *Phalereus* ſtadiis ab urbe aberat XX, au-

s) De *Vitis Sophiſt.* l. II. p. 550. cf. Pauſan. in *Att.* c. XIX.
t) T. II. p. 162.
u) T. II. p. 441.

u) auſtrum verſus, navale omnium in Attica antiquiſſimum, muroque urbi connexum. Is vero quum neque magnus ſatis, neque bonus videretur; Themiſtoclis conſilio triplex *Piræei* portus, urbi ad occaſum, conſtituus eſt, x) moenibusque circumdatus. Quo facto ipſam urbem dignitate æquiparavit Piræeus, utilitate ſuperavit. Altitudo muri, Piræeum cingentis, quem ſtruere cœpit Themiſtocles, abſolvit Pericles cubitorum XL, latitudo tanta, ut duo plauſtra, ſibi occurrentia, commeare in eo poſſent. Compoſitus fuerat ex lapidibus quadratis ingentibus, quos non cæmentum aut lutum, ſed ferrum plumbumque conjungebant. Habitabatur vero Piræeus inſtar oppidi, quum pagus fuisſet antea, *porticusque* habebat quinque, quæ, quod conjunctæ eſſent, μακρὰ ϛοὰ, *porticus longa*, appellari conſueverant; *forumque* præterea geminum, alterum mari vicinum, alterum vero inde remotius. Heic omne

u) Pauſan. in *Arcad.* c. X. p. 619.
x) Nepos in *Themiſt.* c. V.

mne commercium cum Athenienſibus erat, & quicquid petebatur Athenis, ex portu hoc accipiebatur. De muro longo, Piræeum urbi conjungente, ſupra diximus, §. V. y) Loco inter utrumque portum fere medio, Piræeo tamen, quam Phalereo propinquior, *Munychius* erat, Piræeo muro conjunctus, qui ipſe etiam inſtar oppiduli incolebatur. Nomen ex Munychia habuit, colle peninſulæ formam referente, quem munivit Thraſybulus. z)

CAPVT III.

DE SPARTA, CORINTHO ATQVE THEBIS.

§. I.

Sparta, Corinthus, Thebæ, urbes claræ.

POſt Athenas nihil Græcia illuſtrius habuit, quam *Spartam*, *Corinthum* atque *Thebas*, urbes veterum ſcriptis longe plurimum celebra-

y) V. Meurſii librum ſingularem *de Piræeo*. Cf. de eo, portubusque reliquis Sponium T. II. p. 175, q. & Whelerum T. II. p. 499. q.

z) Nepos in *Thraſyb.* c. II. Meurſ. de *Piræo*, c. IX.

bratas. De his igitur ſi itidem commentari aliquid inſtituamus, agemus credo nihil, quod alienum a propoſito, eique conducibile non videatur.

§. II.

Nomen urbis, quam primo loco poſuimus, antiquiſſimum *Sparta* fuit. a) Dediſſe hoc illi creditur Lacedæmon, rex a Lelege indigena (quo antiquiorem non potuit memoria hominum recordari) quartus; honorem habere volens Spartæ, Eurotæ regis filiæ, quam matrimonio ſibi junxerat. Hic idem ille rex eſt, qui gentem, cui imperabat, Lacedæmonios, regionem vero Laconicam ex ſe nominari fecit, & *Lacedæmona*: b) quod nomen urbi etiam tributum poſtea fuit primariæ; ut ita binominis hæc tandem evaſerit. c) Solent tamen antiquiſſimi ſcriptores, e. c. Homerus. d) & Scylax, e) Lace- *Spartæ nomen.*

a) Pauſan. in *Lacon.* c. XI. p. 231.
b) Pauſ. l. c. cap. I. p. 203.
c) Strabo Geogr. l. VIII. p. 564. Pauſ. l. c. c. XI.
d) *Il.* II. ſive in *Catal.* v. 581. ſq.
e) In *Periplo* p. 16. ſq. ed. Hudſ.

Lacedæmona & Spartam, ut regionis totius & urbis ſingularis nomina, diſtinguere.

§. III.

Claritas. In *exiſtimatione* urbs magna omni fere fuit tempore, adeo ut Argis, qui civitatibus Peloponneſi, imo totius Græciæ, omnibus olim antecelluerunt, f) eam æquiparet Strabo, inferiori autem ætate illis ſuperiorem fuiſſe confirmet. g) Dici hinc ſuevit *oculus* Græciæ *alter*, reſpectu quidem Athenarum. h) Xenophon i) δυνατωτάτην καὶ ὀνομαστοτάτην ἐν τῇ Ἑλλάδι, *urbem* vocat *potentiſſimam clariſſimamque in* Græcia.

§. IV.

Situs. *Sita* urbs in Laconicæ (quæ regio angulum Peloponneſi euro-auſtralem occupabat, urbesque olim habuerat centum) k) mediterraneis, in planitie tumulis nonnullis diſtinctâ, in-

f) Herodot. l. I. c. 1.
g) Strabo l. VIII. p. 518.
h) Juſtin. ex Trogo l. V. c. 8. cf. Plutarch. in *Reip. ger. præcept.* p. 803.
i) De *Rep. Lac.* ſtatim in princ.
k) Strabo, l. VIII. p. 557.

fra Taygetum montem, juxta Eurotam fluvium, ab ortu præter eam labentem. l) Ptolemæus ſub gradu longitudinis 51, latitudinis 36. collocat.

§. V.

De *conditore* veriſimillima eorum ſententia eſt, qui exſtructam urbem exiſtimant a Lacedæmone, m) Spartæ marito (§. I.), qui Moſis ætate in regione illa floruit. n) Ex quo ſumma liquet urbis antiquitas. *Conditor.*

§. VI.

Ambitus urbis, forma ædificatæ rotunda, ſtadiorum XLVIII. fuit, o) atque ita minor multo Athenarum circuitu, quippe ſtadia complexo propemodum ducenta. Non mirum igitur, ſi civitas fuit ὀλιγάνθρωπος, ætate certe Xenophontis. p) *Ambitus.*

§. VII.

l) Scyl. in *Periplo* p. 17. Strabo l. VIII. p. 558. Polyb. *Hiſt.* l. V. c. 22.

m) Pauſan. In *Lacon.* c. I.

n) Jo. Marsham, in *Can. Chron.* p. 128.

o) Polyb. *Hiſt.* l. V. c. 22. & l. IX, c. 20.

p) V. librum ejus de *Rep. Lac.* in princ. Xerxis, Perſacrum regis, tempore octo ferme millia virorum bellicoſorum habuit. Herodot. l. VII. c. 234.

§. VII.

Muri.

Muros initio nullos habuit Sparta, jubente ſic Lycurgi lege, ut virtuti potius ſuæ, quam loci munitioni confiderent cives, ſibique perſuaderent, muris non carere urbem, quæ viris ſit non lateribus cincta. q) Ageſilai etiam temporibus nuda muris Sparta adhuc extitit, r) Exſtructi demum fuere aliqui, opere tumultuario, cum Demetrius atque Pyrrhus Epirota urbem oppugnarent. At Nabis tyrannus validiſſimos poſtea effecit, s) Juſtino tamen fidem ſi habeas, t) Caſſandri jam tum ætate, quum civitatibus ille multis bellum in Græcia inferret, Spartani, veluti vicino incendio territi, urbem, quam ſemper armis, non muris defenderant, armis diffiſi, murorum præſidio incluſerunt, quæ, Livio teſte, per octingentos an-

q) Plutarch. in *Lyc.* p. 52. & in *Apophth. Lac.* p. 210. Cf. Plat. de *leg.* l. VI. p. 624.
r) *Xenoph. Orat. pro Ageſ.* p. 662. Nep. in *Ageſ.* c. VI.
s) Pauſan. in *Ach.* c. VIII. p. 542.
t) Lib. XIV. c. 5.

annos ſine muris fuerat. u) Demoliti muros Spartæ Achæi ſunt, Romanorum ſocii, quos tamen non longe poſt reſtitui curarunt Romanorum legati. x)

§. VIII.

Templis Deorum Dearumque, nec non Heroum, ſic abundavit urbs, ut ex Pauſaniæ recenſione numerari poſſint ultra quinquaginta, non computatis Ἡρώοις, ſ. *Heroum ſacrariis*, quæ pariter ibi erant plurima. Ex templis hæc inprimis digna videntur memorata. (1) Minervæ ejus, quam *Poliuchon* & *Chalcioecon* cognominabant, ædes, in collium urbis eo, qui maxime eminebat, exſtructa. *Chalcioecos* vero appellata Dea fuit; y) quod tum fanum hocce ipſum, tum ſigna ejus ex ære eſſent fabricata. Fanum vero æneum tale intelligo, cujus parietes laminis incruſtati eſ- **Templa.**

u) Hiſt. l. XXXIX. c. 38.
x) Pauſan. l. c. & c. IX. p. 545.
y) Nam Χαλκίοικον non nomen loci aut templi, ſed cognomen ipſius Deæ, ſeu Minervæ eſſe, luculenter oſtendit Jac. Perizonius in *annot.* ad *Æl. Hiſt. var.* l. IX. c. 41.

ſent æneis, quodque tectum haberet æneum. z) Nec alio, credo, ſenſu templum hocce *æneum* vocavit Livius. a) Confugere, ſecuritatis cauſſa, eo ſolebant in magno verſantes periculo. (2) *Magnæ matris* templum, quod religione colebatur maxima. b) (3) *Lycurgi* templum, legislatori huic, tanquam Deo, erectum. c) Nec infimæ claritatis (4) templa erant *Jovis Agoræi*, *Minervæ Agorææ*, *Neptuni Aſphalii*, *Apollinis* & *Junonis*, *Parcarum*, *Julii Cæſaris*, & *Auguſti.* d)

§. IX.

Loca nobiliora reliqua. Loca urbis inſigniora reliqua iſta fere exſtiterunt. e) (1) *Forum*, dignum

z) Tale enim fuiſſe templum, de quo agitur, ex eo poteſt colligi, quod Lacedæmonii illud, cum a Tyndareo ædificari cœptum, & a liberis ejus ad faſtigium perductum eſſet, longo tempore poſt ex ære feciſſe dicuntur, manente ſcil. ædificio antiquo. Pauſan. in *Lacon.* c. XVII.

a) Lib. XXXV. c. 36.

b) Pauſan. in *Lacon.* c. XII. p. 237.

c) Pauſan. libr. cit. c. XVI. p. 248.

d) Memorat ſingula Pauſan. in *Lacon.* paſſim.

e) Sequimur recenſum Pauſaniæ in *Lacon.* c. XI. ſqq.

gnum ſpectatu, cujus pars quædam *Chorus* dicebatur, quod puberes ibi choros agitarent Apollini. (2) *Curiæ* Seniorum (τῆς Γερουσίας) Ephororum, Nomophylacum & Bidiæorum, in foro. (3) *Porticus Perſica*, ex manubiis Perſarum exædificata, nobiliſſima quidem illa, itidem in foro. (4) *Hellenium*, ubi civitates Græcorum eæ, quæ arma contra Xerxem ceperant, inter ſe conſultarunt. (5) *Scias*, quaſi *umbraculum* dicas, ubi, quemadmodum Athenis in Pnyce, conciones habebantur. Struxerat Theodorus Samius. (6) *Theatrum*, ex lapide erectum candido, opere valde inſigni & ſpectabili, non procul a foro, occaſum verſus. (7) *Leſchæ* Crotanorum & *Varia*. f) (8) *Dromus*, locus adoleſcentibus ad curſus exercitatio-

 nes

f) De Leſchis ſupra jam aliquid diximus, Cap. II. §. 17. Addimus nunc, Latinos ejusmodi loca *Stationes* vocaſſe; poſterioribus autem temporibus *Scholas*. Tales ſcholæ in omnibus fere Romæ regionibus extiterunt. V. Caſaub. ad *Theophr. Charact.* c. IV. p. 138. Jo. Ge. Grævii *Lect. Heſiod.* ad *Op. & di.* v. 493. Jo. Clerici ad eundem locum *notas*. Th. Reineſii *Epiſt.* XXXVI. p. 298.

nes attributus. (9) *Gymnaſia* in ipſo Dromo duo, quorum alterum Eurycles Spartanus dedicaverat. (10) *Plataniſtas*, locus platanis proceris condenſus, & euripo cinctus, ſic, ut aditus ad illum per partes eſſet. In hoc pugnas ſuas committebant ephebi. Juxta eum porticus erecta. (11) *Ephebeum* extra urbem, in ipſis fere Therapnes, oppidi ab ortu vicini, ſuburbanis. Hic catulum caninum ante, quam pugnam inirent, ſacrificabant ephebi Marti Enyalio. (12) *Limnæum*, vicus Dianæ ſacer, ubi ara ejusdem Deæ ſtatuta, ad quam plagis verberari ſolebant Lacedæmoniorum ephebi.

§. X.

Arx ibi ſummus collis.

Arcem, Ἀκρόπολιν, ſive propugnaculum in excelſo poſitum loco, quale Thebis Cadmea, Athenis Cecropia, Corinthi Acrocorinthus, Argis Lariſſa erat, non habuit Sparta. Appellabant tamen incolæ *arcem*, collem in pluribus illis, quos ambitu ſuo urbs complectabatur, g) ſummum. In eo colle,

g) Strab. l. VIII. p. 558.

le, ſicuti §. VII. obſervavimus, Minervæ Chalcioecæ fanum fuerat collocatum. h)

§. XI.

Ad *Corinthum* accedimus, cui geographorum princeps hoc tribuit elogium. i) Ἡ μὲν πόλις τῶν Κορινθίων μεγάλη τε καὶ πλȣσία διαπαντὸς ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ηὐπόρησεν ἀγαθῶν εἰς τε τὰ πολιτικὰ, καὶ εἰς τὰς τέχνας τὰς δημιȣργικάς. *Fuit Corinthus urbs magna, ſemperque dives, copiamque tulit virorum, & ad res civiles tractandas idoneorum, & ad artificia exercenda.* Cicero *totius Græciæ lumen* dixit, k) *urbem pulcherrimam atque ornatiſſimam, rerumque omnium quondam pleniſſimam.* Priſcum nomen *Ephyra* fuit, inditum ex Heroina quadam ejus nominis, quam fili-

Corinthi claritas & nomina.

h) Pauſan. in *Lacon.* c. XVII. Ceterum plura de urbe hac legi poſſunt apud Meurſ. in *Miſcellan. Lacon.* l. IV. c. 10. & in *Regno Lacon.* paſſim. Studioſius vero ſingula perſecutus eſt *de la Guilletiere* in *Lacedæmone anc. & nouv.* Pariſ. 1679. 12.

i) Lib. VIII. p. 586.

k) *Orat. pro L. Manil.* p. m. 363. & in *Verrem.* l. I. p. 249.

filiam faciunt Oceani. l) Mutatum vero poſtea fuit in illud *Corinthi.* Κόρινθος, inquit Heraclides Ponticus, m) Ἐφύρα πρότερον ἐκαλεῖτο, μέχρι Κορίνθου, ἀφ' οὗ τοὔνομα ἔχει. *Corinthus prius quidem Ephyra dicebatur, usque ad tempora Corinthi* regis, *a quo deinde nomen ſumſit* Corinthi. Corinthum hunc multitudo Jovis filium prædicare ſuevit, ſed fuit potius filius Manathænis. n)

§. XII.

Situs, figura atque ambitus.

Poſita urbs in parte auſtrina ejus iſthmi, qui Peloponneſum a reliqua Græcia dividit, intervallo quidem medio, ſexagenis ab utroque littore ſtadiis. o) Ptolemæus ad gradum longitudinis 62, latitud. 37. refert. Imminet urbi ab auſtrali & orientali parte (is certe hodie ſitus eſt) p) mons ar-

l) Pauſan. in *Corinth.* c. I. p. 110. Apollod. *Biblioth.* l. I. c. IX. §. 3. Plinius *Hiſt. nat.* l. IV. c. 4. Euſtath. ad Il. II. p. 290.

m) De *politiis* p. m. 513.

n) Pauſan. l. c. & c. III. p. 119.

o) Plin. *Hiſt. nat.* l. IV. c. 4.

p) Obſervante Sponio in *Voyage de Grece* cet. T. II. p. m. 231. Cf. *Voyage* de Wheler T. II. p. 534.

arduus. Hanc *Acrocorinthum* vocarunt veteres, ex arce ibi condita. Ab ejus vertice non procul abeſt fons Pirene, ubi Pegaſum, equum celerem, cepiſſe fertur Bellerophon. Qui fons hodienum ibi viſitur. q) Ad ipſam montis radicem urbs jacuit, in planitie ejus figuræ, quam *menſam* vocant. Circulus urbis XL. ſtadia æquabat, eratque urbs muro munita, quantum ejus mons denudaverat. r)

§. XIII.

Antiquiſſimam eſſe urbem ex eo apparet, quod Homerus s) illam in iis numerat, quæ copias ſuas ad expeditionem Trojanam contulerunt. Floruiſſe igitur eam oportet temporibus jam tum heroicis: quanquam de conditoribus ejus nihil certi eſt proditum. ***Antiquitas.***

§. XIV.

Loca urbis memorabilia hæc potiſſimum fuere. (1) *Acrocorinthus*, ſive *arx*, monti impoſita celſo, & qua ſe- ***Loca memorabilia.***

q) Spon. l. c.
r) Vtor verbis Strab. l. VIII. p. 583.
s) *Il.* II. v. 570. ubi ἀφνειὸς vocatur, ſ. *locuples.*

ſeptentrionem ſpectat, maxime præcipiti, ac in verticem deſinenti acutum. Perpendiculum montis trium ſtadiorum cum dimidio; aſcenſus ſtadiorum XXX. t) Hinc non immerito Livius, u) *arcem Corinthi inter omnia editam* vocat *in immanem altitudinem.* Sponius x) & Whelerus y) aſcenſui ſeſe, equis vectos, horam inſumſiſſe teſtantur integram. Qua muniri muro potuerat, mœnibus includebatur Acrocorinthus, quorum, uti ex ruderibus judicavit Strabo, ambitus ſtadiorum fuit LXXXV: Jam in ſummo rupis præaltæ vertice (2) *fanum* erat *Veneris*, immenſæ opulentiæ. Paulo inferius (3) fons *Pirene*, plenus ſemper aquæ pellucidæ & potabilis. z) In urbe autem ipſa opera præclara multa ſpectabantur, tempore Pauſaniæ, partim ex antiquiori ævo reliqua, partim vero ab illo facta atque conſtituta

t) Strab. l. c.
u) Lib. XLV. c. 28.
x) T. II. p. 229.
y) T. II. p. 536.
z) Strabo l. c. p. 582. Cf. §. 1.

ta tempore, quo urbem, a L. Mummio deletam reſtauraverat Julius Cæſar, miſſa iſtuc ex libertinis colonia. Præcipua cenſeri poſſunt (1) *forum*, ubi pars operum ſacrorum erat maxima. Ornabant illud Fortunæ ædes, templum Deorum omnium, & ſigna Deorum non pauca. (2) *Templa*, præter modo memorata, complura alia e. c. Minervæ Χαλινίτιδος, ſive *frenatricis*, quæ Pegaſum, freno impoſito, domuiſſe ferebatur, Jovis Capitolini, Apollinis Matris Deum, Junonis Bunææ, Cereris & Proſerpinæ, Veneris cet. (7) *Odeum*, ubi muſici certabant & poetæ. z) (4) *Theatrum*, juxta templum Minervæ frenatricis. (5) *Balnea*, paſſim per urbem exſtructa, alia quidem e pecunia publica, alia vero impenſis Hadriani Imperatoris. a)

§. XV.

Extra urbem ſpectabantur, (1) *Diogenis* Cynici *tumulus*, ad partem, per quam exibatur Cenchreas, quo *Memorabilia ſuburbana.*

 de

z) V. Cap. II. §. 15.
a) V. Pauſan. in *Corinth* c. II, III. & IV.

de loco mox dicetur. (2) *Cupreſſorum lucus*, cui *Craneo* nomen, maxime ſuburbanus, in quo Bellerophontis Veneriſque Melanidis fana. (3) *Portus* Corinthiorum duo, unus ad ſinum Saronicum, Aſiæ, alter ad ſinum Criſſæum, Italiæ obverſus. Quorum hic *Lechæum*, ille *Cenchreæ* nuncupatur. Intervallum inter Lechæum & Cenchreas intereſt ſtadiorum XL: quod muro munierunt Peloponneſii, cum Xerxes Græciam invaderet. b) Cenchreæ vicus & portus, diſtans ab urbe, ex Strabonis teſtimonio, c) ad ſtadia LXX, d) Lechæum vero urbi propinquius, nec admodum frequens domiciliis. Viæ Corintho Lechæum pertingenti ab utraque parte deducti fuere, crurum inſtar, muri, ad ſtadia circiter XII. In via, quæ ab Iſthmo ducebat Cenchreas, Dianæ templum,

---

b) Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* l. XI. c. 16.
c) Lib. VIII. p. 583.
d) Parum hoc credibile videbitur, ſi cogitemus, iſthmum univerſum ſtadia tantum XL. latum fuiſſe. Itaque mendum ſubeſſe ſuſpicor numero ἑβδομήκοντα.

plum, & ſignum pervetus; in vico vero Cenchrearum ipſo Veneris delubrum ſignumque marmoreum, uti in Lechæo Neptuni fanum cum ſigno æneo. e) Ceterum ſolum habuit Corinthiorum regio non admodum gleba terræ felix, ſed obliquum & aſperum: unde vulgo *ſuperciliosa* Corinthus dicta fuit, ac proverbium natum eſt: Κόρινθος ὀφρῦα τε καὶ κοιλαίνεται. *Corinthus ſupercilia* (colliculos) *atque cavitates habet.*

§. XVI.

Thebarum nomen. Sequuntur *Thebæ*, quarum nomen recentiores quidam ex voce aliqua Hebræa derivare inſtituerunt: ac alii quidem f) ex תבה, teva, *arca, navis*, alii g) ex תבץ, tevetz, quod *lutum* ſignificaſſe contendunt, alii denique h) ex תאבה taava, *appetitus deſiderium.* Sed veteres a Thebe qua-

e) Pauſ. in *Corinth.* c. II.
f) Th. de Pinedo in *notis* ad *Steph. Byzant.* v. Θήβη.
g) Bochart. in *Can.* l. I. c. 16.
h) Spanhem. in *Obſervat. in hymnum Callim. in Delum* v. 81. p. 378.

quadam deducunt femina, i) quam nonnulli Promethei, k) alii l) vero Æſopi & Metapes filiam faciunt.

§. XVII.

Claritas. Plinius urbem prædicat, quæ claritate nec ipſis ceſſerit Athenis; m) Stephanus πόλιν Βοιωτίας διάσημον, *urbem Boeotiæ inſignem.* n) Ac nihil ſane illa poetarum in ſcriptis decantatius: meritoque illam Diodorus Siculus o) urbem vocat, tum rebus geſtis, tum fabulis de illa traditis famigeratiſſimam.

§. XVIII.

Antiquitas & conditores. *Antiquitate* urbs ea fuit, ut Varronis jam tempore per duo millia annorum & centum ſtetiſſe diceretur p) condita quippe ab Ogyge ante cataclyſmum Ogygium. Vulgatior tamen, ea-

i) Apollod. *Biblioth.* III. c. IV. §. 6.
k) Pauſan. in *Boeot.* c. V. p. 720.
l) Id. in *Corinth.* c. V. p. 122. cf. Diod. Sic. l. IV. c. 74. Pindarum in *Olympion.* od. VI. p. 162. ed. Schmid. *Iſthmion.* od. I. v. 1. Herodot l. V. c. 80.
m) *Hiſt. nat.* l. IV. c. 7.
n) De *urb. ac pop. v.* Θήβη.
o) *Biblioth. hiſt.* l. XIX. c. 53.
p) Varro *de re ruſt.* l. III. c. I.

eaque fortaſſis verior, ſententia Cadmum ſtatuit Phœnicem prima urbi dediſſe initia tempore quidem Joſuæ Judæorum principis atque ducis. Hunc ſcilicet ajunt, quam Europam ſororem, ad quam inveſtigandam miſſus a parente, Agenore rege, fuerat, non reperiſſet, nec auderet ſine illa domum reverti, in Bœotiam profectum oppidum exſtruxiſſe atque muniviſſe, idque de ſuo nomine *Cadmeam* nuncupaſſe. Huic oppido augmenta dein ab inferiori parte adjeciſſe poſteros, nominatim Amphionem Zethumque, eaque, quum in urbis magnitudinem ipſa quoque tandem excreviſſent, Thebas appellaſſe, in honorem Thebes, quem Zethus uxorem duxerat. Atque ex eo tempore Cadmeam pro arce fuiſſe Thebis. q)

§. XIX.

Situs. ambitus & conditio.

Sitæ Thebæ in Bœotia (quæ Atticæ a ſeptentrione confinis erat) fere

q) Diod. Sic. *Bibl. hiſt.* l. IV. c. 2. Strabo *Geogr.* l. IX. p. 615. Pauſan. in *Bœot* c. V. p. 719. 720. Hom. *odyſſ.* XI. v. 262. Apollod. *Biblioth.* l. III. c. 4.

media ad Iſmenum fluvium, ſub gradu longitudinis 53, latitudinis 37. ſecundum Ptolemæum. *Circuitum* urbs habuit ſtadiorum LXX, r) tota quidem plana, & figura rotunda. Ac vetuſta licet eſſet, in vias tamen rectas diviſa erat, quod jam ter, ætate Dicæarchi, everſa fuerat funditus ob incolarum moroſitatem & ſuperbiam, at denuo rurſus exſtructa. s) Quin & equis alendis apta erat, tota agris abundans, viridis, clivoſa, pluribus hortis cultis, quam ulla alia urbs Græciæ præſtans. Duo etiam per eam labebantur fluvii, planitiem omnem urbi adjacentem irrigantes. t)

§. XX.

Mœnia & turres.

Mœnibus circumdatam urbem fuiſſe validis, ex hiſtoria intelligitur ejus obſidionis, qua Thebas cinxit Alexander Magnus, quæque exitialis eis-ob-

r) Dicæarch. in *Statu Gr.* p. 14. qui tamen paullo ante, in oratione ligata, p. 6. & 7. ſi quidem hæc ejusdem auctoris eſt, ambitum ſtadiorum eſſe dixerat tantum XLIII.

s) Qua de re Spanhemius videndus in *Obſervat. ad Callim*. p. 380. ſq.

t) Traduntur hæc ſingula a Dicæarcho l.c.

dem extitit. u) Fabulati Græci ſunt, Amphionem mœnia ad lyræ cantum exſtruxiſſe. x) quam fabulam Maximus Tyrius y) de juventute interpretatur Bœotica, quam bellica militarique modulatione in acie ordinatam, tanquam murum inexpugnabilem, Thebis circumdederit Amphion: *Ἦν περὶ Βοιωτίαν Κιθαριστὴς γενναῖος, οὐ λίθους, οἷον ὁ μῦθός φησιν, προσαγόμενος τῇ τέχνῃ (πῶς γὰρ ἂν γένοιτο ἐξ ᾠδῆς τεῖχος;) ἀλλ᾽ ὑπὸ μέλει ἐμβατηρίῳ καὶ τακτικῷ συναγαγὼν ὡς φατὲς Βοιωτῶν νέους, τεῖχος ἄμαχον ταῖς Θήβαις περιέβαλεν.* Tangit fabulam Propertius quoque his verſibus: z)

> *Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem* (muſicam Amphionis)
> *Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt.*

Turribus etiam Thebas inſtruxere conditores, Amphion atque Zethus. Sic enim de illis Homerus: a)

Οἱ

u) V. Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* l. XVII. c. II. Arrian. l. I. p. 19, 20. edit. Gron.
x) Pauſan. in Bœot. c. V. p. 720.
y) Diſſertat. XXI. p. 217.
z) *Eleg.* l. III. &. II. v. 3.
a) *Odyſſ.* XI. v. 262.

Ὁι πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο
Πύργωσάν τ᾽ ἐπεὶ ὃ μιν ἀπύργωτόν γ᾽ ἐδύναντο,
Ναίεμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώπερ ἐόντε.

Qui primi Thebarum fundamenta locarunt ſeptem partis inſtructarum,
Turribuſque muniverunt, quandoquidem non ipſas abſque turribus poterant
Habitare latas Thebas, quamvis fortes eſſent ambo.

§. XXI.

Portæ. *Portas* Thebarum oppidum habuiſſe ſeptem, patet tum ex iſto etiam Heſiodi: b)

Καὶ τοὺς μὲν πόλεμός τε κακὸς, καὶ φύλοπις αἰνὴ,
Τοὺς μὲν ἐφ᾽ ἑπταπύλῳ Θήβῃ, Καδμηΐδι γαίῃ
Ὤλεσε μαρναμένους μήλων ἕνεκ᾽ Οἰδιπόδαο.

Hos quoque bellumque malum & pugna gravis
Alios

b) *Op. & di.* v. 161.

Alios quidem ad ſeptem portas habentes Thebas, cadmæam terram.
Perdidit pugnantes, propter oves Oedipi.

Ad quem numerum Juvenalis, bonorum paucitatem deſcripturus, c) reſpiciens, dixit:

Rari quippe boni, numerus vix eſt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Nomina portarum hæc fuerunt: *Homolois, Ogygia, Proetis, Oncais, Hypſiſta, Electra, Crenis.* d)

§. XXII.

Loca urbis memorabilia, præter arcem, *Cadmeæ* nomine vocitatam, e) hæc fere numerari poſſunt: (1) *Gymnaſium Jolai*, ad Proetidem portam. (2) *Stadium*, quale in Olympia, & in Lauriis, terræ ſcilicet agger. (3) *Hippodromus*, qui Stadium transgres- *Loca memorabilia.*

c) *Sat.* XIII, v. 26.
d) Apollod. *Biblioth.* l. III. c. VI. §. 6.
e) Quam Jo. Laurenbergius in illa *Græcia antiqua*, qua Thebæ Bœoticæ repræſentantur, neſcio qua ratione ductus, in urbe locat media, adjungens ei forum arcis.

greſſis ad dextram erat, f) ubi Pindari ſpectabatur monumentum. Nam Pindarus quidem civis fuerat Thebanus: Cujus memoriam adeo ſancte coluit Alexander Macedo, ut, cum urbem deleret, domum ejus ſtirpemque ſartam tectam conſervarit. g) Extitere procul dubio loca Thebis etiam alia, quæ commemorari hic deberent, niſi memoriam eorum extinxiſſet illud, quod modo diximus, urbis excidium. Nec eſt, quod recenſum eorum iis ab auctoribus requiras, qui de urbe hac ex inſtituto ſunt commentati. Nam & Strabonis, & Pauſaniæ ætate ruinis ſuis ſepulta urbs jacuit. Quamvis enim illam inſtauraverit Caſſander, ſicuti prolixe narrat Diodorus Siculus; h) nunquam tamen ad florem ſplendoremque priſtinum urbs rediit. Ἐξ ἐκείνου, inquit Strabo, i) δ' ἤδη πράττοντος ἐνδεέστερον ἀεὶ μέχρι εἰς ἡμᾶς, οὐδὲ κώμης ἀξιολόγου τύπον σώζουσι. *Ex illo tempore* (Ale-

f) Pauſan. in *Bœot.* c. XXIII. p. 754.
g) Arrian. de *expedit. Alex.* lib. I. 22.
h) *Biblioth. hiſt.* l. XIX. c. 53.
i) Lib. IX. p. 617.

(Alexandri & Caſſandri) *Thebæ, rebus ſubinde in deterius ſublabentibus, vix pagi memorabilis formam retinent.* Pauſanias: k) Καὶ σφίσιν ἡ μὲν κάτω πόλις πᾶσα ἔρημος ἦν ἐπ᾽ ἐμȣ̃, πλὴν τὰ ἱερὰ, τὴν δὲ ἀκρόπολιν οἰκȣ̃σι, Θήβας καὶ ȣ̓ Καδμείαν καλȣμένην. *Ætate mea inferior urbs tota, delubris Deorum exceptis, funditus everſa eſt: arx tantum habitatur, Thebarum, non Cadmeæ amplius nomine.*

CAPVT IV.

DE GRÆCORVM DIIS, DÆMONIBVS AC HEROIBVS.

§. I.

Religioni Græcorum origo.

AD religionem Græcorum veterum quæ pertinuerint, exponere priusquam aggrediamur, ut de *origine* ejus, & de naturis illis præſtantioribus, quibus tribui ſuevit cultus religioſus, ſeu de Diis, Dæmonibus ac Heroibus Græcorum, pauca quædam l) præcipiamus, conveniens eſt.

 Ita-

k) In *Bœot.* c. VII. p. 726.

l) Nam longi in hoc ut ſimus, non permittit inſtitu-

Itaque de origine ſic exiſtimandum putamus. Habitatores Græciæ antiquiſſimos, priusquam advenæ ex aliis regionibus ad eos acceſſiſſent, religionis m) omnis minime fuiſſe expertes, ſed nonnulla per ſe inveniſſe, quibus, quæ colerent Numina, honorari poſſe exiſtimarent placarique. Adſciviſſe vero ſucceſſu temporis a populis aliis, ſpeciatim ab Ægyptiis, Phœnicibus, Thracibusque inſtituta conſuetudinesque varias, quibus amplificaretur religio ſplendidiorque redderetur. Sic Herodotus auctor eſt, nomina Deorum, & capita religionis aliqua ab Ægyptiis mutuatos eſſe Græcos. Quod a vero alienum non videbitur ei, qui cogitaverit, Cecropem atque Danaum, quorum hic Argorum, ille Athenarum civitatem condidit, ex Ægypto, mari trajecto, in

ſtituta brevitas. Plura ſi quis deſiderat, ſcriptores adeat ſatis notos, qui de theologia gentilium ex inſtituto ſunt commentati.

m) Quam ſic definit Cicero de invent. rhetor. l. II. p. m. 61. & 70. *Religio eſt, quæ ſuperioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, metum, curam cærimoniamque affert.*

n) L. II. c. 4, 50, 51, 52.

in Græciam adventaſſe, atque nova ibi plurima inſtituiſſe: id quod teſtimoniis veterum plurimis evincit Jo. Marshamus. o) Non urgebo, Phoroneum, regem illum & legislatorem Argivorum antiquiſſimum, qui primus templa fabricatus fertur & altaria, primus item ſacrificia in illa regione obtuliſſe, p) Ægyptium fuiſſe, uti tradi videtur ab Arnobio, q) quia de hac illius origine dubitari video a viris doctis. Illud autem omittendum non duco, quod peregrinationibus, quas viri Græciæ præſtantes

 mul-

o) In *Can. Chron.* p. 110. ſqq. & p. 129. ſqq. edit. Lipſ.

p) Clem. Alexandr. in *Protrept.* p. 28, 67. & *Strom.* l. I. p. 328.

q) Lib. VI. p. m. 191. his verbis: *Quorum* (templorum) *ſi quæris audire, quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Æpyptius, aut Merops tibi fuiſſe monſtrabitur.* Sed Deſiderius Heraldus legendum putat: *aut Phoroneus Ægyptius aut Merops.* „Amat enim, in„quit, Arnobius particulam iſtam (aut) traji„cere, atque involvere ad hoc exemplum.„ Cauſſa ad emendandam interpunctionem præcipua Heraldo, credo fuit, quod Hyginus aliique Phoroneum filium dicant Inachi, Argivorum regis. V. Hyg. *fab.* 242. Marsh. in *Can. Chron.* p. 15. 84. ſq.

multi, e. c. Muſæus, Homerus, Melampus, Dædalus, Lycurgus, Solon, Herodotus, Pythagoras, Plato, in Ægyptum, ſapientiæ & doctrinæ myſteriorumque percipiendorum cauſſa ſuſceperunt, r) effectum fuiſſe utique videatur, ut opiniones de Diis multæ & ritus ſacri plurimi ex Ægypto in Græciam tranſierint. Itaque non merebatur Herodotus, qui reprehenderetur a Plutarcho propterea, quod ſacra Græcos antiquiores aliqua (neque enim de omnibus id dixerat Herodotus) ab Ægyptiis accepiſſe affirmaſſet. s) Porro Phœnices quoque theologiæ ſuæ rituumque ſuorum nonnihil in Græciam, ſpeciatim in Bœotiam, intuliſſe, ex eo fit probabile, quod Cadmea condita regnum illi eadem in regione conſtituerunt, t) ἄλλά τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐισήγαγον διδασκάλια ἐς τὲς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, ὲκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, &, *fixo ibi domicilio, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum vero*

r) Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* l. I. c. 96.
s) De *malignit. Herod.* p. 857.
t) V. §. XVII. cap. III.

vero litteras, quæ apud Græcos antea non fuerant, ut loquitur Herodotus. u) Denique ex Thracibus quoque aliqua hujus generis didiciſſe feruntur Græci, nominatim Attici. Primum enim magiſtro uſi fuerant Orpheo, Thracii generis homine, qui in theologis numerari ſolet antiquiſſimis. Diſerte id profitetur Muſa apud Euripidem: x)

Μυστηρίων τε τῶν ἀποῤῥήτων φανὰς
Ἔδειξεν Ὀρφεύς.

Myſteriorum arcanorum faces (cærimonias facibus adhibitis peragendas)
Docuit Orpheus.

Aeſchylus item apud Ariſtophanem: y)

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε.

Orpheus ritus initiationis nobis oſtendit.

Sed quicquid harum rerum tradidit Orpheus, illud omne eum vel ab Ægyptiis, quos inter verſatus fuerat, habuiſſe, vel ad imitationem ſaltem

u) Lib. V. c. 58.
x) In *Rheſo*, v. 943.
y) In *Ranis*, v. 1064.

rituum Ægyptiacorum commentum eſſe, Diodorus confirmat. z) Perperam igitur ab *Argonauticorum Orphei* auctore Orpheus introducitur, jactans, quod ſacra atque ſacerdotia ipſe in Ægypto inſtituerit: a)

Ἠδ᾽ ὅσον Αἰγυπτίων ἱερὸν λόχον ἐξελόχευσα
Μέμφιν ἐς ἠγαθέην πελάσας.

Et quantam Ægyptiorum ſacram turbam produxerim,
Memphia divinam quum profectus eſſem.

Αἰγύπτῳ Λιβύῃ τε βροτοῖς ἀνὰ θέσφατα φαίνων.

In Ægypto Libuaque hominibus oracula promſi.

Deinde vero Herodotus b) etiam refert, Pelasgos ex parte quadam Thraciæ, ſpeciatim ex Samothrace, maris Ægæi ad Thraciæ oram inſula, quam antea incoluerant, in Atticam conceſſiſſe, Athenienſibusque permix-

z) *Biblioth. hiſt.* l. I. c. 92, 96. IV, c. 25. Cf. Marsh. in *Can. Chron. p.* 264, 270. & 274.
a) Verſ. 43, 100. Vbi cf. not. Eſchenbach.
b) Lib. II. c. 51.

mixtos c) ritus nonnullos ſacros cum his communicaſſe. Atque hoc præcipuum videri poſſit ejus opinionis, qua religionem a Thracibus edocti creduntur Græci, inprimis Attici, fulcimentum. Quicquid vero hujus ſit, dubium mihi nullum eſt, quin Græci, & Attici quidem maxime, licet partes ſacrorum aliquas ab aliis admiſerint, varia ſubinde, ingenioſi quum eſſent, viderique cuperent religioſiores, ipſi quoque excogitaverint, inſtituerintque, quibus incrementum atque decus allatum religioni iri exiſtimarent conciliatumque.

§. II.

Primi Græcorum Dii quinam?

Quod de populis conſtat aliis compluribus,occidentis juxta atque orientis;& de Ægyptiis nominatim vetuſtiſſimis refert Diodorus d) eos mundum ſupra ſe contemplatos, & non ſine ſtupore demiratos univerſi naturam Solem & Lunam (alii corpora mundi totalia etiam alia adjunxere, ipſumque

 cœ-

c) Vti ſupra, c. II. §. VII. commemoratum a nobis eſt.

d) *Bibl. hiſt.* L I. c. II.

cœlum) Deos eſſe exiſtimaſſe, æternos atque primos: idem de habitatoribus quoque Græciæ antiquiſſimis exiſtimandum eſt. Neque enim fallit Socratem opinio, cum apud Platonem e) *φαίνονταί μοι*, inquit, *οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους Θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, γῆν καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανὸν ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι ὕστερον δὲ κατανοοῦντες, τοὺς ἄλλους πάντας ἤδη τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν.* *Videntur mibi Græcorum priſci Deos ſolos putaſſe eos, quos etiam his temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, ſolem, lunam, terram, ſtellas, cœlum. Cum ergo hæc omnia* perpetuo in curſu *eſſe conſpicerent, ab hac natura τοῦ θεῖν* (currendi) *Θεοὺς nominaſſe videntur. Deinde & alios animadvertentes, omnes eodem nomine nuncupaſſe.* Neque id magnopere miran-

e) In *Cratylo* p. 263. Cf. *Timæum* & libros *de legibus*, ubi eadem de re paſſim diſſeritur. Adde Plutarchum *de placitis philoſ.* p. 880. ſqq.

randum eſt. In quo enim magnitudinem pulcritudinemque admirabilem, ordinem quendam definitum & conſtantem, motum perpetuum ac æternis veluti legibus adſtrictum, f) commutationes annuas, quæ eodem ſemper modo fierent, ſtupenda multa, e. c. tonitrua, fulgura, iridem, phænomena ejus generis alia, obſervabant, a quo item utilitates plurimas, easque egregias, ut lucem, calorem, alimenta, & quæ hiſce producendis conducunt, e. c. pluviam, rorem, in genus humanum proficiſci animadvertebant priſci mortales, illud non dubitabant naturæ eſſe præſtantioris, & veneratione hominum cumprimis dignum.

§. III.

Dii ex hominibus facti.

Adſcitum vero tempore ſuccedente Deorum genus etiam aliud fuit, idque ex hominibus factum, qui vel dignitate ac potentia magna, vel meritis egregiis, in terris exſtitiſſent con-

f) V. Ariſtot. lib. II. *de cœlo* c. 3. ubi, propter hunc ipſum motum, cœlum σῶμα τι θεῖον, *corpus quoddam divinum* vocatur.

conſpicui, vel dotibus ſaltem animi corporisve inſtructi fuiſſent præclaris, communemque ſortem excedentibus. Valet id cum maxime de Græcis, quod in univerſum pronunciavit Cicero: g) *Suſcepit vita hominum conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent.* Item h) *In plerisque civitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ cauſſa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium conſecratam.* Nec aliter ſentit Plinius: i) *Hic eſt*, inquit, *vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales Numinibus adſcribantur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ ſupra retuli ſiderum, ex hominum nata ſunt meritis.* Eandem fere in ſententiam Lactantius ſcribit: k) *Privatim vero ſinguli populi, gentis aut ur-*

g) Lib. II. de *natura Deorum* pag. 1182.
h) Libr. III. p. 1198.
i) *Hiſt. nat.* Lib. II. c. 7.
k) *Divin. Inſtit.* Libr. I. qui *de falſa religione* eſt, c. 15.

urbis ſuæ conditores, ſeu viri fortitudine inſignes erant, ſeu feminæ caſtitate mirabiles ſumma veneratione coluerunt, ut Ægyptii Iſidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem utique modo Athenæ Minervam, Samos, Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Apollinem Delphi. Tribuendum vero ea in re, quemadmodum idem quoque obſervat Lactantius, plurimum eſt eorum, qui ſucceſſerant, & pietati & ambitioni. Hi enim ut gratos ſe præſtarent & divina ſtirpe nati viderentur, divinos honores parentibus detulerunt, deferrique juſſerunt. Ac ut memoria eorundem animis hominum unquam ne elaberetur, ſimulacra effinxere defunctorum, quæ in omnium perpetuo verſarentur oculis, divinoque adficerentur honore, tanquam ſigna eorum, qui & olim magna beneficia in gentem vel civitatem contuliſſent, & quorum mentes, poſt fata etiam, ſuæ nationis ſuorumque civium curam gererent enixam.

§.IV.

§. IV.

Dii ex civitatibus facti. Porro cum ab eorum, quos inter Deos poſterorum retulerat pietas, plurimis, ſive viris ſive feminis, civitates certæ vel conditæ eſſent, vel nomen ſaltem ſortitæ; atque ſic mos ferret veterum, ut urbes etiam l) imo na-

l) Qua de re eruditorum fere nemo eſt, qui dubitet, poſtquam illud e monumentis antiquis luculenter oſtenſum fuit a Viris antiquitatis peritis e. c. Antonio Bulifonio in *Raggionamento intorno d'un antico Marmo diſcoverto nella città di Pozzuoli.* Neap. 1694. 12. In quo libello feminarum habitu urbes comparent ſequentes: Thenia, Eioronax, Magneſia, Philadelphia, Tmolus, Cyme, Temnos, Cibyra, Myrina, Epheſus, Apollonidea, Hyrcania, Maſtene, Æge & Hierocæſarea. Recenſuere commentariolum *Actorum Lipſ.* collectores 1694. p. 174. Idem docuit Jacobus Martini, qui in libro *la Religion des Gaulois* T. II. p. 206. „Quant, inquit, à l'Apothéoſe des Villes, que ces Inſcriptions „mettent auſſi dans tout leur jour, il faut ſe „ſouvenir, que l'intention des Anciens étoit „de conſacrer par cette voye, chaque Ville „à certaine Divinitè, dont le nom étoit quelque fois le même que celui de la Ville, & „quelque fois different. Ils qualifioient auſſi quelquefois ce Dieu du nom général de „Génie du lieu. Ils ne s'en tenoient pas encore la; car ils alloient jusqu' à le repré- „ſen-

nationes quoque integras m), imaginibus repræſentarent humanis, iisque ut plurimum ſymbolicis; imagines

„ſenter, & a le perſonifier: & c'étoit une „choſe ordinaire, qu'ils lui immolaſſent des „Victimes, & lui fiſſent des libations. Le „fondement de leur culte étoit la créance „qu'ils avoient que cette Divinité ou Génie, „devenoit par là le Dieu Tutelaire de la „Ville; & qu'il etoit intereſſé à ſa défenſe, „à en detourner les malheurs, & à lui procurer toutes ſortes de biens & de proſperitez.„ Et quis Romam ignorat in nummis feminæ forma effictam, *Deæ*que nomine inſignitam? Vid. Caroli Patini *Numiſmata Imperatorum ex ære mediæ & minimæ formæ*, pag. 2. & ſeqq. Cf. Jacobi Gronovii *Theſaurum Antiquit. Græc.* Tom. I. paſſim, & Bern. Montfaucon *Antiquité expliquée* T. I. p. 292. & *Supplem.* T. I. p. 181. Jo. Ge. Eccardi *Monatl. Auszüge* a. 1700, ubi p. 274. ex della Croce *Hiſtoria antica, e moderna, ſacra, e profana della Citta di Trieſte*, ed. Venet. 1698. fol. obſervatur, quod civitatibus quoque, regionibus, coloniis templa dicari ſueverint, honoresque divini tribui.

m) Ita Cicero de *Nat. Deorum* lib. III. p. 1198. *Nationem* commemorat *Deam*, *cui* (cujus imagini) *res divina fiat*: Pauſanias in *Atticis* cap. I. p. 4. & Cap. III. p. 10. populi Athenienſis in Piræeo, & in quingentorum curia, ſtatuas; & in *Laconicis* cap. XI. p. 234. populi Spartani virili habitu ſignum ingenti magnitudine.

nes autem illæ ipſis etiam conditorum, aut hominum virtute, inventis, aut beneficiis aliis, in civitatibus populisve quondam clarorum, adpellarentur nominibus, vel certe non multum abſimilibus (interdum enim aliquantum inflectebantur nomina:) accidit tandem, ut utriusque generis ſtatuæ, illas puta conditorum, vel hominum bene meritorum, et civitatum populorumve, confunderentur, & quod his tantum competere poterat, illis etiam tribueretur, imo cultus illis principio ſolis adſignatus, his quoque præſtaretur.

§. V.

Hiſtoriæ hominum, & civitatum ab eis conditarum, permixtæ.

Poſtremo ipſæ etiam conditorum & civitatum aut gentium, ab eis inſtitutarum conditarumque hiſtoriæ ita inter ſe fuere permixtæ, ægre uti diſcerni amplius poſſet una ab altera. In Poetis præſertim & mythographis aliis obſervare licet, quod, cum perſonæ cujusdam ſingularis, Diis adſcriptæ, res geſtas videntur enarrare, plurima admiſceant, quæ non niſi de civitatibus, aut gentibus intelligi poſſunt in-

integris, quæ perſonis illis, vel originem ſuam, vel beneficia eximia alia debuere. Pingi autem ab illis hiſtoria civitatum gentiumve ſolet coloribus variis, ſtiloque exprimi multis imaginibus, more quidem veterum, figurato. Illuſtremus rem exemplo aliquo, eoque ex *Minerva* petito, quam Ἀθηνᾶν ſive Ἀθήνην vocare ſolent Græci. De hac quæ narrant ſcriptores veteres, eorum pars minima ad illam Cranai filiam, ex qua regioni & urbi datum nomen fuit, n) referri poteſt: pleraque ad urbem pertinent Athenarum. Itaque Minerva, ſicuti deſcribi vulgo ſolebat, ſtatuaque effingi, ſymbolum erat Athenarum, urbis habitatorumque conditionem, indolem, ingenium, mores, ſtudia atque res geſtas repræſentans. *Forma virginea* venuſta, urbis pulchritudinem, ac ſimul, quod vel expugnata priſco ævo nunquam fuiſſet, vel ſocietatem cum aliis haud iniiſſet; *galea, clypeus, lorica & haſta* belli ſtudium, cui *A*thenienſes incumberent; *inge-*

n) Vid. Cap. II. §. 3.

nium, quod Minervæ tribuebatur, acre, ex ipſo pellucens vultu, & *ſphinge* galeæ impoſita adumbratum, Athenienſes ingenio præ ceteris valere, litteras artesque varias, vitæ humanæ utiles, ex quibus aliquas ipſi etiam excogitaſſent adinveniſſentque, naviter excolere; *noctua* & *gallus* gallinaceus, galeæ interdum additus, eorundem prudentiam, vigilantiam, & nocturno etiam tempore ad litterarum ſtudia, artesque alias exercendas uterentur, n) *draco*, haſtæ inferne adjunctus, hoſtes urbis perdomitos indicabat. Par plane ratio, noſtra opinione ceterorum quoque Deorum Semideorumque eſt; e. c. Apollinis, qui urbis Delphorum in Phocide, ab Apolline quondam conditæ; Herculis, qui Heracleæ in Elide Peloponneſi ab Hercule, fortiſſimo viro, exſtructæ, præbuit imaginem. Hanc ſi ſequamur rationem, via, credo, pa-

n) Noctuam ſapientiæ, prudentiæ, vigilantiæ ac ſobrietatis apud veteres fuiſſe ſymbolum, ex nummis nuper docuit Ludov. de Hemmer in Γλαυκογραφια *variis antiquit. & nummis illuſtrata* (Havn. 1732. 8.) p. 26. ſqq.

patebit plana, quæ nos deducat ad intelligendos fabularum ſcriptores, quibus, quod noſtro potiſſimum ævo viri quidam ſagaciores o) agnovere, hiſtoriam antiquam, illam maxime Græcorum, variis ſub involucris, uti mos tulit priſcus, tradere fuit propoſitum. Etenim regionis vel urbis alicujus expoſituri hiſtoriam, ita ſermonem conformant, ut de perſona loqui videantur ſingulari, nominis in illa ſive urbe ſive regione claritatem quondam adepta, Diisque vel Heroibus tandem adſcripta.

§. VI.

Quum igitur civitates propemodum ſingulæ tum in Græcia continenti, tum in inſulis, tum in regionibus, quo colonias Græci ſuas miſerant, aliis, homines ſuos claros De- *Ingens Deorum numerus unde.*

 orum

o) E. c. Jo. Clericus, in *Bibliotheque univerſelle* paſſim & in *Notis ad Theogoniam Heſiodi;* l'Abbé Banier in *Explication hiſtorique des fables*, it. in *Explications hiſtoriques des Metamorph.* d'Ovide; &, quem primo loco nominare debueram, Vir ſumme Ven. Herm. von der Hardt, qui argumentum hoc ſcriptis illuſtravit plurimis.

orum cœtui inſererent; atque eo tandem ſuperſtitionis procederetur, ut populi etiam, urbes plurimæ, imo fluviorum quoque nobiliores aliqui p) ſub ſignis ſymbolicis religioſe colerentur: accidit ſane hinc, ut pene infinitus tandem exſtiterit Numinum Græcorum numerus.

§. VII.

Tres Deorum ordines.

Tributum vero agmen Deorum omne in ordines potiſſimum tres fuit, quorum primus *Cæleſtibus*, (ἐπȣρανίοις ſive ὀλυμπίοις) alter *Terreſtribus*, (ἐπιχθονίοις, ἐπιγέιοις) tertius denique *Inferis* (χθονίοις, ὑποχθονίοις, κάταχθονίοις) fuit adſignatus. Indicio ſunt verſus iſti primi carminum aureorum Pythagoræ:

Ἀθανάτȣς μὲν πρῶτα θεȣ̀ς, νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα. καὶ σέβȣ ὅρκον, ἔπειθ᾽ ἥρωας ἀγαυȣ̀ς,
Τȣ́ς τε καταχθονίȣς σέβε δαίμονας, ἔννομα ῥέζων.

Pri-

p) De fluviis humana forma repræſentatis, Numinumque loco cultis, locus extat egregius apud Ælianum *Hiſt. var.* l. II. c. 33.

Primum Deos immortales, ut lege ſancitum eſt,
Cole. & venerare jusjurandum; deinde heroas inclytos
Venerare; tum inferos quoque Deos, ordinata lege ſacrificans. q)

Vbi quidem Θεοὶ ἀθάνατοι iidem ſunt, qui ἐπουράνιοι audiunt aliis; ἥρωες vero iidem, qui ἐπίγειοι. Horum itaque Deorum primi cœlo, in ſecundo autem ordine collocati terræ marique, tertiam denique claſſem occupantes locis inferis præeſſe exiſtimati, & pro diverſitate ordinis cultu etiam digni habiti ſunt diverſo; ſic ut maximus cœleſtibus, minor terreſtribus, omnium vero minimus inferis præſtaretur. Ortam vero credimus diviſionem illam tripartitam ex eo, quod hominum, ex quibus Dii iſti facti ſunt, alii regionem montoſam, alii planam, rurſus alii profundiorem vel tenuiſſent vel illuſtraviſſent: itemque ex eo, quod urbium, qua-

q) Cf. Porphyrium de *antro nympharum* fol. 1. col. 2. & *Obſervat.* noſtras *philolog.* P. IIX. obſ. II. §. 2. ſeqq. ubi copioſius de hoc Deorum diſcrimine expoſuimus.

rum ſimulacra ipſa quoque fuere conſecrata, aliæ in montibus, aut locis ſaltem editis, in plano aliæ, aliæ denique in vallibus ſitæ eſſent profundis, aut locis cavernoſis.

§. VIII.

Dii magni XII. Dii principes (μεγάλοι Θεοὶ) habiti fuere duodecim, quos vetus poeta his comprehendit verſibus: r)

Δώδεκά ἐισι θεοὶ μεγάλοι, Ζεὺς, Ἥρα, Ποσειδὼν
Δημήτηρ, Ἑρμῆς, Ἑςία, Κυλλοπόδων,
Φοῖβος, Ενυέλιός τ᾽ Ἄρης, Παλλάς Αφροδίτη,
Ἄρτεμίς, ἐισι θεοὶ δώδεκα ὁι μεγάλοι.

Duodecim ſunt Dii magni, Iupiter, Iuno, Neptunus,
Ceres, Mercurius, Veſta, Claudicans, (Vulcanus)
Phœbus, Mars Enyalius, Pallas, Venus,
Diana, ſunt Dii duodecim magni.

Ennius in verſus coarctavit duos: s) *Ju-*

---

r) Leguntur apud Feithium *Antiquit. Homer.* l. I. c. 1.

s) Apud Apulejum libro de *Deo Socratis* p. 42. edit. Elmenhorſt.

Juno, *Veſta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*,
Venus, *Mars*;
Mercurius, *Iovis*, *Neptunus*, *Vulcanus*,
Apollo.

§. IX.

Jam hos inter Deos munia & officia diſtributa fuere varia, ſic ut *Jovi* cœli regimen tempeſtatumque moderamen; Apollini morborum cura, divinatio, cantus & ſagittandi peritia; *Mercurio* artes variæ, e. c. lucrum faciendi, furandi: deductio item hominum in via, nec non animarum ad orcum; *Marti* bellum; *Neptuno* maris imperium & certamina equeſtria; *Vulcano* artes fabriles; Minervæ artes multifariæ & ſapientiæ, imo belli quoque ſtudia; *Dianæ* ars venandi; *Cereri* frugum terræ; *Veneri* amoris operumque nuptialium; *Junoni* regnorum, divitiarum ac conjugiorum; ac *Veſtæ* tandem domuum cura eſſent attributa. t) Atque his ex officiis cognomina Numinibus modo recenſitis data ſunt varia, ita ut Jupiter. v. c. βασιλεύς,

Deorum munia officia & cognomina.

t) Everh. Feithii *Antiquit. Hom.* lib. I. c. 2.

λευς, ὄμβριος, ἀστραπαῖος, diceretur. Pari modo Dii etiam ceteri Deæque certis cognominibus inſigniti fuere, quæ officiis ipſorum convenirent. u) Obſervari hoc loco meretur, Athenienſes in porticu Jovis Eleutherii, quæ Ceramici urbani pars erat, depictas habuiſſe duodecim Deorum imagines, ea quidem ſpecie, quæ cujusvis facinora atque munia indicaret. x) Porro in foro Athenarum veteri, quod itidem ad Ceramicum pertinebat, aram eisdem Diis duodecim fuiſſe poſitam, cujus Herodotus, Thucydides, Plutarchus aliique meminerunt. y)

§. X.

Dii tutelares urbium atque regionum.

Quin & regiones atque civitates certis tributæ atque conſecratæ fuere Diis, quibus illi ut numina præſiderent tutelaria. Nuncupari ſolebant Dii ejuſmodi, quorum in tutela vel regio, vel urbs aliqua eſſet poſita, tu-

u) Recenſuere illa bonam partem Franc. Rous *Archæolog. Atticæ* lib. II. c. 1. ſeqq. & Lamb. Bos *Antiquit. Græc.* p. I. c. 2.

x) Meurſ. in *Ceramico gemino*, Cap. IV.

y) Meurſ. l. c. Cap. XVI.

tutelares, Πατρῷοι, ἐγχώριοι, ἐγγενεῖς, ἐφέστιοι, πολιοῦχοι & πολιάδες cet. Sic e. c. Minervæ (ad quam quidem urbium in univerſum omnium curam pertinere exiſtimabant) Attica tota cum Athenarum urbe, Junoni Argos, Sparta & Samos Inſula, Jovi Creta inſula, Apollini Delphorum urbs Delus & Tenedos inſulæ, Neptuno Boeotia, Veneri Cyprus & z) Parus inſulæ fuerunt dedicatæ. Quem autem civitas vel regio aliqua ſibi præfecerat Deum, eum honore dignum judicabat præcipuo. Hinc Lucianus: a) Μετὰ δὲ, νειμάμενοι κατὰ ἔθνη, σέβουσι, καὶ πολίτας αὐτῶν ἀποφαίνουσιν· ὁ μὲν Δελφὸς, τὸν Απόλλω, καὶ ὁ Δήλιος· ὁ δ' Αθηναῖος τὴν Αθηνᾶν· μαρτυρεῖται γοῦν τὴν οἰκειότητα τῷ ὀνόματι. Καὶ τὴν Ἡραν ὁ Αργεῖος. καὶ ὁ Μυγδόνιος τὴν Ρέαν. καὶ τὴν Αφροδίτην ὁ Πάφιος. *Poſtea per gentes diſtributos* (Deos) *colunt, ac veluti ſuos cives faciunt: nempe Apollinem Delphi Deliique: Minervam Athenienſes, quæ vel ipſo Athenes nomine*

z) V. *Obſervat.* noſtras *Philolog.* P. IX, Obſ. III.
a) De *ſacrific.* T. opp. I. p. 367.

ne ſe ei reipubl. familiarem eſſe teſtatur, Argivi Junonem, Mygdonii Rheam, Paphii Venerem. Et Minucius Felix: b) *Inde adeo*, inquit, *per univerſa imperia, provincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere & Deos colere municipes, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas magnam matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, univerſa Romanos.*

§. XI.

Dæmones quid. Præter Deos proprie ſic dictos *Dæmonas* etiam coluere Græci, *Heroaſque*. Dæmonum adpellatio ipſis interdum tribuitur Diis e. c. apud Homerum c) his verſibus:

Ἡ δ' Οὔλυμπόνδε βεβήκει,
Δώματ' ἐς αἰγιόχοιο Διὸς μετὰ δαίμονας ἄλλους

Ipſa

b) In *Octavio* Cap. VI. ubi vid. quæ annotavit Cellarius. Cf. Feithium l. c.

c) *Il.* I. v. 222. Vbi vid. Schol. brev. Pollux jam monuit,

Ὁμήρῳ δοκεῖν δαίμονας καλεῖν τοὺς θεούς.
Placuiſſe Homero Deos appellare dæmonas. *Onomaſt.* l. I. c. 1.

> *Ipſa vero* (Minerva) *ad cœlum aſcendit,*
> *Ad domos ægidem gerentis Jovis, ad ceteros Deos.*

ſed apud inferioris ætatis ſcriptores *genios* utplurimum deſignat, ſive naturas divinam inter & humanam medias: Plutarchus: d) Δαιμὸνων γένος ἐν μέσῳ Θεῶν καὶ ἀνδρώπων. *Geniorum* ſive Dæmonum, *genus medio inter Deos & homines loco conſtitutum eſt.* Atque hæc ſignificandi poteſtas Δαίμονος vocabulo in ſchola potiſſimum Platonis ſi non noviter, quod equidem affirmare non auſim, attributa, confirmata ſaltem fuit atque perpetuata. Diſſerat igitur nobis de Dæmonibus Plato, e) ut quid de natura eorum ſenſerit ille Academicorum princeps, cognoſcamus: Digna eſt ſubminiſtrata a Platone Dæmonum deſcriptio, quæ huc apponatur: Μετὰ δὲ τούτους, καὶ ὑπὸ τούτοις ἑξῆς, δαίμονας ἀέριον δὲ γένος, ἔχων ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας ἄιτιον, εὐχαῖς τιμᾶν μάλα χρεὼν, χάριν

d) De *Oraculorum defectu* p. 415. Cf. lib. I. de *Placit. philoſoph.* p. 882.

e) In *Epinom.* p. 702.

χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας. τῶν δὲ δύο τούτων ζώων, τοῦ τ᾽ ἐξ αἰθέρος, ἐφεξῆς τε ἀέρος, οὐ διορώμενον ὅλον, αὐτῶν ἑκάτερον εἶναι· παρὸν δὴ πλησίον, οὐ κατάδηλον ἡμῖν γίγνεσθαι· μετέχοντα δὲ φρονήσεως θαυμαστῆς, ἅτε γένοις ὄντα εὐμαθοῦς τε καὶ μνήμονος, γινώσκειν μεν ξύμπασαν τὴν ἡμετέραν αὐτὰ διάνοιαν λεγώμεν. καὶ τόν τε καλὸν ἡμῶν καὶ ἀγαθὸν ἅμα θαυμαστῶς ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸν σφόδρα κακὸν μισεῖν ἅτε λύπης μετέχοντα ἤδη. *Deinceps vero ſub bis* (Diis maximis) *Dæmones, genus aëreum, in tertia mediaque regione collocati,* qui interpretationis cauſa ſunt. *Eos igitur nos precibus votisque honorare utique debemus, ut bonis verbis intercedant. Genus horum animalium duplex eſt, alterum ex æthere, ex aëre alterum. Neutrum conſpici omnino poteſt: Sed quamvis prope nos ſint Dæmones, nunquam tamen manifeſto nobis apparent. Prudentiæ mirabilis participes ſunt: acuto quippe ingenio, tenacique memoria præditi; imo cogitationes noſtras omnes cognoſcunt. Honeſtos bonosque homines mirifice diligunt, improbos vero vehementer oderunt,*

derunt, *utpote qui doloris ſint participes.* f) Diſtinguebantur vero Dæmones in *bonos* & *malos*. De bonis Platonem modo audivimus loquentem: malos vero Jamblichus g) *genus* vocat *natura deceptorium*, *multiforme atque vafrum*, *quodque ſpecies Deorum*, *Geniorum* bonorum *animarumque hominum defunctorum mentiatur*, (γένος τὶ ἀπατηλῆς φύσεως, παντόμορφόντε καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον θεȣ̃, καὶ δαίμονας, καὶ ψυχὰς τῶν τεθνηκότων.) *Antitheorumque* nomine a Chaldæorum appelletur prophetis. Addit, ἀμαθεῖς εἶναι τῆς τȣ̃ ἀληθȣ̃ς τε καὶ ψευδȣ̃ς διακρίσεως, διὰ τὸ ἐν σκότει τὴν ἀρχὴν τετράφθαι, τάς τε ἀρχὰς, ἀφ᾽ ὧν παράγονται ταῦτα ȣ̓δέποτε δύναϑαι διαγινώσκειν. *Dæmonas* malos *imperitos eſſe ad verum a falſo internoſcendum, quoniam ab initio innutriti ſint tenebris,* *ne-*

f) Conſentanea hiſce paſſim docet Philo Judæus, Platonis ſectator ſtrenuus. V. inprimis librum de *Somniis* p. 455. nec minus Jamblichus, philoſophiæ Platonicæ itidem addictiſſimus, lib. de *myſteriis* c. V. p. 8. edit. Oxon.

g) Cap. XXXI. p. 102. Cf. Philon. de gigantibus p. 222. ſeqq.

neque principia, unde hæc proveniunt, poſſe intelligere.

§. XII.

Dæmonum officia.

Quæ vero dæmonibus ſuſcipiendæ ſint partes, quæve obeunda munia, luculenter rurſus explicat Plato: h) Καί γαὶρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐςι τȣ̃ θεȣ̃ τε καὶ θνητȣ̃. τίνα δὲ δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεύον ϗ διαπορθμεύον Θεοῖς τὰ παρ᾽ ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τά παρὰ θεῶν. Τῶν μὲν τὰς δεήσεις ϗ θυσίας. Τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τὲ ϗ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. ἐν μέσῳ δὲ ὂν Ἀμφοτέρων σύμπληροῖ, ὥςε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέθαι. Δὶα τȣ́τȣ καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ, καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη, τῶν τε περὶ τὰς θυσίας, ϗ τὰς τελετὰς ϗ τὰς ἐπωδὰς, καὶ τὴν μαντέιαν πᾶσαν, καὶ γοητέιαν. Θεὸς δὲ ἀνθρύπω ȣ̓ μίγνυται, ἀλλὰ δὶα τȣ́τȣ πᾶσά ἐςιν ἡ ὁμιλία, καὶ ἡ διάλεκτος Θεοῖς πρὸς ἀνθρώπȣς, καὶ ἐγρηγορȣ̃σι καὶ καθεύδȣσι. *Omnis natura Dæmonum inter mortales Deosve eſt media. Quam vim habet? Interpretatur & trajicit humana ad Deos, divina ad homines: horum quidem preces & ſacrificia; illorum*

h) In *Sympoſio*, p. 327. Cf. *Epinom.* l. c. & Jamblichum l. c.

rum præcepta ſacrificiorumque retributiones. In utroque media conſtituta totum complet, ut univerſum ſecum ipſo tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, ſacerdotumque diligentia circa ſacrificia expiationesque & incantationes, & divinationem omnem atque magicam. Deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus. Addi his officiis poteſt *mortalium obſervatio*, quam pridem ante Platonem Dæmonibus adſignaverat Heſiodus: i)

> Ἀυτὰρ ἐπεί κεν τȣ̃το γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν
> Τοὶ μὲν δαίμονές ἐισι, Διος μεγάλȣ διὰ βȣλὰς,
> Ἔθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
> Ὅι ῥα φυλάσσȣσιν τε δίκας ϗ σχέτλια ἔργα,
> Ἥερα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ᾽ αἶαν
> Πλȣτοδόται. ϗ τȣ̃το γέρας βασιλήϊον ἔχον.

Ve-

i) *Op. & dier.* v. 121. Cf. ibi notas Heinſii.

Verum poſtquam hoc genus terra abſcondit,
Ii quidem Dæmones facti ſunt Jovis, magni conſilio,
Boni, in terris verſantes, cuſtodes (obſervatores) *mortalium hominum:*
Qui quidem obſervant & juſta & prava opera,
Aere induti, paſſim oberrantes per terram,
Opum datores. Atque hanc regiam dignitatem conſecuti ſunt.

§. XIII.

Heroes quinam. *Heroas* Græci eos vocabant, qui cum partim ex Diis, partim ex hominibus eſſent geniti, atque corporis animique dotibus, v. c. robore, venuſtate, fortitudine, ſapientia, in vita eminuiſſent, locum poſt mortem inter Deos hominumque animos tenerent medium, nec ac non minus, quam Dii ipſi, invocandi eſſent, ac honore ſingulari proſequendi: quo circa & Ἡμιθέας, ſive *Semideos*, illos appellari moris erat. Lucianus: k) Τί

k) In *dial. mort.* T. Opp. I. p. 267. edit. Græv.

Τί δὲ ὁ ἥρως ἐςὶν; ἐξ ἀνθρώπε τι καὶ Θεᾶ σύνθετον, ὃ μήτε ἄνθρωπός ἐςιν, μήτε Θεὸς, καὶ συναμφότερόν ἐςι: *Quid eſt Heros? Eſt quiddam ex homine & Deo compoſitum: quod neque eſt homo neque Deus, ſed utrumque ſimul.* Thales, Pythagoras, philoſophi nonnulli alii, Heroas τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων, *animas* eſſe dixerunt *a corporibus ſeparatas.* l) Jamblichus m) hunc in modum deſcribit: Ἡ τῶν ἡρώων ἐπιτεταγμένη ὑψηλοτέρα μὲν τῆς τῶν ψυχῶν τάξεως, δυνάμει καὶ ἀρετῇ, κάλλει τε καὶ μεγέθει, καὶ πᾶσι περὶ τὰς ψυχὰς ἀγαθοῖς ὦσι παντελῶς αὐτὴ ὑπερέχεσα, προσεχὴς δ' ὅμως αὐταῖς συναπτομένη, διὰ τὴν τῆς ζωῆς ὁμοειδᾶς συγγένειαν. *Heroum ordo animarum ordine excelſior, ſuperiorque poteſtate, virtute, pulchritudine & magnitudine, omnibusque ad animas bonis pertinentibus longe ditior, proxime animabus conjunctus, propter vitæ, quæ eſt in utrisque, ſimilitudinem & affinitatem.* Exempla Heroum dare poſſunt Hercules, Achilles, Di-

l) Plutarch. *de Plac.philoſ.* p. 882.
m) De *myſter.* cap. V.

oſcuri, ſive Caſtor & Pollux, Menelaus, quem propterea ἡμίθεον, *Semideum*, vocat Theocritus, n) atque Helena. Heroum ultimum Cleomedem oraculum prædicavit Aſtypalenſem. o) Heroum tamen aliquos Deorum in numerum receptos tandem fuiſſe traditum eſt, ſic ut qui prius Heroicis tantum gaviſi eſſent honoribus, divinis afficerentur poſtea. Herculi certe, Dioſcuris atque Helenæ illud contigiſſe Lucianus p) narrat; & Lampſacæ, virgini illuſtri, Plutarchus q). Vocabantur tales Θεοὶ παρέγγραπτοι, *Dii adſcriptitii.* r)

§. XIV.

Dii Athenienſium peregrini. Non tacenda nobis hoc loco ſingularis Athenienſium in Diis ſingulis colendis cura eſt, qua factum, ut Deos etiam externos atque peregrinos adſciverint. Cum enim illi, teſte Pau-

n) *Idyll.* XVIII, v. 18.
o) Pauſan. in *Eliacis poſter.* cap. IX. p. 474.
p) In *Charidemo* T. II. p. 784.
q) De *virtut. mulierum* p. 255.
r) Lucian. in *Jove tragœdo* T. II. p. 140. ubi Hercules, Bacchus, Ganymedes & Æſculapius ſic appellantur.

Pauſania, s) diligentia in Diis venerandis, religioniſque ſtudio omnes anteirent; Deos undique omnes ſtudioſiſſime quaſi conquirebant. Scilicet quo plures colerent Deos, eo majorem ſuam fore felicitatem exiſtimabant. Simulac igitur intelligerent, eſſe huic iſtive genti Numen aliquod ipſis nondum receptum, aut cognitum, non ſolebant committere, quin illud quoque civitate donarent, præſertim, ſi cultores idem ſuos fovere, juvare & proſperitate cumulare opinarentur. Neque tamen Numinum peregrinorum ullum cultu condecorabatur publico, priusquam decreto ſolemni juſſiſſet venerabilis Areopagitarum ſenatus, uti quidem colligi poteſt ex Harpocratione. t) Ex quo ratio intelligi poteſt, quare Paullus, quum Deos annunciare videretur peregrinos, ad eundem ſenatum raptus ſit. u) Ceterum ex illa Athenienſium conſuetudine Numina admittendi peregrina, originem traxit Θεοξενίων ſolemni-

s) In *Att.* c. XVII. & XXIV.
t) In vocibus ἐπιθέτους ἑορτάς.
u) Actor. XVII, 19.

lemnitas, qua Diis peregrinis omnibus ſacra ſolebant fieri. x)

§. XV.

Dii ignoti. Quin & tanta fuit Athenienſium religio, ut Deos etiam *ignotos* colendos ſibi ſumſerint, veriti ſcilicet, ne quem forte Deum inimicum ſibi experirentur, cui, licet ignoto, honorem non præſtitiſſent. Liquet res ex Pauſaniæ & Philoſtrati teſtimoniis, quorum hic y) Σωφρονέστερον, inquit, τὸ περὶ πάντων Θεῶν εὖ λέγειν καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν, οὗ καὶ ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται. *Majoris virtutis eſt, bene de omnibus Diis ſentire; maxime Athenis, ubi etiam ignotis Diis aræ ſunt conſtitutæ:* Ille *aram* memorat z) *ignotorum Deorum*, ab Athenienſibus dedicatam. Sed & uni ſingulari Numini ignoto honorem ab eisdem habitum, aramque fuiſſe collocatam; abunde produnt hæc Luciani, a) vel quisquis ejus libelli auctor eſt:

x) Vid. Heſychium, voc. Θεοὶ ξενικοὶ & Θεοξένια. Athenæum *Dipnoſoph.* l. IX. p. 372. & Caſauboni in illum *animadverſiones* p. 405.

y) In *vita Apollonii* l. VI. c. 3.

z) *Eliacorum* lib. I. c. XIV.

a) In *Philopatr.* ſub finem. T. II. p. 780. cf. p. 769.

eſt: Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρα εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν, ὡς καταξιωθέντες τοιούτου κράτους ὑπήκοοι γενέσθαι. *Nos vero ignotum, qui eſt Athenis,* Deum (qua appellatione ad ipſum ſummum hujus univerſi reſpici conditorem, quem Socrates apud Platonem b) & inventu difficilem eſſe ait, & ineffabilem, plerorumque eſt opinio) *a nobis inventum adorantes, manibus in cœlum ſublatis, eidem gratias agemus, ut qui digni facti fuerimus hujusmodi poteſtati atque virtuti ſubjecti eſſe.* Accedit de ara, eidem collocata Numini, ipſius Apoſtoli teſtimonium longe graviſſimum. c) Ceterum quæ Diis ignotis ſtatutæ fuerant aræ, eas βωμοὺς ἀνωνύμους appellari moris erat, quod non, ut ceteræ, certo cuidam Numini conſecratæ eſſent inſcriptæque. Tales aras ſuo etiam

b) In *Timæo* p. 526. Τὸν μὲν ποιητὴν καὶ τὸν πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Opificem quidem & patrem mundi invenire difficile, & cum jam inveneris, prædicare in vulgus nefas.*

c) Actor. XVII, 23.

iam tempore Athenis reperiri Diogenes Laertius, d) qui Antonino Pio & Commodo Imperatoribus floruiſſe creditur, confirmat. Quo ex ſcriptore ſimul cognoſcitur, aris iſtis ponendis Epimenidis occaſionem dediſſe conſilium, qui peſtilentiæ, Athenis obortæ, depellendæ cauſa, ſuaſit, ut ſacrificia fierent τῷ προσήκοντι Θεῷ, *Deo convenienti*, h. e. ei, qui peſtilentiæ avertendæ poteſtatem haberet, quisquis tandem ille eſſet. Ignorabatur enim tunc, cuinam potiſſimum Deo poteſtas illa competeret.

CAPVT V.

DE AGRIS LVCISQVE, DEORVM HONORI ATQVE CVLTVI CONSECRATIS.

§. I.

Agri Diis ſacrati. IN locis, quos honori Deorum atque cultui conſecrare ſueverunt Græci antiqui, primi nobis occurrunt *agri* atque *luci*. Solebant nempe certæ agrorum portiones Diis dedicari, quas

d) In *vita Epimenidis* p. 78. edit. Caſaubon.

quas Cicero e) *agros* vocat *Deorum immortalium*, *exceptosque lege cenſoria.* Græci τεμένη appellabant, quaſi τετμημένα, loca *reſecta* ſeu *ſecreta*, puta ab uſu vulgari. Didymus, vel quisquis auctor eſt ſcholiorum brevium in Homerum, f) ſic explicat vocem τέμενος. ἱερὸν χωρίον ἀφωρισμένον Θεῷ κατὰ τιμὴν, ἢ ἥρωϊ, *ager eſt ſacer*, *Deo aut Heroi alicui in honorem ſeparatus.* Talium agrorum paſſim meminit Homerus, meminit etiam plurimis locis Pauſanias, cui ſolum quoque eo fine ſejunctum a cetero, ut templum ei inædificetur, τέμενος dicitur. g) Interdum idem vocabulum ſenſu accipitur multo latiori, ſic ut locum deſignet quemvis, honoris cauſſa alicui conſecratum, nec non templum & altare, imo omne id, quod vel Deo, vel Regi alicui dedicatum eſt. Heſychius: h) τέμενος πᾶς ὁ μεμερισμένος τόπος τινὶ εἰς τιμὴν, ἢ ἱερὸν καὶ βωμὸς, ἢ ἀπονεμηθὲν Θεῷ ἢ βασιλεῖ. Τέμενος *omnis locus dicitur, qui in honorem alicui eſt peculia-*

e) De *Nat. Deorum* lib. III. p. 1198.
f) Ad *Il.* verſ. 696.
g) *Eliac. poſter.* c. VI. p. 467.
h) In *Lexico* p. 899.

riter dicatus, aut templum & altare, aut quidquid Deo aut Regi alicui ſeparatum eſt. De rege quod dicit Heſychius, illud egregie declarat Servius ad hunc Virgilii verſum: i)

Inſuper his (dabit) *campi quod Rex*
habet ipſe Latinus:

„Mos fuerat, ut viris fortibus ſive „Regibus, pro honore daretur ali„qua agri particula, ut habuit Tar„quinius ſuperbus in campo Mar„tio: quod ſpacium ab Homero τὸ τέμενος dicitur. Iul. Pollux k) terram Diis dedicatam γῆν ἱερὰν, καὶ ὀργάδα, *tellurem ſacram & orgada* etiam vocari obſervat. Helladius tamen l) Athenienſes ὀργάδος vocabulum, quo quidem communiter omnis vocetur terra, quæ ſit apta ad fructus procreandos, illi ſpeciatim tribuiſſe ait terræ, τῇ ταῖν θεαῖν ἀνειμένῃ τῆς Ἀττικῆς μεταξὺ καὶ τῆς Μεγαρίδος, *quæ eſt inter Atticam & Megaridem, duabus ſacratam Deabus* (Cereri ac Proſerpinæ). Quam terram

i) *Æneid.* l. IX. verſ. 274.
k) In *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 10.
l) In *Chreſtomath.* p. 19. edit. Meurſ.

ram coli non debuiſſe, ex Thucydide m) intelligitur & Plutarcho n).

§. II.

Conſecrabantur vero, quos diximus, agri eo potiſſimum conſilio, ut fructus inde collecti ad uſus adhiberentur ſacros. Diſcimus ex Platone, qui conſtitui jubet o) ταμίας τῶν τε ἱερῶν χρημάτων ἑκάστοις τοῖς ἱεροῖς, καὶ τεμενῶν, καὶ καρπῶν τούτων καὶ μισθώσεων κυρίους, ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων, τρεῖς εἰς τὰ μέγιστα ἱερὰ, δύο δ' εἰς τὰ μικρότερα, πρὸς δὲ τὰ ἐμμελέστατα ἕνα, *Quæſtores & aſſervatores ſacræ pecuniæ in templis ſingulis, qui agrorum Diis dedicatorum, & fructuum ex iis, conductionumque & locationum ſint domini; tres de maximis cenſibus, pro templis maximis, duos pro minoribus, pro mediis maximeque concinnis unum.* Ex quo loco id ſimul patet, agros illos ſacros elocari ſueviſſe: docetque Iſocrates, p) τὰ μισθώματα, *locationis reditus* impenſos

Agri illi cur fuerint conſecrati.

m) *Hiſt.* l. I. p. 93. ubi vid. Scholia.
n) In *Pericle* p. 168. Cf. Feithii *Antiq. Homer.* l. I. c. 3.
o) De *leg.* l. VI. p. 616. 617.
p) In *Orat. Areopagit.* p. 288.

ſos fuiſſe ſacrificiis, in templo aliquo faciendis. Tuti a furibus ut eſſent agrorum ſacrorum fructus, ſepto cingebantur, quod *περίβολον* appellatum fuiſſe teſtatur Pollux. q)

§. III.

Luci quid. Templis priusquam adſtringeretur Deorum cultus, ſilvas, ſacrorum, cauſſa, dedicare in more habuerunt uti gentes complures aliæ, ita Græci quoque. Lucianus: r) *καὶ πρῶτον μὲν ὕλας ἀπετέμοντο, καὶ ὄρνεα καθιέρωσαν, καὶ τὰ φυτὰ ἐπεφήμισαν ἑκάστῳ Θεῷ -- Ἔπειτα δὲ ναοὺς ἤγειραν. Primum quidem ſilvas conſecrarunt, montes dedicarunt; præterea aves conſecrarunt, ſuamque cuique Deo plantam aſſignarunt. -- Poſtea vero fana erexerunt.* Nuncuparunt vero Græci ſilvas Numini ſacratas *ἄλση*, voce ab Hebraico אֵשֶׁל, quod in hiſtoria Abrahami occurrit, s) non multum diſſonan-

q) In *Onomaſt.* l. c.

r) De *ſacrific.* T. Opp. I. p. 367. Conf. Plin. *Hiſt. nat.* l. XII. c. 1.

s) Geneſ. XXI. 33. ubi Abrahamum *nemus* aliquod *plantaſſe* legimus, *Deumque æternum in eo invocaſſe*, h. e. ſacra Numini ſupremo pu-

nante. Docet quidem Strabo, t) poëtas omnia ἱερὰ, ſive *loca ſacra*, ἄλση vocitare, etiam arboribus carentia; obſervatque Iſaacus Caſaubonus, t) venire eodem nomine locum quemlibet κάθυγρον καὶ κατάδενδρον, *humidum & arboribus conſitum.* Vt plurimum tamen reſtringitur vox ad loca arboribus, plerumque infrugiferis, x) iisque proceris, ac umbram oblectationemque afferentibus, y) e. c. ulmis, quercubus, fagis, platanis, pinis, abietibus cet.) denſa, aquis ut plurimum, quandoque etiam collibus, vallibus, aut antris inſtructa, certis cærimoniis ſacrorumque ritibus conſecrata, & vel uni alicui Deo aut ſemideo, vel etiam pluribus Diis at-

publice feciſſe. Ex quo ſumma ejus conſuetudinis apparet antiquitas.

t) *Geopraph.* l. IX. p. 632.

u) Ad Strab. l. III. p. 226. Cf. Heſych. v. Ἄλσεα.

x) Interdum tamen etiam frugiferis, ut olea, imo quandoque & odoriferis. V. Spanhem. ad *Callim.* p. 157. & 595. Sed de infrugiferis arboribus vid. quæ ex Herodoti l. II. c. 138. & Cyrillo Homil. IV. *in Jerem.* attulit Jo. Potterus *Archæol. Att.* l. II. c. 2. p. 209. Cf. Herod. l. V, c. 119. Callim. *hymno in Cer.* v. 26.

y) Hinc luci ψυκτῆρες dicti, & ψυκτήρια, quod *frigus* ibi *captari* poſſet. Spanh. l. c.

atque Heroibus, aut etiam Manibus defunctorum dedicata, & vel circa delubra, vel circa ſepulcra, vel etiam circa alia loca, aut ſponte ſua nata, aut arte plantata, in quibus varia olim ſacra obibantur. z) Latini *Lucos* dixerunt, quod *crebris collucerent luminibus, quæ ibi propter religionem cultumque fiebant*, ut Iſidorus loquitur; a) niſi forte ex Græco λοχιὰς, quo *ſilvam* appellari Heſychius docet, lucum dictum eſſe malis.

§. IV.

Luci ad ſacra cur delecti.

Nemora autem talia ad cultus divini cærimonias duplici potiſſimum de cauſſa delegerunt veteres. Primum enim opacitas & ſolitudo, ſimul cum proceritate arborum inſigni, horrorem aliquem ſanctum incutere.

z) Vtimur deſcriptione Andr. Chriſtiani Eſchenbachii, in *Diſſertat. acad.* p. 138. ſq. qui deſcriptionis hujus partes ſingulas uberius deinceps declarat. Cf. Diet. Dresleri diſſert. de *lucis religioni gentilium deſtinatis*. Lipſ. 1720.

a) *Origin.* l. XIV. c. 8. Colluſtrabantur nempe luci tum igne ſacrificali, tum lucernis, quæ ex arboribus ſuſpenſæ eſſent.

tere poterant animis, & Numinis cujusdam præſentis fidem facere. Hinc Ovidius: b)

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra:

Quò poſſis viſo dicere: Numen ineſt.

Et Seneca: c) *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis, frequens lucus, illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ fidem Numinis facit.* Plinius: d) *Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus.* Deinde ipſa quoque amœnitas & grata umbra, ſole præſertim urente, allicere poterat homines, ac efficere, ut non ſine voluptate, & jucunditate aliqua, cultum Diis præſtarent. Hinc lucum Virgilius e) *lætiſſimum* vocat *umbra*, h. e. umbræ ſuæ ſuavitate ingreſſos recreantem oblectantemque.

§. V.

b) *Faſt.* III, v. 295.
c) *Epiſt.* l. V. ep. 4.
d) *Hiſt. nat.* l. XII. c. 1.
e) *Æn.* l. II, v. 445. Cf. Hoſ. IV, 13.

§. V.

Lucorum & arborum ſingularium conſecratio.

Conſecratos, apud Græcos quoque, lucos certis quibusdam fuiſſe ritibus atque cærimoniis, equidem inficiari nolo. At non poſſum tamen, quin moneam, illum Theocriti locum, f) ex quo colligi ſolet, g) lucos coronatione arborum, unctione, tabulisque appenſis conſecrari ſueviſſe, ad lucos trahi integros minime poſſe, quum ad arborem pertineat ſingularem, Heroinæ alicujus honori dicandam. Sed afferamus locum:

Πρᾶτάι τοι ϛέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐξομένοιο
Πλέξασαι, σκιερὰν καταθήσομεν ἐς πλατάνιϛον.
Πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
Λαζόμεναι ϛαξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιϛον.
Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριὼν τις
Αγνόιη) Δωριϛὶ, Σέβȣ μ'. Ἑλένας φυτὸν ἐιμί.

Pri-

f) In *Epithalam. Helenæ. Idyll.* XVIII, v. 43.
g) Eſchenbach. l. c.

Primæ tibi (loquuntur virgines Spartanæ Helenæ, Menelao recens nuptæ) *coronam ex humi naſcente loto*
Nectentes in umbroſa ſuſpendemus platano:
Et primæ tibi ex argentea pyixde liquidum unguentum
Accipientes, ſtillabimus ſub umbroſam platanum.
Litteræ vero in cortice ſcribentur (ut quis præteriens
Legat) Dorice: Venerare me: nam Helenæ arbor ſum.

Nempe arbores etiam ſingulares conſecrari moris erat. Exemplo eſſe poſſunt arbor illa Cithæronis, montis in Bœotia, in quam Pentheus aſcendiſſe ferebatur, ut ſacra ſpecularetur Bacchica, cui arbori, oraculi juſſu, honores habiti poſtea ſunt divini: h) platanus item Menelais, quam Menelaus, cum exercitum adverſus Trojam cogeret, plantaſſe dicebatur: nec non vitex, quæ apud Samios extabat, ad Iunonis (Ἥρας. Sic enim ſcri-

h) Pauſ. in *Corinth.* c. II, p. 110.

ſcripſit Pauſanias, non Ἡρωϊ, ut in vulgatis legitur) ædem: porro quercus Dodonæa, olea in arce Athenarum, & palma vel olea illa Deli inſulæ, qua apprehenſa Latona peperiſſe dicebatur Apollinem & Dianam, i) illa denique

antiqua cupreſſus,
Relligione patrum multos ſervata per annos,

juxta templum vetuſtum Cereris, cujus meminit Virgilius. k)

ſ. VI.

Aræ in lucis & ſimulacra. Aras in lucis collocatas fuiſſe, tum ex eo patet, quod βωμούς τε καὶ ἄλσεα, *aras lucosque*, Callimachus, l) & βωμοὺς καὶ τεμενίων φυλλάδα, *aras & lucum frondoſum*, Sophocles m) coniungunt. Confirmatur etiam magis hiſce Apollonii Rhodii: n) Τό,

i) Recenſet ſingulas Pauſan. in *Arcad.* c. XXIII. p. 643.
k) *Æn.* l. II. v. 714. Cf. Feith. *Antiqu. Homer.* l. I. c. 3. p. 17.
l) Hymnis in *Dianam*, v. 38. & in *Pallad.* v. 63, 64.
m) In *Trachin.* v. 763. Cf. Spanhemium ad l. Callim. cit. priorem.
n) *Argonaut.* l. IV. v. 1714.

τόι δ' ἄγλαον Ἀπόλλωνι
Ἄλσει ἐνὶ σκιερῷ τέμενος, σκιόεντά τε βω-
μόν.

Illi igitur pulcrum Apollini
Vmbroſo in luco ſacellum, umbroſam-
faciebant aram.

Et quum Deorum ſimulacra aris adjungi ſolerent fere perpetuo; nullum eſt dubium, quin in lucis quoque idem fuerit obſervatum. n)

§. VII.

Vſum lucorum ſi requiras, idem fuit, qui templorum poſtea. Nam & preces ibi atque ſacrificia fiebant, & omnis generis ritus ſacri atque cæremoniæ peragebantur. Panegyres etiam nonnullæ ſacræ in lucis habebantur. Sic e. c. Παμϐοιώτια in luco ad Coroneam, Bœotiæ oppidum, prope fanum Itoniæ Minervæ celebrabantur. Erant vero Παμβοιώτια ἑορτὴ κοινὴ πάντων Βοιωτῶν, *feſtum commune Bœotorum omnium*, o) cujus memi-

Lucorum uſus.

n) V. Eſchenbach. l. c. p. 468.
o) Teſtante Euſtathio apud Caſaub. ad Strab. l. IX. p. 631.

nere Strabo, p) Pauſanias, qui κοινὸν τῶν Βοιωτῶν σύλλογον, *commune* vocat q) *Bœotorum concilium*, & Plutarchus: r) meminit etiam inſcriptio antiqua, Lebadeæ in Bœotia reperta, quam Sponius s) & Whelerus t) vulgarunt. Interdum & comitia populi in lucis agebantur. Strabo: u) Αἰγιέων δ' ἐστὶ καὶ ταῦτα καὶ Ἑλίκη, καὶ τὸ τοῦ Διὸς ἄλσος τὸ Αἰνάριον, ὅπου συνίεσαν οἱ Ἀχαιοὶ, βουλευσόμενοι περὶ τῶν κοινῶν. *Ægienſium hæc quoque ſunt, & Helice, Ænariusque Jovis lucus, quo Achæi convenerunt in unum conſulturi.*

§. VIII.

Flagitia in lucis exercita. Sed & omnis generis flagitia in lucis fuere exercita. Neque enim eſt, cur quis caſtiores his in locis ſeſe præſtitiſſe exiſtimet Græcos, quam orientis populos, quos impuritatem nul-

p) Loco cit.
q) In *Bœot.* c. XXXIV. p. 778.
r) In *amator. narrat.* p. 774.
s) In *Voyage* T. II. p. 332.
t) In *Voyage* T. II. p. 372.
u) Lib. VIII. p. 593. Cf. Spanhem. ad Callim. p. 595. 596.

nullam in lucis prætermiſiſſe, ſcriptores teſtantur tum ſacri, x) tum veteres alii. Sic de nemore quodam ac delubro, Veneri apud Phœnices ſacro, in ſummo quodam vertice montis Libani, ſcribit Euſebius: y) Σχολή τις ἦν αὕτη κακοεργίας πᾶσιν ἀκολάστοις, πολλῇ τε ῥαστώνῃ διεφθορόσι τὸ σῶμα, γυνίδες γοῦν τινες ἄνδρες, οὐκ ἄνδρες, τὸ σεμνὸν τῆς φύσεως ἀπαρνησάμενοι, θηλείᾳ νόσῳ τὴν δαίμονα ἱλεοῦντο. Γυναικῶν τ' αὖ παράνομοι ὁμιλίαι, κλεψίγαμοί θ' ὁμιλίαι, ἀῤῥητοί τε καὶ ἐπίῤῥητοι πράξεις, ὡς ἐν ἀνόμῳ καὶ ἀπροστάτῃ χώρῳ, κατὰ τόνδε τὸν νεὼν ἐπεχειροῦντο. *Erat illic ſchola quædam nequitiæ omnibus impuris hominibus, quique nimia licentia corpus corruperant, aperta. Nam quidam molles & effeminati viri, & feminæ potius dicendi, quam viri, abdicata ſexus ſui gravitate, muliebria patientes, dæmonem placabant. Adhæc illegitimi mulierum concubitus & adulteria, fœdaque ac nefaria flagitia in eo templo, tanquam in*

x) V. I. Reg. XIV, 23. 24. XV, 12. 13. Eſ. LVII, 4. 5. Jer. II, 20. Ezech. VI, 13. Hoſ. IV, 13.
y) De *vita Conſtantini* l. III. c. 55.

in loco ab omni lege & Rectore vacuo, peragebantur. Haud immerito igitur lucos Horatius z) *parum caſtos* appellavit. Nam apud Romanos quidem haud aliter res ſeſe habuit: a) quos compotationibus etiam operam in lucis dediſſe ſtrenue, ex hoc Tibulli colligas diſticho: b)

Ruſticus e lucoque vehit male ſobrius ipſo
Vxorem plauſtro, progeniemque domum.

Ex his igitur intelligi facile poterit ratio, quare Iſraelitas Deus lucos jusſerit excidere c)

§. IX.

Violatio luci interdicta. Septum. Violare lucum ſummum habebatur nefas, capitisque pœna interdictum fuerat Athenis. Ælianus: d) Ὅτι τοσοῦτον ἦν Ἀθηναίοις δεισιδαιμονίας, εἴ τις πρινίδιον ἐξέκοψεν ἐξ Ἡρῴου, ἀπέκτειναν αὐτόν. *Tantum ſuperſtitionis inerat Athe-*

z) *Carm.* l. I. Od. XII. v. 59.
a) Vide locum Ciceronis, quem ſub finem §. ſq. allegabimus.
b) Lib. I. *Eleg.* X. v. 51.
c) Deut. VII, 5.
d) *Hiſt. var.* l. V. c. 17.

Athenienſibus: Si quis vel parvam ilicem excidiſſet e luco Herois alicuius, eum morte mulctabant. „Imo vero „ne frondem quidem licuit ex luco „ſumere, ac dare pecoribus ægris, ne- „que paſcere in loco ſacro. Vnde a- „pud Ovidium Paſtor, rogans ſibi „veniam, e)

„*Sive Sacro pavi, ſedive ſub arbore ſacra,*
„*Pabulaque e buſtis inſcia carpſit ovis.*
„*Si mea fax ramo lucum ſpoliavit opaco,*
„*Vnde data eſt ægræ fiſcina frondis ovi.*

„Sic quum Hyrnethoni, Temeni fi- „liæ, exſtructum eſſet ἡρῷον, addita „eſt illi loco & agro lex, ut neque „avulſa ventis ex oleis, aut ex aliis „arboribus iſtius loci liceat domum „auferre, aut in ſuum adhibere u- „ſum: Sed prorſus iſtic relinquere ea „oportebat, tanquam ſacra Hyrne- „thoni f). Quod ſi vero quis, lucum

 arbo-

e) *Faſt.* L IV. v. 747.
f) V. Pauſan. *Corinth.* c.28. Debemus obſerva-
tio-

arboresve ſacras cædere auſus, pœnam ab hominibus infligendam forte effugiſſet, ipſa illa, quibus dicata nemora eſſent, Numina graviter ulciſci facinus, exiſtimabatur. Hinc Eryſichthonem, Theſſalum, quod cum ſervis viginti, quos ſecuribus armaverat aſciisque, in ſacrum Cereris nemus irruiſſet, illudque ferro temeraſſet, immiſſa abs Cerere fame perpetua, eaque adeo atroci, ut, licet cibis præſentibus aſſidue veſceretur, nunquam tamen exſaturari potuerit, vexatum fuiſſe, Callimachus g) & Ovidius h) perhibent. Sic etiam cædem Clodii, quod facta is irreligioſa ſimilia commiſiſſet, Deorum immortalium cura, juſtaque vindicta, perfectam eſſe, judicibus perſuadere conatur Cicero i). *Vos*, inquit, *Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque teſtor, vosque Al-*

tionem hanc egregiam Jac. Perizonio, qui illam in *Commentar.* ad locum Æliani modo cit. ſubminiſtravit.

g) *Hymno in Cer.* v. 33. ſqq.

h) *Metamorph.* l. VIII, v. 824.

i) Orat. pro *T. Ann. Milone*, p. m. 581. Cf. Eſchenb. l. c. p. 180.

Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ, & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratisque ſanctiſſimis lucis, *ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: Veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit, tuque ex tuo edito monte Latiari, ſancte Jupiter, cujus ille lacus,* nemora, *fineſque ſæpe omni nefario ſtupro & ſcelere maculaرat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſtis: Vobis illæ, vobis veſtra in conſpectu ſeræ, ſed juſtæ tamen, & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt.* Vt autem a violandis lucis eo magis arcerentur homines parum religioſi, ſepto illi aliquo concludi ſolebant, quod περίβολον appellat Pollux k). Pauſanias: l) Ὑπὲρ δὲ τὸν ναὸν τῆς Ἀθηνᾶς, ἔςιν ἄλσος περιῳκοδομημένον τέιχει, Σωτέιρας ἐπίκλησιν. *Supra Minervæ delubrum lucus eſt muro circumſeptus, Dianæ Soſpitæ ſacer.*

§. X.

Tanta igitur lucorum quum fuerit religio, quis attributum eisdem mi- *Luci aſyla.*

k) In *Onomaſt.* l. I. ſegm. I. c. 10.
l) In *Achaicis* c. XXVII. p. 594.

miretur jus aſyli? Tuti, nempe, in illis erant ſcelerati, ſi ſupplices eo confugiſſent, nec poterant inde, absque ſacrilegii crimine, vi quadam abripi. Pauſanias: m) Παρὰ δὲ Φλιασίοις τῇ Θεῷ ταύτῃ καὶ ἄλλαι τιμαὶ, καὶ μέγιστον τὸ ἐις τὰς οἰκέτας (leg. ἱκέτας) ἐστί. δεδώκασι γὰρ δὴ ἄδειαν ἐνταῦθα ἱκετεύουσιν. λυθέντες δὲ οἱ δεσμῶται, τὰς πέδας πρὸς τὰ ἐν τῷ ἄλσει δένδρα ἀνατιθέασιν. *Habent huic Deæ* (Hebæ) *Phliaſii honores multos, ſummum vero omnium, quod qui ſupplices huc* (*ad ſacrum cupreſſetum in arce*) *confugerint, cujusvis criminis impunitatem conſequuntur. quin & qui vincti ante fuerunt, ad eas arbores, quæ in luco ſunt, compedes ſuspendunt.*

§. XI.

Templum in lucis exſtructa. Templorum uſus poſtquam invaluiſſet, illa quoque in lucis non raro fuere exſtructa, ut maiorem religioonem ſilentium & amœnitas loci in animis hominum gigneret. Ita templum Herculis in Cynoſarge, cui lucus

m) In *Corinth.* c. XIII. p. 141. Similia idem habet alibi paſſim, e. c. in *Att.* & *Ach.* Plutarchus item in *Solone.*

cus circumjectus erat, ſupra jam memoravimus. n) Addimus nunc nonnulla alia. Primum ſit Iovis Olympii, in agro Piſæo Eleæ Peloponneſi, de quo Strabo: o) Ἐϛι δ' ἐν τῇ Πεισάτιδι τὸ ἱερὸν ϛαδίȣς τῆς Ἤλιδος ἐλάττȣς ἢ τριακοσίȣς διέχον. Πρόκειται δ' ἄλσος ἀγριελαίων, ἐν ᾧ τὸ ϛάδιον. *In Piſatide templum eſt, (Iovis Olympii) ſtadiis non omnino CCC ab Elide ſitum. Ante id jacet lucus oleaſtris conſitus, in quo eſt ſtadium.* Apud Epidaurios Dianæ ædes quædam, nec non Veneris atque Themidis fana, itidem in luco erant. Pauſanias: p) Ἐντὸς δὲ τȣ̃ ἄλσȣς ναός τε Ἀρτέμιδος, καὶ ἄγαλμα Ἠπιόνης, καὶ Ἀφροδίτης ἱερὸν καὶ Θέμιδος, *In luco Dianæ Epiones, ſ. Manſuetæ, ædes eſt, & ſimulacrum, templum item Veneris atque Themidis.* Habuere etiam Phliaſii templum in luco quodam cupreſſino. Pauſanias: q) Ἐϛι ἐν τῇ Φλιασίων ἀκροπόλει κυπαρίσσων ἄλσος, καὶ ἱερὸν ἁγιώτατον ἐκ παλαιȣ̃. *In arce*

 Phli-

n) Cap. II. §. XX.
o) Lib. VIII. p. 542.
p) In *Corinth.* c. XXVII. p. 174.
q) In *Corinth.* c. XIII. p. 140.

Phliaſiorum cupreſſetum eſt, in quo templum extat antiqua religione ſacroſanctum. Templa ejus generis plura apud Spanhemium r) commemorata reperias, qui ſimul ex Vitruvio obſervat, fanum apud Latinos veteres ea de cauſſa dictum etiam fuiſſe *nemus*.

CAPVT VI.

DE TEMPLIS.

§. I.

Templa quid. eorum nomina.

LVcis templa ſucceſſerunt, ſive ædes lapideæ marmoreæve, interdum & æneæ, aut ære ſaltem undique obductæ, magnificæ ut plurimum, Deorum inhabitationi atque cultui deſtinatæ, καὶ ἀνειμένοι, ut loquitur Apollonius, s) θύουσι, εὐχομένοις, ὑμνοῦσιν, ἱκέταις, Ἕλλησι, βαρβάροις, ἐλευθέροις, δούλοις, *patentes ſacrificantibus, orantibus, canentibus, ſupplicibus, Græcis, barbaris, liberis, ſervis.* Primi omnium Ægyptii exſtruxerunt, ſi vera referunt Herodotus t) & Lucianus

r) *Obſervat. in Callim.* p. 156.
s) *Epiſt.* LXVII. p. 405. ed. Ol.
t) Lib. II. c. 4.

anus, u) vel quisquis auctor eſt, qui πρῶτοι μὲν ὧν, inquit, τῶν ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐννόιην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ ἑισαθαι, καὶ τεμένεα καὶ πανηγύριας ἀποδέιξαι. *Primi hominum, quos ſcimus, Ægyptii dicuntur & Deorum notitiam accepiſſe, & templa conſtituiſſe & lucos, & celebritates ſacras edidiſſe.* Ægyptios imitati mox ſunt Græci; qui ædes modo deſcriptas cum variis aliis, tum præſertim duobus hiſce appellarunt nominibus: ἱερὰ, ναοὶ, x) quorum prius *loca* ſonat vel *ædificia ſacra*, poſterius, ἀπὸ τȣ̃ ναίειν, *ab inhabitando* ductum, *ædes, quas inhabitent* Dii. Templa enim ab ipſis incoli Diis, firmiter perſuaſuaſum erat credulis atque ſuperſtitioſis. Quapropter & Homerus, y) vulgarem ſecutus opinionem, Θεῶν μακάρων ἱερȣ̀ς δόμȣς, *Deorum beatorum ſacras domos*, Herodotus & Theocritus paſſim Θεῶν ὄικȣς, *ædes Deorum*, nuncuparunt.

§. II.

u) De *Syria Dea.* T. Opp. II. p.656.
x) V. Pollux *Onomaſt.* L. I. c. I. Segm. 6.
y) Hymno *in Mercur.* v. 251. locisque aliis.

§. II.

Cauſſæ templorum exſtructorum duæ. Ad exſtruenda templa cauſſæ potiſſimum duæ ſimulacrorum cultores impulerunt. Primum enim tectum illa præbere debuerunt Diis, tempeſtatisque injurias ab eorum ſignis prohibere. Deinde conſultum quoque ire voluerunt templorum conditores eorum commoditati atque utilitati, qui cultus, Diis debiti, cærimonias peragere inſtituerent. Prius aperte profitetur Lucianus: z) *Ἔπειτα δὲ ναοὺς ἐγείραντες, ἵν᾽ αὐτοῖς μὴ ἄοικοι, μὴ δὲ ἀνέστιοι δῆθεν ὦσιν, εἰκόνας αὐτῶν ἀπεικάζουσι. Deinde vero fanis in honorem Deorum erectis, ne tectis aut penatibus careant, effigies illorum exprimunt.* Non erat igitur, cur cauſſam hanc excluderet homo quidam gentilis apud Arnobium, a) & alteram illam unice veram reputaret. En ejus verba: *Non idcirco attribuimus Diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus, aut ſoles: ſed ut eos poſſimus coram*

z) De *ſacrific.* T. Opp. I. p. 367.
a) *Adv. gentes* L. VI. p. 192. ed. Lugd. 1651.

ram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere. Sub axe enim nudo, & ſub ætherio tegmine invocati ſi fuerint, nihil audiunt, & niſi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obſtructi atque immobiles ſtabunt. Sed ridet, more ſuo, hanc quoque rationem, Lucianus, b) apud quem Demonax homini, qui ut Æſculapii ad templum abiretur, ibidemque pro ſalute oraretur filii, ſuaſerat, πάνυ ἔφη κωφὸν ἡγῇ τὸν Ασκλήπιον, ἐι μὴ δύναται κἀντεῦθεν ἡμῶν ἐυχομένων ἀκȣ́ειν. *Valde ſurdum*, inquit, *Æſculapium exiſtimas, ſi non poteſt nos hinc precantes exaudire.*

§. III.

Struebantur autem templa vel intra, vel extra urbes. Intra urbes loca illis deligi ſolebant celebriora, e. c. fora, *Templa quibus in locis ſtructa.*

b) In *Demonacte* T. Opp. I. p. 865. Ridet vero Lucianus rationem illam non immerito, licet ex conſilio eorum, qui templorum conſtituendorum primi auctores fuerunt, vera judicari debeat.

fora. c) Tanagræi, in Bœotia, religione quadam ſingulari, exædificari templa curarunt ſeorſim ab ædibus privatis. Pauſanias: c) Ἐυ δέ μοι Ταναγραῖοι νομίσαι τὰ ἐς τὰς Θεὰς μάλιϛα δοκᾶσιν Ἑλλήνων; χωρὶς μὲν οἰκίαι σφίσι, χωρὶς δὲ τὰ ἱερὰ, ἅπερ αὐτοῖς d) ἐν καθαρῷ τέ ἐϛι, καὶ ἐκτὸς ἀνθρώπων. *In eo Tanagræi præcipuam quandam præ cunctis Græcis religionis rationem mihi habuiſſe videntur, quod ſeorſim a profanis ædibus Deorum templa ædificanda curarunt, in pura ſcilicet area, & ab hominum negociationibus ſejuncta.* Extra urbes, ſicuti non uno loco idem tradit Pauſanias, & ſupra jam e) ex parte a nobis indicatum eſt, in agris potiſſimum lucisque ſacris templa condebantur. Vtriusque generis templa ut, ſi fieri ulla ratione poſſet, in montibus, collibus, vel locis ſaltem aliquantum editis, (in quibus & ante tem-

c) V. Hom. *Odyſſ.* VI. v. 266. Pauſan. locis plurimis.

c) In *Bœot.* C. XXII. p. 753. Cf. Feithii *Ant. Hom.* L. I. c. 3.

d) Aſſerimus locum ex emendat. Kühnii.

e) Cap. præced. §. ult.

templorum uſum ſacra fieri, precesque ad Deos fundi ſueverant) eſſent poſita, cura adhibebatur non poſtrema. Idem ſcilicet perſuaſum erat Græcis, quod Syris, qui Deos e locis excelſis, tanquam e propinquo, facilius exaudire preces exiſtimabant. f) Hinc templa Athenienſium præcipua rupi impoſita fuerant admodum celſæ; fanum Apollinis Delphici ſummo montis Parnaſſi faſtigio; illud Veneris Corinthiæ ipſi Acrocorinthi vertici. Sic & Romani, inſtituta Græcorum pleraque imitati, templa nobiliora, e. c. illud Jovis Olympii, montium ſuperſtruxere cacuminibus. Trojanis eundem fuiſſe morem, ex Homero liquet. g) Quid? quod ipſos etiam Perſas, licet nec aras, nec ſtatuas erigerent, in loco tamen excelſo, & in ſummis montium jugis ſacrificaſſe, Xenophon h) & Strabo i) confirmant. Paucis, communis fere is gen-

f) Referente auctore libelli de *Syria Dea* apud Lucianum, T. Opp. II. p. 672.
g) *Il.* XXII, 17. ſqq.
h) De *inſtitut. Cyri* l. VIII. p. 233.
i) Lib. XV. p. 1064.

gentium veterum mos fuit, k) ut rem divinam in locis potiſſimum editis facerent, ejusque rei cauſſa templa ibi conſtituerent. Cujus moris, præter modo indicatam, rationes afferri poſſunt duæ etiam aliæ. Videlicet: templa ſitu prædita excelſo, quum ſpectari poſſent eminus, apta erant maxime ad religionem in animis procul quoque verſantium excitandam. Deinde impediri quoque eodem templorum poſitu poterat, quo minus fumus, e ſacrificiis ortus, nimis gravis accideret accolis.

§. IV.

Templorum diſpoſitio. Diſpoſita templa eſſe ſolebant ita, ut porta, per quam intrabatur, ſoli obverſa eſſet orienti. Lucianus: l) Ἀποβλέπει γὰρ τῆς τε ἡμέρας πρὸς τὸ κάλλιστον· κάλλιστον δὲ αὐτῆς καὶ ποθεινότατον ἡ ἀρχή. καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεται, καὶ τοῦ φωτὸς ἐμπίπλαται ἐς κόρον, ἀναπεπταμένων τῶν θυρῶν.

k) De quo legi etiam merentur quæ habet Libanius *Orat.* pro *templis.* p. 8. & *Orat. in necem Juliani* p. 255. Cf. Gothofr. in notis.

l) *De Domo.* T. Opp. II. p. 454.

ρῶν. καθ' ὃ καὶ τὰ ἱερὰ βλέποντα ἐποίεν οἱ παλαιοί. *Nam & ad pulcherrimam diei partem reſpicit* domus (*pulcherrima autem ipſius pars, & maxime amabilis, principium eſt*) *& ſolem emergentem ſtatim excipit, & lumine ad ſatietatem usque repletur, foribus adapertis: qua ratione ſua templa condiderunt veteres, ut ea parte intuerentur.* Porphyrius: m) ὡς ἂν σχεδὸν πάντων τῶν ἱερῶν τὰ μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας, τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες, τοῖς Θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι. *Omnia fere templa ſtatuas ingreſſusque ortum verſus habent; ingredientes vero occaſum reſpiciunt, ubi vultu ſimulacris obverſo conſiſtentes, honores Diis cultumque tribuunt.* Dionyſius Thrax: n) Οἱ ναοὶ τῶν παλαιῶν

m) De *antro nymph.* p. 310. ejus edit. quæ Homero cum ſchol. brev. ſubjuncta eſt.

n) *Diæreſ.* L. III. citante Spencero in diſſert. *de ratione & origine templi* p. m. 310. Sumſiſſe hæc videtur Dionyſius ex Luciano, cujus locum paullo ante attulimus. Cf. & Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* L. I. c. 67.

καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι εἰώθεσαν, καὶ τοῦ φωτὸς ἐμπιπλᾶσθαι. τῶν θυρῶν ἀναπεπταμένων, ὅπου καὶ τὰ ἱερὰ ἔρρεξαν. *Antiquiorum templa ſolem exorientem ſtatim excipere ſolebant, foribusque patefactis lumine illico repleri, ubi & rem ſacram faciebant.* Nempe ſolis exorientis radiis auguſti quid & divini ineſſe, exiſtimabant veteres. Antiquiſſimo tamen ævo ratio ſitus contraria gentibus nonnullis, dubium an Græcis quoque, placuit. Hyginus: o) *Antiqui architecti in occidentem templa ſpectare, recte ſcripſerunt: poſtea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli terra illuminatur.* Idem fere a Clemente Alexandrino traditum eſt: τὰ παλαιότατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται. *Templorum antiquiſſima ad occidentem reſpiciebant, ut qui vultu ſtarent ad ſimulacra converſo, docerentur verti ad orientem.*

§.V.

o) De *agrorum limit. conſtit.* L. I. p. 93.
p) *Stromat.* L. VII. p. 724.

§. V.

Splendida ut eſſent templorum ædificia, nulli parcebatur neque labori neque ſumtui. Marmoris præſtantiſſimi, auri, argenti, æris, imo & gemmarum vim magnam in ſtructuram eorum & ornatum profundere, artificesque ædificandis adhibere excellentiſſimos, pulcrum judicabatur. Euſebius: q) Νεῴ τε περικαλλεῖς, παντόιοις ἀγάλμασι καὶ ἀναθήμασι κεκοσμημένοι, παρὰ τοῖς πᾶσιν ἐξήσκηντο. *Templa ubique magnifica, omnique ſignorum ac donariorum genere ad eximiam ſpeciem ornabantur.* Arnobius: r) *Sint ergo hæc* (templa) *licet aut ex mollibus marmoribus ſtructa, laquearibus aut renideant aureis, ſplendeant hic gemmæ, & ſidereos evomant variata interſtinctione fulgores; terra ſunt hæc omnia, & ex fæce ultima vilioris materiæ concreta.* De auro ſpeciatim, quo templorum exornati parietes & laquearia, Ovidius: s)

Templorum magnificentia.

L 2 *Flam-*

q) *Præparat. Evang.* l. X. c. 4. p. 469.
r) *Adv. gentes* l. VI. p. 191.
s) *Faſt.* l. I. v. 77.

Flamma (ſacrificii) *nitore ſuo templorum verberat aurum,*
Et tremulum ſumma ſpargit in æde jubar.

Idem poſtea, t) rationem ſimul ejus ornatus afferens, ex perſona Jani:

Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea, majeſtas convenit iſta Deo.

Portas etiam Græcorum in fanis auro induci ſueviſſe, Ariſtophanes innuit. u)

Πρῶτον μὲν ὀ-
χὶ νεὼς ἡμᾶς οἰκοδομεῖν δεῖ
λιθίνους αὐτοῖς· οὐδὲ θυρῶσαι
χρυσαῖσι θύραις.

Primum quidem haud fana nos iis (avibus, ſi nobis Deorum loco imperent) *ædificare oportebit lapidea, neque portas exſtruere deauratis tabulis.*

§. VI.

Faſtigium. *ἀετὸς.*

Ad dignitatem templorum faſtigium quoque ſpectabat acutum triangu-

t) Verſ. 233.
u) In *Avibus*, v. 612.

gulare, Græcis ἀετὸς, *aquila*, dictum, cujus paſſim mentio fit apud Pauſaniam. x) Hinc Ariſtophanes, in commendationem novæ avium reipublicæ, inter cetera ait:

Εἶτα πρὸς τούτοισιν, ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε.
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετόν.

Præterea tanquam in templis habitabitis.
Domos enim veſtras faſtigiato tecto educemus.

Vbi Scholiaſtes: Τὰς τῶν ἱερῶν στέγας πτερὰ καὶ ἀετοὺς καλοῦσι. *Tecta templorum* πτερὰ *vocant* & ἀετούς. Harpocration y) illa templorum pinnacula ἀετώματα quoque a quibusdam dici obſervat. Cicero z) faſtigium tale partim utilitatem, partim dignitatem templis afferre judicat. *Capitolii*, inquit, *faſtigium illud, & ceterarum ædium, non venuſtas, ſed neceſſitas ipſa fa-*

x) E. c. *Corinth.* c. XI. p. 137. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, Ἡρακλῆς καὶ νῖκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσι. *Quod attinet ad ea, quæ in faſtigiis ſpectantur, Herculis & Victoriæ ſigna extremis inſiſtunt.*

y) In *Lexico* v. ἀετός.

z) De *Orat.* l. III. c. 46.

fabricata eſt. Nam cum eſſet habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur; utilitatem templi faſtigii dignitas conſecuta eſt; ut etiamſi in cœlo ſtatueretur, ubi imber eſſe non poſſet, nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum fuiſſe videatur.

§. VII.

Conſtructionis diverſitas, ratione column.

Conſtructio ædium, habita columnarum trifariam diviſarum ratione, non una eademque Diis adhibita fuit omnibus, ſed Dorica aliis, aliis Corinthia, rurſus aliis Jonica, prouti natura & officia Deorum diverſa viderentur exigere. Quam ſtructuræ, ſive formæ diverſitatem omnium optime explicat Vitruvius, a) qui merito hic in teſtimonium vocatur, quod præcepta artis ſuæ maximam partem e ſcriptorum Græcorum monumentis hauſit; quare & phraſis illius multis locis græcizat. b) *Minervæ*, inquit, *& Marti & Herculi ædes Doricæ fient;* c) *his enim Diis, propter*

a) Lib. I. c. 2.
b) Judicante de Laet in *præfat.*
c) Quarum neglectior & incultior ſtructura, unde & ſeverior. Philander.

pter virtutem, ſine deliciis ædificia conſtitui decet. Veneri, Floræ, Proſerpinæ, Fontium Nymphis, Corinthio genere conſtitutæ, aptas videbuntur habere proprietates, quod his Diis, propter teneritatem, graciliora & florida, foliisque & volutis ornata opera facta augere videbuntur juſtum decorem. d) *Junoni, Dianæ, Libero Patri ceterisque Diis, qui eadem ſunt ſimilitudine, ſi ædes Jonicæ conſtruerentur, habita erit ratio mediocritatis, quod & ab ſevero more Doricorum, & a teneritate Corinthiorum temperabitur earum inſtitutio proprietatis.* Quanquam interdum uno eodemque in templo, præſertim ſi Numinibus dicatum eſſet pluribus, quæ proprietatibus inter ſe differrent, ſtructuræ illæ diverſæ miſcebantur. e)

§. VIII.

Forma templorum quadrata erat ut plurimum, oblonga tamen, ſic ut lati- *Forma templorum.*

d) Corinthiæ, quod plura habent ornamenta, delicatiores ſunt. Mediæ ſunt Jonicæ inter harum teneritatem & illarum ſeveritatem. Phil.

e) Cf. Potterum *Archaeol. Att.* l. II. c. 2. p. 199.

latitudinem multum ſuperaret longitudo. Rotunda illis ſolebat tribui, quæ Diis conſecrata eſſent univerſis, ut ſimulacra eo aptius in orbem collocari poſſent, ac ſe invicem reſpicere. Ventorum templum (ſi modo recte illud templi nomine inſignitur) ab Andronico Cyrrheſte Athenis conſtitutum, octogonon erat, exſculptas habens in ſingulis lateribus ſingulorum ventorum imagines. f)

§. IX.

Porticus. Cingebant templa, ſaltem nobiliora, qualia e. c. reputari poſſunt Parthenon & Pantheon g) Athenis, atque illud Dianæ, Epheſiorum in urbe, porticus, columnis ſuffultæ altis, e marmore elaboratis, iisque per plures interdum ordines diſpoſitis. h) Quæ porticus, picturis plerumque or-

f) V. Vitruv. l. I. c. 6. qui *turrim* dicit *marmoream*; Varr. *de re ruſt.* l. III. c. 5 qui *horologium* vocat, propter quadrantes ſolis in lateribus ſingulis expreſſos, quorum veſtigia obſervavit Sponius, *Voyage* T. II. p. 135. Cf. Wheler, T. II. p. 476.

g) Pauſan. in *Att.* c. XVIII.

h) Dionyſ. Halic. *Ant. Rom.* l. IV. c. 69.

ornatæ pulcherrimis, tum ad decus templis conciliandum, tum ad deambulandi commoditatem, frequentantibus exhibendam, erant comparatæ.

§. X.

Portas templorum quadratas fuiſſe ſemper, nunquam arcuatas, Philander i) oſtendit. Eas auro interdum obductas fuiſſe, ſupra k) ex Ariſtophane accepimus. *Portæ.*

§. XI.

Feneſtris templa carebant pleraque, ſic ut lumen intromitterent nullum, niſi quod per fores penetraret apertas. His igitur clauſis, meræ intus regnabant tenebræ. Ratio afferri poteſt triplex. Primo enim caligine magnopere delectari Deos, vulgi erat opinio. Deinde arcani quid, auguſti & divini eidem ineſſe credebatur, atque adeo vim quandam ad horrorem religioni convenientem intrantium animis incutiendum, & ad accendendum erga Deos venera- *Feneſtræ nullæ.*

 tio-

i) Ad Vitruv. l. IV. c. 6.
k) §. V.

tionem. Tertio denique obſcuritatis præſidio tegi & occultari optime poterant artes illæ, quibus credulos variis modis deludere ſolebant ſacerdotes, aliique religionis antiſtites atque adminiſtratores. l)

§. XII.

Partes templorum generales. Partes templorum generatim duæ poſſunt conſtitui, *ſacra* (τόπος ἔνθεος, ἱερὸς, καθιερωμένος, καθωσιωμένος) & *profana* (βέβηλος). Ad partem ſacram ſpatium referebatur illud, quod eſſet ἔισω τῶν περιῤῥαντηρίων. m) Dicebatur vero περιῤῥαντήριον aquiminale quoddam magnum, quales fere tinctorum cortinæ, (*labrum* Aſconius nominat) in quod mergebant titionem ardentem ab ara ſumtum, quando victima adolebatur, eaque aqua omnes, qui templum ingrediebantur, ſeſe aſpergebant ipſi, aut a ſacrificulis aſpergebantur. n) Collocabatur labrum illud

l) Copioſius hac de re expoſuimus *Obſervat. philol.* P. II. obſ. VI. §. 2.
m) Pollux in *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 6.
n) Deſcriptio eſt Caſauboni ad Theophr. *Charact.* c. XVII. p. 338.

lud ad ingreſſum templi, eo, ut videtur, loco, ubi deſinebat πρόναος, ſive pars templi anterior, minus ſancta, incipiebatque ὁ ναὸς, ſive pars templi interior ſanctiorque. Jam illo a ſpatio profani & impuri arcebantur omnes. Hippocrates: o) Αὐτοί τε ὅρους τοῖσι Θεοῖσι τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν τεμενέων ἀποδεικνύμενοι, ὡς ἂν μηδεὶς ὑπερβαίνοι, ἢ μὴ ἁγνεύοι, εἰσιόντες δὲ περιῤῥαινόμενοι, οὐχ ὡς μιαινόμενοι, ἀλλ' εἴ τι καὶ πρότερον ἔχομεν μύσος, τοῦτο ἀπαγνιούμενοι. *Nos Diis ipſis templorum ac delubrorum terminos conſtituimus, quos nemo niſi purus tranſcendat, & ingreſſi non tanquam inquinati reſpergimur, ſed ut ſi quod etiam antea ſcelus contraximus, illud expiemus.* Nuncupari autem, quod hac occaſione obſervari juvabit, ſolebant βέβηλοι καὶ μυαροὶ, *profani* & *impuri*, nothi, vitamque agentes turpem. Iſæus: p) Τοὐναντίον τοίνυν συμβέβηκεν, ἢ ὡς ὁ νόμος γέγραπται. Ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι, νόθῳ μηδὲ νόθῃ εἶναι ἀγχιστείαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων. *Contrarium igitur accidit, quam quod lege ſcri-*

o) De *morbo ſacro* p. 87. T. Opp. I. ſect. III.
p) *Orat.* V. p. 468.

ſcriptum eſt. In ea enim eſt: Nothis utriusque ſexus ad loca ſacra, ſive templa (interiora), *& ad res ſacras appropinquare ne liceat.* Idem: q) Ἡ τούτων μήτηρ ἅπαντα τὸν χρόνον αἰσχρῶς βιοῦσα, ἣν οὐ παρελθεῖν εἴσω τοῦ ἱεροῦ ἔδει, οὐδ' ἰδεῖν τῶν ἔνδον οὐδέν. *Hæc illorum mater, quum omni tempore turpem vixerit vitam, quam ne tranſire quidem* (vas luſtrale) *oportuit ad interiora templi, nec quidquam videre eorum, quæ intus ſunt* cet. Illi item, qui manibus eſſent illotis. Lucianus: r) Καὶ τὸ μὲν πρόγραμμα φησὶ, μὴ παριέναι εἴσω περιῤῥαντηρίων, ὅστις μὴ καθαρός ἐστι τὰς χεῖρας. *Quin & pro foribus* (templi) *poſita tabula denunciat, ne quis intra labra luſtralia conſiſtat, qui non ſit puris manibus.* Porro illi, qui in adulterio eſſent deprehenſi. Demoſthenes: s) Μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ. *Neque mulieri liceat ingredi in fana publica, cum qua fuerit adulter deprehenſus.* Denique illi quoque, qui cædem perpe-

q) Non longe poſt, p. 469.
r) De *ſacrif.* T. Opp. I. p. 368.
s) *Orat. in Neæram* p. 529.

petraſſent, aut contactu vel cadaveris alicujus, vel alius rei immundæ eſſent coinquinati. Euripides: t)

Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

Quæ, Dea, *ſi quis quidem mortalium patrarit cædem,*
Aut etiam partum, aut cadavera attigerit manu,
Eum arcet ab ara, ut impurum reputans.

Quod vero ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων erat ſpatium, illud *profanum* dicebatur.

§. XIII.

Partes vero templorum ſpeciales *Partes templ. ſpeciales.* iſtæ erant. (1) Πρόπυλα, ſive προπύλαια, *porticus*, de quibus §. IX. diximus. (2) Πρόναος, ſive *ædes anterior*, eodem, quo ædes ipſa, tecto cooperta, partem fere tertiam totius ædificii conficiens. u) (3) Ναὸς, ſive ædes ſacra ipſa, partes ut plurimum habens tres. (α) Σηκὸν, loco medio. *Cau-*

t) *Iphigen. in Tauris* v. 381.
u) V. Spon. *Voyage* T. II. p. 109.

Caulam proprie vox ſignificat; hic vero, ob ſimilitudinem, *locum cancellis obſeptum*, in quo Deorum collocata ſimulacra. Nomine alio dicebatur τέμενος. x) Latini *cellam* appellarunt. Vitruvius certe y) ſigni in cella conſtituti diſerte meminit. A. Gellius: z) *Illi, quos ſupra nominavi, mandarunt litteris, Scipionem Africanum ſolitaviſſe noctis extremo, priusquam dilucularet, in capitolium ventitare, ac jubere, aperiri* cellam Jovis, *atque ibi ſolum diu demorari, quaſi conſultantem de republica cum Jove* (ſimulacro Jovis, in cella iſta poſito). Valerius Maximus: a) *Cum Marcellus, quintum conſulatum gerens, templum Honori & Virtuti, nuncupatis votis debitum, conſecrare vellet; a collegio pontificum impeditus eſt, negante, unam cellam duobus Diis recte dicari.* Arnobius: b) *Ita non prima & maxima*

x) Pollux in *Onomaſt.* L. I. c. I. ſegm. 2. & Schol. Sophoclis ad *Oed. Tyr.* v. 15.
y) *Architect.* l. IV. c. 4. 5. & 7.
z) *Noct. Att.* l. VII. c. 1.
a) Lib. I. c. I. n. 8.
b) *Adv. gentes* l. VI. p. 191. Cf. locum Varronis mox citandum.

xima contumelia eſt, habitationibus Deos habere diſtrictos? tuguriola his dare, conclavia & cellulas fabricari? (β) Πρόδομον, quaſi *domum* dicas *anteriorem.* Sic ſpatium vocabatur illud, quod ante cellam erat. In hoc aram opinamur fuiſſe poſitam: c) quanquam alii d) eam in pronao volunt collocatam. (γ) Ὀπισθόδομον, ſive *ædem poſteriorem*, reſpectu habito ad σηκὸν, ſive *cellam.* Varro: f) *In omnibus ædibus ſacreis ante cellam, ubi ſedes Dei ſunt, Græci dicunt* πρόδομον: *quod poſt*, ὀπισθόδομον. Idem docet Pollux: g) Τὸ δὲ πρὸ σηκοῦ, πρόδομος, καὶ τὸ κατόπιν, ὀπισθόδομος. *Quod ante cellam eſt*, dicitur πρόδομος, *quod poſt illam*, ὀπισθόδομος. Atque in hac parte procul dubio Ἄδυτον fuit, quod Pollux h) χωρίον ἄβατον τοῦ ἱεροῦ, ἄψαυστον καὶ ἀψαυστέμενον, καὶ ἀθέατον καὶ ἀνάκτορον, *locum tem-*

c) Fuit certe ara ante cellam, ſicuti ex eo liquet, quod Lucianus victimam ad aram adductam jugulari dicit ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ, *in oculis Dei*, ante ſignum Dei.

d) E. c. Potterus *Archæol.* Att. l. II. c. 2. p. 201.

f) De *lingua lat.* l. IV. p. 26. edit. Dion. Gothofr.

g) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 2.

h) Loco cit. ſegm. 8.

templi, quem adire non licet, intactum, nec tangendum, non ſpectatum, & ſacra arcana continentem; Julius Cæſar i) *occulta & recondita templi, quo præter ſacerdotes adire fas non eſt;* Latini alii *penetrale* vulgo appellant. Male hoc confundunt aliqui k) cum cella. Nam cella quidem minime ἀθέατος erat, ut adytum, ſed oculis hominum utique patebat. Porro pars templorum (4) Ἀρχεῖον quoque cenſeri debet, cujus mentionem Pollux l) facit, ſi modo genuina illa eſt lectio. Videtur conclave fuiſſe, in quo antiſtites templi, de rebus ad ſacra pertinentibus deliberaturi, convenirent, ac ubi theſauri templi, ad uſum ædis, nec minus eorum e privatis, qui facultates ſuas, ut ſartæ tectæ eſſent, templo commendaverant, aſſervarentur. Nam tuti maxime credebantur theſauri in templis, quorum inviolabilis religio; ideoque in periculis eo comportabantur. *Sacrilego,* ait Cicero, m) *pœna eſt, neque ei ſoli,* *qui*

i) De *bello civ.* l. III. c. 105.
k) Potterus l. c. p. 200.
l) Loco cit. ſegm. 22.
m) De *legibus* l. II. p. m. 1253.

qui ſacrum abſtulerit, ſed etiam ei, qui ſacro commendatum. quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solos in delubro pecuniam dicitur; & Athenienſis Cliſthenes Junoni Samiæ, civis egregius, cum rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Atque hæc videtur cauſſa eſſe, quare Ἀρχεῖον Pollux ἀρχαιόπλουτον cognominat, παλαιόπλουτον, ζάπλουτον, μεγαλόπλουτον, βαθύπλουτον, πολύχρυσον, πολυάργυρον, πολυτάλαντον: quæ ſane omnia locum indicant divitiis ingentibus, multoque auro & argento refertum. Denique (5) nec columnarum prætereundi ſunt ordines, in templis quibusdam juxta parietes conſpicui. Inſerviiſſe illas credibile eſt ſuſtinendis podiis, ex quibus cultus divini ſpectari commode poſſent cærimoniæ. In Minervæ ſaltem, quod Athenis in ſumma arce eſt, templo ordinem columnarum talium duplicem obſervavit Sponius, n) unum ſupra alterum.

n) In *Voyage* T. II. p. 118.

§. XIV.

Templa aliqua ſubtus fornicata.

Templorum aliqua fornicibus innitebantur ſubſtructis, qui partim ciſternarum uſum videntur præbuiſſe, partim quoque artibus illis fraudibusque, quibus v. c. ad reſponſa divina mentienda uſi ſunt ſacerdotes, exercendis inſerviiſſe. Templa certe ſubtus fornicata duo novimus, eaque in maxime claris numeranda: Epheſium, Dianæ ſacrum, & Heliopolitanum in Syria, quarum de ſubſtructionibus indagatores rerum antiquarum curioſi, Sponius, o) Whelerus & de la

o) In *Voyage* T. I. p. 252. ſq. „Nous entrâmes „inquit, dans les fondéments (du Temple de „Diane) par un petit eſcalier pratiqué dans „un pan de muraille, qui nous conduiſit ſous „terre. Nous avions chacun une bougie à „la main, & un peloton de fiſcelle, de peur „de nous égarer dans ce labyrinthe ; car c' „eſt le nom qu'on donne à ce lieu la ; & ces „vôutes ont en effet quelque rapport à un „labyrinthe, étant fort longues & entrecou„pées d'autres vôutes, où l'on auroit de la „peine à retrouver la ſortie ſans ce ſecours. „Comme elles ſont fort baſſes, nous paſſa„mes par tout, en partie à genoux, en par„tie à quatre pieds, croyant trouver quel„que choſe digne de nôtre curioſité ; mais „nous

la Roque p) teſtimonium perhibent. Ipſum etiam templum Hieroſolymitanum ordini fornicum triplici, ſed de cauſſa plane alia, ſuperſtructum fuiſſe, inter omnes antiquitatis Judaicæ peritos conſtat.

§. XV.

Contignatione templa abſolvebantur *Contignatio templ. una.*

„nous ne trouvâmes, que des chauve-ſouris, „qui faillirent à nous crever les yeux. Je „crûs que cela pouvoit bien avoir ſervi de „citerne pour les uſages du Temple, & même „nous remarquâmes deux de ces voûtes „plus étroites que les autres, qui pouvoient „étres des Aqueducs, qui y portoient l'eau, „& même il y en couloit encore aſſez. Nous „voulûmes ſuivre une de ces voûtes jusqu'au „fond; mais nous fûmes contraints de nous „en revenir aprés avoir avancé environ cent „pas, à cauſe de la bouë, dont nous eûmes „de la peine à nous degager.„ Cf. Wheler. T. I. p. 255.

p) In *Voyage de Syrie & du mont Liban.* T. I. p. 121. „Au reſte tout le Temple (de Balbek) „eſt élevé ſur des voûtes d'une ſtructure ad„mirable, où l'on deſcend par de petites „portes, & par des eſcaliers derobez. Je „crois que ces voûtes n'ont pas été ſeule„ment faites pour la ſolidité du bâtiment, „mais qu'elles formoient une autre eſpece „de Temple ſoûterrain, qui avoit ſans dou„te ſes uſages dans le Paganiſme.

tur una; nec fuit in iis, quæ vidit Pauſanias,(vidit autem is bene multa) niſi unum Veneris armatæ apud Spartanos, cui tabulatum impoſitum eſſet alterum. Sic enim ille: q) Ναῶν δὲ, ὧν οἶδα, μόνῳ τȣ́τῳ ϗ ὑπερῷον ἄλλο ἐπῳκοδόμηται Μορφȣ̃ς ἱερόν· ἐπίκλησις μὲν δὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐςὶν ἡ Μορφώ. *Ex omnibus, quæ novi, templis unum hoc* (Veneris armatæ) *alteram ſuperſtructam habet ædem, tanquam tabulatum alterum, idque Morpho, quod Veneris cognomentum eſt, ſacrum.*

§. XVI.

Templa pleraque Numini dedicata uni.

Erant templa pleraque uni ſoli conſecrata Numini; e.c. Jovi, Junoni, Apollini, Minervæ, Dianæ, Baccho cet. Vnde & nomina multis tributa ex Diis, quibus cultus in illis exhiberetur. Sic v. c. Junonis templum vocatum fuit Ἡραῖον, ex nomine Junonis Græco, Ἥρα; Neptuni Ποσειδώνιον; Bacchi Διονύσιον; Dianæ Ἀρτεμίσιον. Quod quidem poſtremum nomen eminenter datum fuit. Dianæ Ephe-

q) In *Lacon.* c. XV. p. 246.

Epheſiæ templo, orbis miraculis, ob inuſitatam magnificentiam, olim annumerato, cujus deſcriptionem Plinius, r) Strabo, s) Valerius Maximus t) aliique ſuſceperunt. Rudera ejus, quæ hodienum conſpiciuntur, attente luſtrarunt Sponius & Whelerus. u)

§. XVII.

Minime tamen rara erant, quæ Diis pluribus ſimul, atque adeo in univerſum omnibus eſſent dedicata. Cognoſci id poteſt tum ex Pauſaniæ aliorumque ſcriptorum veterum locis non paucis, tum ex inſcriptionibus illis antiquis, quas ex Sponio x) & Reineſio y) exhibuit Ant. van Dale, z) & in quibus Θεῶν συννάων, ſive *Deorum communi* quodam *templo* honoratorum, occurrit mentio. Sic Vulcanus & Minerva unum ambo tem- *Aliqua tamen pluribus etiam ſacrata. Item aræ.*

M 3 plum

r) *Hiſt. nat.* l. XXXVI. c. 14. & l. XVI. c. 40.
s) *Geograph.* l. XIV. p. 948. ſq. & alibi paſſim.
t) Lib. VIII. c. 14.
u) In *Itinerar.* ll. cc.
x) *Miſcellan. erud. antiqu.* p. 340. & *Itinerar.* p. I. p. 375.
y) *Syntagm. inſcript. ant.* cl. I. n. 290. p. 243.
z) De *conſecrat. ethn.* p. 658.

plum habebant Athenis. Auguſtinus: a) *In templo Vulcani & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expoſitus inventus eſt puer dracone involutus; qui eum* (Erichthonium) *ſignificavit magnum futurum, & propter* commune templum, *quum eſſent parentes ejus ignoti, Vulcani & Minervæ dictum eſſe filium.* Jovi in templo Dodonæo *σύνναος* Dione extitit, ex qua Venerem procreaſſe ferrebatur Jupiter. b) Strabo: c) *Ὕστερον ἀπεδείχθησαν τρεῖς γραῖαι, ἐπειδὴ καὶ σύνναος τῷ Διῒ προσαπεδείχθη καὶ ἡ Διώνη. Subſecutis aliquanto poſt temporibus tres anus ſunt ad hoc miniſterium deſignatæ, poſtquam Dione etiam in ſocietatem templi Jovis eſt recepta.* Lepidum eſt, ſed confirmandæ tamen rei propoſitæ conducens, quod de Dorione quodam refert Athenæus. d) Is nempe Mylonem, Ægypti urbem aliquando cum acceſſiſſet, & di-

a) De *Civ. Dei* l. XVIII. c. 12. Cf. Pauſ. in *Att.* c. XIV. p. 36.
b) Hyginus in *præfat.* p. m. 4.
c) *Geogr.* l. VII. p. 506.
d) *Dipnoſoph.* l. VIII. p. 337.

diverſorium reperire non potuiſſet, vidiſſetque popam quendam in fano, quod ante portas urbis erat, ſacra facientem, quæſivit ex eo, cuinam templum hoc ſacratum eſſet Numini? acceptoque reſponſo, eſſe illud Ζηνοποσειδῶνος, *Jovineptunium*, ſive Jovis ac Neptuni, dixit: quonam igitur pacto mortalis quis hoſpitium hic inveniat, ὅυ καὶ τοὺς Θεοὺς Φάσκουσιν οἰκεῖν συνδύο, *ubi Deos una habitare duos ajunt?* Cœtui Deorum univerſo ſacra erant Athenis Pantheon, e) ab Adriano Imperatore exſtructum; ἱερὸν ἀρχαῖον κοινὸν Θεῶν ἁπάντων, *templum vetus Diis omnibus commune*, in oppido Laconicæ, quod dicebatur Marios; f) ναὸς Θεοῖς πᾶσιν ἐς κοινὸν ἀνειμένος; *ædes Dis in commune omnibus dicata*, Orneis, in agro Corinthiaco; g) & ſupra jam memoratum Deorum omnium fanum in ipſa Corinthiorum urbe. h) Interdum non templum quidem totum, ſed ara tamen ejus honori dica-

e) De quo vide ſis quæ ſupra diximus c. II. §. 9.
f) Pauſ. in *Lacon.* c. XXII. p. 267.
g) Id. in *Corinth.* c. XXV. p. 168.
h) Cap. III. §. XIV. V. Pauſ. in *Corinth.* c. II. p. 116.

ta per partes erat Deorum plurium, qui propterea σύμβωμοι dicebantur, ὁμοβώμιοι, σύνθρονοι & σύνθωκοι. i) Qua de re locus eſt memorabilis apud Pauſaniam: k) Ὠρωπίοις ναός τέ ἐςιν Ἀμφιαράου, καὶ ἄγαλμα λευκοῦ λίθου. Παρέχεται δὲ ὁ βωμὸς μέρη· Τὸ μὲν Ἡρακλέους, καὶ Διὸς, καὶ Ἀπόλλωνός ἐςι Παίωνος· Τὸ δὲ ἥρωσι καὶ ἡρώων ἀνεῖται γυναιξί. τρίτον δὲ Ἑςίας, καὶ Ἑρμοῦ, καὶ Ἀμφιαράου, καὶ τῶν παίδων Ἀμφιλόχου. Ἀλκμαίων δὲ, διὰ τὸ ἐς Ἐριφύλην ἔργον, οὔτε ἐν Ἀμφιαράου τινὰ, οὐ μὴν οὐδὲ παρὰ τῷ Ἀμφιλόχῳ τιμὴν ἔχει. Τετάρτη δὲ ἐςι τοῦ βωμοῦ μοῖρα Ἀφροδίτης καὶ Πανακείας, ἔτι δὲ Ἰασοῦς, καὶ Ὑγείας, καὶ Ἀθηνᾶς Παιωνίας. Πέμπτη δὲ πεποίηται Νύμφαις, καὶ Πανὶ, καὶ ποταμοῖς, Ἀχελώῳ καὶ Κηφισσῷ. *Apud Oropios*, in Bœotia, *templum eſt Amphiarao*, (quem Deorum in numerum retulerant Oropii) *& eidem e candido lapide ſignum. Ara quidem ejus in partes diſtributa eſt* quinque. *Earum una Herculi, Jovi, Apollini Pæonio: altera heroibus, eorumque uxoribus: Veſtæ tertia,*

i) V. Ant. v. Dale l. c.
k) In *Att.* c. XXXIV. p. 83.

tia, Mercurio, Amphiarao & Amphilochi filiis: (nam Alcmæon, propter Eriphyles cædem, in nullam Amphiarai, aut Amphilochi honorum partem receptus eſt) at quarta aræ pars Veneri, Panacææ, Jaſoni, Hygiæ, Minervæ Pæoniæ: quinta Nymphis, Pani, Acheloo & Cephiſſo amnibus ſacra eſt. Quin ſtatuas etiam Deorum plurium uno eodemque in templo reperimus ſociatas. Pauſanias: l) Τῆς Ἥρας δὲ ἐϛὶν ἐν τῷ ναῷ Διὸς ἄγαλμα· τὸ δὲ Ἥρας καθήμενόν ἐϛιν ἐπὶ θρόνῳ· ὁ δὲ παρέϛηκε γένειά τε ἔχων, καὶ ἐπικείμενος κυνῆν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. *In Junonis templo Jovis eſt ſimulacrum. Junonis quidem ſignum ſedet in ſolio, adſtat vero Jupiter barbatus galeaque tectus.* Idem: m) Ἐϛὶ δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ Διὸς ναὸς Ὀλυμπίȣ, αὐτός τε ἐπὶ θρόνȣ, καὶ ἑϛῶσα Ἀθηνᾶ παρὰ τὸν θρόνον. *In foro* Patrenſium, in Achaia, *Jovis Olympii templum eſt: Sedet ipſe in ſolio, prope adſiſtente Minerva.* Interdum & ſuper una eademque baſi Numinum duorum aut plurium ſimulacra fue-

l) *Eliac. priorum* c. XVII. p. 418.
m) In *Achaicis* c. XX. p. 573.

re collocata. Pauſanias: n) Ἐςὶ δὲ καὶ Χάρισιν ἱερὸν. - - - Τῶν Χαρίτων δὲ ἐν δεξιᾷ ἄγαλμά ἐςιν Ἔρωτος. ἕςηκε δὲ ἐπὶ βάθρε τῦ αὐτῦ. *Suum habent & Gratiæ templum* Elide, in Peloponneſo. - - - *Ad dextram Gratiarum Amoris ſignum eſt ; ſtat vero eadem ſuper baſi.* Pari modo in fano quodam Sami inſulæ Jupiter, Minerva atque Hercules uni inſiſtebant baſi. Strabo : o) Τῶν τριῶν Μύρωνος ἔργων κολοσσικῶν, ἱδρυμένων ἐπὶ μιᾶς βάσεως, ἃ ἦρε μὲν Αντώνιος, ἀνέθηκε πάλιν ὁ Σεβαςὸς Καῖσαρ ἐις τὴν αὐτὴν βάσιν τὰ δύο, τὴν Αθηνᾶν καὶ τὴν Ἡρακλέα· τὸν δὲ Δία ἐις τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε, κατασκευάσας αὐτῷ ναΐσκον. *Ex tribus operibus Myronis Coloſſicis, baſi uni inſiſtentibus, quæ ſuſtulerat Antonius; Auguſtus Cæſar duo repoſuit in baſin eandem, Minervam ſcilicet atque Herculem ; Jovem vero in Capitolium tranſtulit, ſacello ei parato.* Dici ſolebant Dii, quorum ſimulacra conjuncta eſſent, πάρεδροι, *aſſeſſores.* p)

§.XVIII.

n) *Eliac. poſter.* c. XXIV. p. 515.
o) *Geogr.* l. XIV. p. 944.
p) V. Ge. d'Arnaud de *Diis* παρέδροις commentarium,

§. XVIII.

Neque vero Diis tantum proprie ſic dictis templa exſtruebantur; ſed Heroibus quoque, virisque aut feminis illuſtribus ac bene meritis aliis. Talia Herculis fana erant, paſſim per Græciam conſtituta; ἀνάκεια ſive Caſtoris & Pollucis templa, qui Ἄνακες dicebantur, vel per excellentiam, quod ex Jove, rege (ἄνακτι) antiquiſſimo, & Leda nati, vel quod ἀνακῶς, i. e. ἐμμελῶς, *cum cura* ſingulari ſervarint Athenienſes, a quibus & eorum feſtum celebrari ſolebat, ἀνάκεια vocatum; r) Θησεῖον, ſive *Theſei templum*, Athenis, ſupra s) a nobis deſcriptum; Λεωκόριον, ſive *templum filiarum Leus*, qui, ὅτε ἐλίμωξέ ποτε ἡ Αττικὴ, καὶ λύσις ἦν τῶν δεινῶν παιδὸς σφαγὴ, τὰς ἑαυτῦ κόρας ἐπιδέδωκε, καὶ ἀπήλλαξε τῦ λιμῦ τὴν πόλιν. καὶ τύ-

Templa Heroibus etiam condita.

των

tarium, ubi pluribus hac de re diſſeritur, capp. X.XI.XII. & XIII. Add. Jac. Elsneri *Obſervat. ſacras in N. T.* T. II. p. 446.

r) Judice Lamb. Barlæo ad Luciani *Timonem*, ab ipſo editum illuſtratumque, p. 64; quo loco Lucianus ἀνακείῳ Athenienſis, fulmine tacti exuſtique, meminit.

s) Cap. II. §. IX.

των ἱερὸν ἐγένετο, ἐν τῇ Αττικῇ καλέμενον Λεωκόριον, quum gravi fame affligeretur Attica, nec poſſet tolli malum, niſi prolis alicujus cæde, filiabus ſuis ad immolandum traditis, fame civitatem liberaverat. Quocirca fanum puellis iſtis in Attica conſtitutum eſt, idque Leocorium nominatum. t) Spartani, quum virtuti tribuerent plurimum, fanis Heroas in urbe ſua magno numero condecoraverant. u)

§. XIX.

Templa hypæthra. Templa quædam tecto caruiſſe, ideoque *hypæthra*, quod nimirum dio eſſent expoſita, vocari conſueviſſe, Vitruvius docet. x) Meminit ejusmodi ὑπάιθρε, quod in Samo inſula extitit, Strabo, y) illudque μεςὸν τῶν ἀρίςων ἀνδριάντων, *plenum optimarum ſtatuarum* fuiſſe refert. Equidem ὕπαιθρα eadem fuiſſe putem, ac ἕρκη, *ſacra conſepta*, quorum crebra apud ſcriptores Græcos mentio. Sophocli

t) Schol. Thycyd. ad l. I. p. 14. Cf. p. 449.
u) V. quæ diximus ſupra c. III. §. VIII.
x) *Archit.* l. I. c. 2.
y) *Geogr.* l. XIV. p. 944.

cli σηκὸς ἀκαλυφεῖς nuncupari, obſervavit Salmaſius. z) Latini *ſacella* dixerunt. Feſtus: a) *Sacella dicuntur loca Diis ſacrata ſine tecto.* Comparari igitur poſſunt ſacella, Heroibus maxime conſecrari ſolita, cum Proſeuchis Judæorum, quas itidem ſine tecto fuiſſe, ſunt inter eruditos antiquitatis ſcrutatores, qui, nec ſine probabilitate quidem, exiſtimant.

CAPVT VII.

DE SIMVLACRIS, ARIS, MENSIS SACRIS ET DONARIIS.

§. I.

AD templa quum *ſimulacra* etiam Deorum Heroumque, *aræ* item, *menſæ ſacræ* & *donaria* pertinuerint, partim ad uſum, partim ad ornatum comparata, de his quoque ſingulis ex- *Simulacra quid, & eorum nomina.*

z) Ad *Solinum* p. 1140.
a) De *Verb. ſignif.* p. m. 230. Recte igitur ſcripſit Jac. Sponius, *Itiner.* p. II. p. 221. „La difference que les Anciens faiſoient de Temple & de Sacellum, ou Chapelle, eſt, que le Temple étoit couvert, au lieu que le Sacellum ne l'étoit point.

exponendum hoc loco erit ordine. Itaque ſimulacra ſacra, ἀγάλματα, ξόανα, ἕδη Θεῶν, εἰκάσματα Θεῶν, εἰκόνες, μιμητὰ τυπώματα, εἴδη, ἰδέαι, βρέτη & δείκηλα, vel δείκελα Græcis dicta, b) ſigna erant Deorum Heroumque, eo quidem conſilio fabricata atque conſtituta, ut iis conſpectis vel de Numine, quod repræſentabant, vel de Heroe, cujus referebant ſpeciem, cogitarent homines, & ad venerationem teſtificandam, honorem cultumque exhibendum ſeſe componerent.

§. II.

Statuarum origo, & finis, propter quem poſita.

Statuas ſacras antiquiores cenſemus templis, quum hæc propter illas fuerint exſtructa. Primus ſimulacrum aliquod divinum in Attica collocaſſe Cecrops dicitur, Athenienſium rex. Euſebius: c) Πρῶτος δὲ Κέκροψ λέγεται βωμὸν παρ' Ἀθηναίοις ἱδρύσαι, καὶ πάλιν πρῶτος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα συςήσαθαι, ὡς ἐδὲ τέτων ἐκ παλαιᾶ ὑπαρχόντων. *Primum Cecropem ferunt aram Athenis excitaſſe, primum etiam Miner-*

b) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 7.
c) *Præparat. Ev.* l. X. c. 9. p. 486.

nerva ſignum poſuiſſe, cum nihil horum antiquitus extitiſſet. Mox vero ſecuti exemplum illud videntur Græci reliqui, ſic ut Numinum civitas quæque ſuorum ſigna effingere inſtitueret atque dedicare. Neque tamen eo ſpectaſſe crediderim eorum, qui primi ſimulacra Deorum conſecrarunt, conſilium, ut lapides, aut ſtipites ipſi pro Numinibus haberentur. Efficere potius, mea opinione, voluerunt, ut haberet vulgus, eorum, quæ in oculos non incurrunt, facile obliviſcens, curamque habens vel nullam vel exiguam, haberent etiam poſteri ſpeciem aliquam viſibilem, qua conſpecta eos, quos dotes eximiæ, & in genus humanum merita præclara in cœlum extuliſſent, in memoriam ſibi revocarent, ac ſimul ad mentes illorum venerandas, virtutem ſuſpiciendam imitandamque, & ad beneficia concelebranda incitarentur. Civitatum ſymbola ſi eſſent ſtatuæ, (Vid. C.IV. §.IV. & V.) id puto ſpectatum fuit, ut momenta hiſtoriæ illarum præcipua ob oculos ſiſterentur aſpicientibus, animisque eorum

rum defigerentur. Accidit vero tandem, ut vulgus ſuperſtitioſum, adumbrationem rei pro re ipſa amplexum, ipſis illis ſignis naturam attribuerit divinam, & a Numine ea aliquo poſſideri ſibi perſuaſerit, ideoque adoratione, omnisque generis cultu proſequenda judicaverit. Quem errorem ſacerdotum, credulitate hominum atque ſuperſtitione ad lucrum ſuum abutentium, fraudes non parum promoverunt; quando v. c. arte aliqua effecerunt, ut loqui viderentur ſimulacra, d) ingemiſcere, avertere

d) Statuæ locutæ exemplum Dionyſius affert Halicarnaſſ. *Ant. Rom.* l. VIII. p. 526. Affert etiam Calliſtratus in *Statuis* p. 900. ed. Olear. De ſudore ſtatuarum, gemitu & annuendi geſtu, Plutarchus in *Camillo* p. 132. T. Opp. I. Ου μὴν ἀλλὰ καὶ συνάγουσιν ὁμοειδῆ τινα, τοῦτο μὲν, ἱδρῶτας ἀγαλμάτων πολλάκις ἐκχυθέντας, τοῦτο δὲ, στεναγμοὺς ἀκουσθέντας, ἀποστροφάς τε δεικνύντας, καὶ καταμύσεις ξοάνων, ἃς ἱστορήκασιν οὐκ ὀλίγοι τῶν πρότερον. *Adferunt præterea non abſimilia, ſudaſſe ſæpe ſimulacra, aliquando gemitus edidiſſe, viſasque eas etiam avertiſſe ſe & nictatas eſſe, quæ non pauci veterum memoriæ prodiderunt.* Cf. auctorem libri de *Syria Dea*, edit. noſtræ, a. 1725. p. 5. Jul. Obſequentem de *prodigiis* p. 47. edit. Scheffer. Diod. Sic. *Bibl. hiſt.* l. XVII. c. 10. Schol. Apollonii Rhodii ad l. IV. f. 241.

tere ſeſe, annuere, ſudare, aliaque agere aut pati, quæ non niſi animatis convenire putabantur.

§. III.

Vetuſtiſſima ſimulacra e lapidibus conſtabant, vel e truncis tabulisve, nulla, aut exigua certe arte elaboratis. Quæ ratio temporum antiquorum, quibus nondum florebant artes, conveniens erat ſimplicitati. Clemens Alexandrinus: e) Οἱ παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵςων ἐκ λίθων, ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ ἀποξεῖσθαι τῆς ὕλης. Αμέλει ἐν Ικάρῳ τῆς Αρτέμιδος τὸ ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον· καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμημένον, καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς· ὕςερον δὲ ἐπὶ Προκλέȣς ἄρχοντος ἀνδρεαντοειδὲς ἐγένετο. *Antiquiores ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex lapidibus, quæ etiam appellabantur* ξόανα, *eo quod eraderentur & expolirentur ex materia. In Icaro certe imago Dianæ lignum erat* *Prima ſimulacra trunci, & rudes lapides, oleo peruncti.*

e) *Admonit. ad gentes* p. 29. Cf. *Strom.* l. I. p. 348.

non laboratum: & Cithæroniæ Junonis Theſpiæ, truncus exciſus: & Samiæ Junonis, ut ait Aethlius, prius quidem erat tabula, poſtea autem, archonte Procleo, in formam ſtatuæ effecta eſt. Pauſanias: f) Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Græcis ſane omnibus patrium fuit rudes lapides pro Diis, perinde ac ſimulacra ipſa, colere.* Conſecrari autem ſolebant lapides iſtiusmodi rudes, pro ſignis Deorum inſervituri, affuſo oleo. Quo reſpiciens Clemens Alexandrinus, g) exprobrat Græcis, ὅτι προσκυνοῦσι πάντα λίθον λιπαρὸν, *quod omnem lapidem pinguem* (oleo perunctum) *adorent.* Arnobius h) lapidem talem *lubricatum* vocat, & *ex olivi unguento ſordidatum.* Ejus generis lapides triginta, figura quadrangula, apud Pharenſes in Achaja religioſe colebantur. Pauſanias: i) Ἑστήκασι δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλ-

f) In *Achaicis*, c. XXII. p. 579.
g) *Strom.* l. VII. p. 713.
h) *Adv. gentes* l. I. p. 22. Cf. Minucii Felicis *Octavium* c. III. & ad eum locum Cellarii annotat.
i) In *Ach.* p. 579.

γάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιϛα ἀριθμόν. Τȣ́τȣς σέβȣσιν οἱ Φαρεῖς ἑκάϛȣ Θεȣ͂ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες. Prope ipſum Dei ſignum lapides fere triginta erecti ſunt, quadrangula figura: Singulos certis Deorum nominibus appellantes venerantur. Creduntur Græci morem conſecrandi lapides oleo illito a Phœnicibus accepiſſe: quam eandem ad originem & nomina, quibus lapides iſti inſigniri ſolent, *βάιτυλοι, βαιτύλια,* vulgo referuntur. k)

§. IV.

Poſtquam vero ars floruit, auctus eſt error, perventumque ad hoc ſpecioſum quidem, ſed improbum artificium, quo hominibus ſimilia fabrefacta ſimulacra, quorum formæ pietatem ſubjecerunt mortales. Ac illa quidem *βρέτη* dicta, quod formam referrent *βροτῶν, mortalium.* l) Quod poſtremum Heſychius confirmat: m)

Poſtea formam humanam acceperunt, dictaque ſunt βρέτη.

Βρέ-

k) V. Heſych. v. *βάιτυλος.* Euſeb. *Præp. Ev.* l. I. c. X. p. 37.

l) In hanc ſententiam Clemens loquitur Alexandr. in *Admonit. ad gentes*, p. 30.

m) Voce *βρέτας.*

Βρέτας, ξόανον, ἔιδωλον, ὁμόιωμά τι, παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι, ὅπερ φασὶν οἱ νεώτεροι δέικελον. Βρέτας *imago eſt ſculpta, effigies, ſimulacrum aliquod, dictum quidem ex eo, quod ſimilitudinem habeat hominis*, (βροτȣ). *Recentiores* δέικελον *appellant.* Vtraque voce, βρέτας & δέικηλον, paſſim quum utantur ſcriptores Græci probatiſſimi; e. c. Lycophron, m) Euripides, n) Ariſtophanes, o) Æſchylus, Athenæus, Appianus; nihil ſane cauſſæ erat, cur vocabula ambo reprobanda cenſeret Pollux. p)

§. V.

Formam ſimulacr. humanam expolivit Dædalus.

Rudior tamen initio, ut fieri ſolet, ſtatuarum, humanam ad formam efficƭarum, fuit ſpecies, artemque exquiſitam, ante Dædalum minime oſtentavit. Dædalus vero Athenienſis, excellenti ingenio artifex, priſcam formam inſigniter expolire inſtituit, effecitque, ut ſpirantibus ſimiles

n) In *Caſſandra* v. 948. 1135. 1259.
n) In *Alceſt.* v. 974.
o) In *Equit.* v. 31. 32. & in *Lyſiſtr.* v. 262.
p) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 7. Βρέτας δὲ, inquit, ἢ δέικηλον, ȣ̓κ ἔγωγε προσίεμαι. Βρέτας & δέικηλον *pro receptis & uſitatis non approbo.*

les viderentur ſtatuæ ſacræ. Nam cum oculos illæ clauſos, vel certe nictitantes habuiſſent antea, manus demiſſas, lateribusque adglutinatas, crura item minime diſtincta, ſed concreta; ille oculis vitam quaſi addidit, manus diſcrevit atque exporrexit, crura pedeſque ita disjunxit, ut incedere, vel inceſſum ſaltem moliri viderentur ſimulacra. Ex quo factum, ut ambulare dicerentur Dædali ſtatuæ, ſenſusque humani præbere ſpeciem. q) Imitatores Dædalus poſtea nactus eſt complures, e. c. Myronem, Polycletum, Praxitelem, Phidiam, Lyſippum, Alcamenem, Euphranorem, Luciano r) memoratos: in quibus Praxiteles Calliſtrato s) τεχνήματα confeciſſe dicitur ζωτικὰ ὅλως, *opera prorſus ſpiran-*

q) Diod. Siculus *Bibl. hiſt.* l. IV. c. 78. Themiſt. orat. XV. Palæphatus *Incredibil.* c. XXII. & ad eum Paullus Pater in *notis*. Calliſtratus in *Statuarum deſcriptionibus*, quas Philoſtratorum Operibus ſubjunxit Gothofr. Olearius p. 899.

r) De *ſacrif.* T. Opp. I. p. 367. & in *Jove Tragœdo*, T. Opp. II. p. 131. ſqq.

s) Loco cit.

rantia. Minime tamen obſtitit antiquarum ſtatuarum ruditas & ſimplicitas, quominus illæ ætate etiam recentiori, ſi ſupereſſent, magni fierent. Teſtatur certe Porphyrius, t) τὰ ἀγάλματα τὰ ἀρχαῖα, καίπερ ἁπλῶς πεποιημένα, θεῖα νομίζεσθαι. τὰ δὲ καινὰ, περιέργως εἰργασμένα, θαυμάζεσθαι μὲν, Θεοῦ δὲ δόξαν ἧττον ἔχειν. *Statuas veteres, quamvis arte factas ſimplici, pro vere divinis reputari; recentiores autem, propter artificium, quo elaboratæ ſint, eximium, admirationi quidem eſſe, ſed minorem tamen divinitatis opinionem atque venerationem habere.*

ſ. VI.

Situs ſimulacrorum varius. Situ non uno eodemque collocabantur Deorum Heroumque ſimulacra, ſed alia ſtantis, ſedentis alia, alia denique jacentis referebant ſpeciem; prouti natura atque munia ejus, cui conſecrata eſſent, Numinis Heroisve viderentur exigere. Ita v. c. Jupiter, ut rex Deorum hominumque ſupremus, in throno ſedens effin-

t) De *Abſtinent.* l. II. p. 152. ſq.

effingi ſolebat eburneo; Minerva vero, artium præſes militiæque Dea, ſtantis; Venus contra, amoris moderatrix, jacentis poſitu. u)

§. VII.

Materiam Deorum ſtatuis minus pretioſam Græcos adhibuiſſe, quam barbaros, ex his patet Luciani: x) *Simulacr. materia.* Ἐοίκασι δ᾽ οὖν, ὦ Ζεῦ, οἱ βαρβαρικοὶ προεδρεύσειν μόνοι. ὡς τοὺς γε Ἕλληνας ὁρᾷς ὁποῖοί εἰσι. χαρίεντες μὲν καὶ εὐπρόσωποι, καὶ κατὰ τέχνην ἐσχηματισμένοι· λίθινοι δὲ ἢ χαλκοῖ ὅμως ἅπαντες. ἢ οἵ γε πολυτελέστατοι αὐτῶν ἐλεφάντινοι, ὀλίγον ὅσον τοῦ χρυσοῦ ἐπιστίλβον ἔχοντες, ὡς ἐπικεχρῶσθαι καὶ ἐπηυγάσθαι μόνον. Τὰ δὲ ἔνδον ὑπόξυλοι, καὶ οὗτοι μυῶν ἀγέλας ὅλας ἐμπολιτευομένας σκέποντες. ἡ Βενδὶς δὲ αὕτη, καὶ ὁ Ἄνουβις ἐκεινοσί, καὶ παρ᾽ αὐτὸν ὁ Ἄττις, καὶ ὁ Μίθρης, καὶ μὴν ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτίμητοι ὡς ἀληθῶς. *Videntur autem*, (verba ſunt Mercurii, quem

u) V. Albricum philoſ. *de Deorum imagin.* in *Mythologicis lat.* Commelini. Cf. Everh. Feithii *Antiqu. Homer.* l. I. c. IV. p. 24.

x) In *Jove Tragœdo* T. Opp. II. p. 132.

quem Jupiter Deos, ad concilium convocatos, pro materiæ artisve dignitate collocare juſſerat) *o Jupiter, ſoli barbari primas occupaturi. Nam Græcos vides, quales ſint: venuſti quidem & pulcri, & ſecundum artem compoſiti, lapidei tamen aut ænei omnes, vel qui omnium ſumtuoſiſſimi ſunt, eburnei, pauculo auro renidentes, ut qui eo tantum intincti refulgeant. Ceterum intus lignei, in quibus manentes muſcarum toti greges conteguntur. Bendis autem hæc, & Anubis ille, & prope ipſum Attis, & Mithres, ex ſolido auro ſunt conflati, graves & magni revera pretii.* Itaque uſitatiſſima Græcis ſimulacra fuerunt lignea, lapidea & marmorea, artificio tamen exquiſito elaborata. Speciatim vero ligni uſus antiquiſſimus extitit omnium, y) Platoni etiam, qui aurum, argentum, ebur, ferrum atque æs rejicit, maxime probatus. *Ligneum*, ſcribit Cicero, z) Platonis ſententiam expri-

y) Signa certe antiquiſſima in iis, quæ Pauſanias commemorat, ex ligno erant confecta. Vid. e. c. *Corinthiaca*, c. XIX.

z) De *Legibus* l. II. p. m. 1254.

primens, a) *quod quis voluerit, uno e ligno dedicato, itemque lapideum, in delubris communibus.* Genera autem ligni adhibita quæ fuerint, diſcamus ex Pauſania: b) Τοῖς δὲ ἀνθρώποις τὸ ἀρχαῖον, ὁπόσα καὶ ἡμεῖς καταμαθεῖν ἐδυνήθημεν, τοσάδε ἦν, ἀφ᾽ ὧν τὰ ξόανα ἐποιεῦντο· ἔβενος, κυπάρισσος, αἱ κέδροι, τὰ δρύϊνα, ἡ σμίλαξ, ὁ λωτός. Τῷ δὲ Ἑρμῇ τῷ Κυλληνίῳ τούτων μὲν ἀπὸ οὐδενὸς, θύου δὲ πεποιημένον τὸ ἄγαλμά ἐστι. *Ac priſci quidem homines, quantum ex antiquitatis monumentis didicimus, non aliis materiæ generibus ad ſimulacra Deorum uſi ſunt, quam hebeno, cupreſſo, cedro, quercu, ſmilace,* ſeu hedera Cilicia, *loto. Verum Mercurio Cyllenio e thya* (arbore odorifera) *ſignum ædificatum eſt.* Recenſet etiam Jo. Guil. Stuckius c) genera lignorum plura alia, ex quibus ſigna Deorum confici ſueverint: docetque ſpeciatim, illa Veneris ex myrto, Herculis ex populo, Jovis ex quercu, Minervæ ex olea,

N 5 Mer-

a) De *Leg.* l. XII. p.691.
b) In *Arcad.* c. XVII. p.633.
c) In *ſacrorum ſacrificiorumque gentil. deſcript.* f. 37. col. 2.

Mercurii è buxo, Priapi e ficulno ut plurimum fuiſſe fabrefacta. Ac talia quidem ſimulacra, quemadmodum & lapidea ac marmorea, ξόανα proprie dicebantur, quod e lignis aut lapidibus eraſa eſſent atque ſculpta. Heſychius: d) Ξόανα ἀγάλματα, εἴδωλα, ζώδια. κυρίως δὲ τὰ ἐκ ξύλων ἐξεσμένα ἢ λίθων. *Ξόανα ſimulacra dicuntur, imagines, ſigna; proprie autem ea, quæ e lignis eraſa ſunt aut lapidibus.* Poſtea æris cum primis multus eſſe cœpit uſus. Hinc ſtatuario Ariſtoteles e) æs, tanquam materiam tribuit præcipuam. Pauſanias certe, dum Græciam perluſtraret, ſigna Deorum ænea longe plurima obſervavit: in quibus illud Minervæ Chalciœcæ f) præ ceteris videtur memorabile. Signa aliqua ex ferro etiam, quod primus fundere docuit, & ad ſigna effingenda idoneum reddere, Theodorus Samius, g) fuere elaborata. Tale Herculis erat ſimulacrum,

d) V. Ξόανα.

e) *Polit.* l. I. c. VIII.

f) Pauſan. in *Lacon.* c. XVII. p. 250. Cf. ſupra dicta c. III. §. VIII.

g) Pauſan. in *Lacon.* c. XII. p. 237.

crum, cujus meminit Pauſanias.h) Eburneis in ſignis, quibus itidem delectati ſunt Græci recentiores, nobiliſſimum fuit illud Jovis Olympii LX pedes altum, quod Phidias, artifex celeberrimus, fabricatus eſt. i) Interdum plures etiam materias ad idem ſignum adhibere placuit. Sic Patris, in Achaja, Apollinis atque Veneris conſtituta fuerant ſigna, quibus os, manus & imi pedes e marmore, reliquæ partes e ligno erant. k) Ægiræ, quod itidem Achajæ oppidum, ligneum ſtabat Minervæ ſignum, facie, ſummis manibus ac pedibus eburneis; reliquas vera partes inauratum, l) coloribusque diſtinctum, (ligno vel lapidi illitis). Addimus de ſimulacrorum materia locum eximium Arnobii: m) *Simulacra iſta, quæ vos*

h) In *Phocicis* c. XVIII. p. 841.

i) Pauſan. in *Att.* c. XVIII. p. 42. Origenes *contra Celſum* p. 397. Arnob. l. VI. p. 199. Hyginus *fab.* CCXXIII.

k) Pauſan. in *Ach.* c. XXI. p. 577.

l) Pauſan. l. cit. c. XXVI. p. 592. Cf. ejusd. *Arcad.* c. XXV. p. 649.

m) *Adv. gentes* l. VI. p. 200. Cf. etiam Clem. Alexandr. in *Protrept.* ſ. *Admonit. ad gentes* p. 30.

vos terrent, quæque templis in omnibus proſtrati atque humiles adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta, lignum ſumtum ex arbore, aut commixtum glutinum gypſo: ex ornatibus fortaſſe meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex oſſibus, aut ex Indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta, conflata, in has ſpecies ducta ſunt atque in formas, quas cernitis, exierunt cet.

§. VIII.

Simulacrorum ornatus.

Ornatum Deorum Heroumve ſimulacris nonnullis partim aurum, partim colores, partim veſtes, partim coronæ addebant. De auro res liquet ex iis, quæ ſupra n) de Minervæ ſigno in Parthenone diximus. Sic & in Jovis Olympii ſimulacrum vim auri haud mediocrem inſumtam fuiſſe oportet, ſi verum eſt, quod cincini ejus duo, per ſacrilegos detonſi, pondus (auri) ſex minarum habuerint uterque, ſicuti a Luciano tra-

n) C. II. §. VIII.

traditum eſt. o) Baccho etiam, Corinthiorum in foro ſtatuæ duæ ligneæ, ſed auro, præter ora tamen, obductæ, fuerant poſitæ. p) Ac fuit fortasſis ejusdem generis Apollinis in templo Delphico ſignum, quod χρυσῦν, *aureum* vocat Pauſanias. r) De coloribus Minervæ ſigno, apud Ægiræos, allitis §. præced. teſtatus jam eſt Pauſanias. Vſurpabatur vero maxime color minio temperatus, præſertim in Bacchi atque Panis ſignis, interdum tamen ipſius quoque Jovis: quanquam poſtremum hoc, ne quid diſſimulem, Romani magis, quam Græci moris fuit. Pauſanias de eisdem, de quibus modo dictum eſt, Bacchi ſimulacris: s) τὰ δὲ πρόσωπα ἀλοιφῇ σφισιν ἐρυθρᾷ κεκόσμηται. *Ora illis ornata ſunt minio.* Idem de Baccho Phelloes, caſtelli Achaici: t) τῷ Διονύσῳ ὑπὸ κινναβάρεως τὸ ἄγαλμά ἐ-

ςιν

o) In *Jove Tragœdo* T. Opp. II. p. 141.
p) Pauſan. in Corinth. c. II. p. 115.
r) In *Phocicis* c. XXIV. p. 858.
s) In *Corinth.* l. c.
t) In *Ach.* c. XXVI. p. 593. Cf. *Arcad.* c. XXXIX. p. 681.

σιν ἐπηνθισμένον. *Baccho ſignum eſt cinnabari exornatum.* Hinc faciem ex nimio vini uſu rubram μέτωπον κεκροκωμένον, οἷα τοῦ Διονύσου, *croco illuſtratam, qualis illa ſit Bacchi,* auctor epigrammatis in Cratinum apud Athenæum u) vocat. De Pane miniato Virgilius: x)

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

De Jove Plinius: z) *Enumerat auctores Verrius, quibus credere ſit neceſſe, Jovis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantumque corpora.* Quod quidem priſcis a Romanis, Græcorum, ornatu hoc aliorum Deorum in ſignis utentium, ad imitationem inſtitutum ita fuiſſe credibile eſt. Veſtium ſimulacris injectarum exempla proſtant admodum multa. Sic de Apolli-ni,

u) *Dipnoſoph.* l. II. p. 39.
x) *Ecl.* X. v. 26.
z) *Hiſt. nat.* l. XXXIII. c. 7. Cf. l. XXXV. c. 12. Cic. l. X. *ad famil.* epiſt. 16. Plutarchum in *Qu. Rom.*

ne, qui Amyclis erat, Pauſanias: a) Ὑφαίνουσι κατὰ ἔτος αἱ γυναῖκες τῷ Απόλλωνι χιτῶνα τῷ ἐν Αμύκλαις, καὶ οἴκημα, ἔνθα ὑφαίνουσι, Χιτῶνα ὀνομάζουσι. *Intexunt ei, qui Amyclis eſt, Apollini quotannis mulieres tunicam: quoque integunt loco, eam officinam tunicam appellant.* Quod de Apollinis ſigno eo magis mirandum, quo erat more receptius, nudum illud ſtatui. Idem auctor de Dianæ & Bacchi ſtatuis: b) Απόλλωνι μὲν δὴ ξόανον γυμνόν ἐστι, τέχνης τῆς ἐπιχωρίου. τῇ δὲ Αρτέμιδι ἐστὶν ἐσθὴς, κατὰ ταυτὰ δὲ καὶ τῷ Διονύσῳ. *Apollini ſignum eſt nudum, arte factum patria: at illud Dianæ veſtem habet, quemadmodum & Bacchi.* Et de Æſculapii atque Hygiæ ſignis: c) Φαίνεται δὲ τοῦ ἀγάλματος πρόσωπον μόνον, καὶ ἄκρα, χεῖρες καὶ πόδες. Χιτὼν γάρ οἱ λευκὸς ἐρεοῦς, καὶ ἱμάτιον ἐπιβέβληται. Καί Ὑγείας δ' ἐστὶ κατὰ ταυτὸν ἄγαλμα· Ουκ ἂν οὐδὲ τοῦτο ἴδοις ῥαδίως, οὕτω περιέχουσιν αὐτὸ κόμαι τε γυναικῶν, αἳ κείρονται τῇ Θεῷ, καὶ ἐσθῆτος Βα-

a) In *Lacon.* c. XVI. p. 247.
b) In *Corinth.* c. XXX. p. 180.
c) *Corinth.* c. XI. p. 137.

Βαβυλωνίας τελαμῶνες. *Signi* (Æſculapii) *ipſius ſola ſe facies, partes extremæ, manus & imi pedes oſtendunt; partes ceteræ lanea tunica alba & pallio velantur. Sed & Hygiæ eodem in loco ſimulacrum eſt. Hoc quoque non facile conſpicias. Velatum enim undecunque eſt partim comis, quas detonſas feminæ conſecrarunt Deæ, partim vero Babyloniæ veſtis laciniis.* Interdum amicula, de quibus agimus, aurea erant tota, interdum vero auro tantum obducta. Aureum amiculum Jupiter habuit Olympius, de quo Cicero: d) *Dionyſius, quum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum veniſſet Jovis Olympii; aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Karthaginenſium tyrannus Gelo. Atque in eo etiam cavillatus eſt*, æſtate grave eſſe aureum amiculum, hieme frigidum: *eique laneum pallium injecit, cum id eſſe ad omne anni tempus diceret.* e) Veſte inaurata Gratiarum ſimu-

d) De *Nat. De.* l. III. p. 1202.
e) Rectius Ælianus *Hiſt. var.* l. I. c. 20. accidiſſe

ſimulacra ornaverant Elei. Pauſanias: f) Ἐςι δὲ καὶ Χάρισιν ἱερὸν, καὶ ξόανα ἐπίχρυσα τὰ ἐς ἐσθῆτας. *Suum habent & Gratiæ templum; & ſigna inaurata, quod ad veſtes attinet.* Ceterum morem illum, quo veſtibus integebantur Deorum ſimulacra, ſalſe perſtringit auctor epiſtolæ, Jeremiæ nomen præferentis. g) Κοσμῦσί τε αὐτὺς ὡς ἀνθρώπυς, τοῖς ἐνδύμασι, Θεὺς ἀργυρῦς καὶ Θεὺς χρυσῦς, καὶ ξυλίνυς. Οὗτοι δὲ ὐ διασώζονται ἀπὸ ἰῦ καὶ βρωμάτων, περιβεβλημμένων αὐτῶν ἱματισμὸν πορφυρῦν. *Veſtimentis Deos argenteos, aureos & ligneos, quaſi homines, exornant. Hi autem, quamvis veſte induti purpurea, ab ærugine & tineis ſeſe defendere non poſſunt.* Denique coronæ etiam Deorum ſignis, ornatus cauſſa, imponebantur, quippe majeſtati eorum con-

ſe hæc ait ſtatuæ Jovis Olympii Syracuſarum in urbe. Fefellit igitur memoria Ciceronem, quando ad Jovem Olympium in Peloponneſo hæc retulit. V. Perizon. *notas* ad l. Æl. cit. & Cf. Gisb. Cuperi *Obſervat.* l. III. c. 10.

f) *Eliac. poſter.* c. XXIV. p. 514.

g) Quæ Baruchi libro ſubjungi ſolet, v. 11. 12.

venientes. h) Imponebantur vero vel frondeæ, vel aureæ, frondearum tamen in modum elaboratæ. Hinc Heben atque Phœben Χρυσοστεφάνας vocat Heſiodus, i) propter coronam, qua ornari ſolebant, auream. Dianam quoque Brauroniam corona decoratam fuiſſe aurea, ex eo patet, quod Athenienſes aliquando puerum, qui folium aureum, ex corona ejus Dianæ delapſum, ſuſtulerat, ſacrilegii nomine ad mortem condemnarunt: k) unde ſimul, quanta coronarum divinarum fuerit religio apparet. De coronis frondeis ac floreis ſententiam dicit Artemidorus: l) Στεφανοῦν Θεοὺς ἄνθεσι καὶ κλάδοις προσήκουσι, καὶ νενομισμένοις ὁσίοις, ἀγαθὸν πᾶσι. *Coronare Deos floribus & ramis convenientibus, habitisque ſanctis, bonum eſt omnibus.* Afferebant autem has Deorum ad ſimulacra ii maxime, qui ſup-

h) Conſpicui hoc ornatu Dii ſunt in nummis vetuſtis plurimis.
i) *Theogon.* v. 17. & 136.
k) Ælianus *Hiſt. var.* l. V. c. 16. Cf. Pollucem *Onomaſt.* l. IX. c. VI. ſegm. 74.
l) *Oneirocr.* l. II. c. 34.

ſupplicarent. Hinc Jolaus apud Euripidem, m)

> Ω παῖδες, ait, ὑμῖν δ' οὐκ ἔχω τί χρήσομαι,
> Ποῖ τρεψόμεσθα, τίς γὰρ ἄστεπτος Θεῶν;
> *Vobis, o filii, quid conſulam non habeo.*
> *Quo nos vertemus. Quis enim Deorum* præteritus a nobis eſt,
> *qui non ſit coronatus?*

Et Jocaſta, de Oedipi perturbatione ob Laji cædem anxia, apud Sophoclem, n) decretum ſibi eſſe ait

> Ναοὺς ἱκέσθαι δαιμόνων, τὰ δ' ἐν χεροῖν
> Στέφη λαβούσῃ κἀπιθυμιάματα.
> *Templa adire Deorum, in manus*
> *Sumtis coronis & ſuffitu.*

§. IX.

Præterea barba quoque certorum Deorum ſignis addebatur, tanquam decus illis conciliatura. Jupiter certe barbatus effingebatur fere ſemper. Lucianus, aliorum ſimul Deorum, habita ratione capitis, indicans habitum: o) Οἱ δὲ, οὐκ οἶδ' ὅπου ἰδόντες, ἀνα-πλάτ-

Barba Diis addita.

m) In *Heraclidis* v. 441.
n) In *Oed. Tyr.* v. 932. Cf. Spanhem. *ad Callim.* p. 512.
o) De *ſacrif.* T. Opp. I. p. 361. Cf. Cic. de *Nat. De.*

πλάττουσι γενειήτην μὲν τὸν Δία, παῖδα δ' ἐς ἀεὶ τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ τὸν Ἑρμῆν ὑπηνήτην, καὶ Ποσειδῶνα κυανοχέιτην, καὶ γλαυκῶπιν τὴν Ἀθηνᾶν. *At hi* (Praxiteles, Polycletus, Phidias) *neſcio ubi viſos illos* (Deos) *effingant*, *Jovem quidem barbatum, Apollinem vero ſemper puerum* (imberbem), *Mercurium ducentem primam lanuginem*, *Neptunum nigro capillo, cæſiis oculis Minervam.* Pani *barbam hirſutam*, πώγωνα λάσιον, ipſe Mercurius pater exprobrat. p) Sed hunc ipſum quoque Mercurium γένειά ἔχοντα, ſive *barbatum*, apud Pharenſes & Pellenenſes, in Achaja, vidit Pauſanias. q) Quid ? quod Bacchi etiam, cui facies alioqui fingi ſolebat juvenilis, barbati exemplum aliquod idem commemorat Pauſanias. r)

§. X.

De. l. I. p. 1173. qui *Jovem ſemper barbatum* dicit, *Apollinem ſemper imberbem* cet.

p) Apud Lucianum in *Dial. Panos & Mercurii* T. Opp. I. p. 228.

q) In *Ach.* c. XXII. p. 579. & c. XXVII. p. 594.

r) In *Corinth.* c. XXX. p. 180. Plura de barba Deorum congeſſit Jo. Fried. Guhlingius in peculiari de argumento hoc diſſertatione, & in altera de *cauſſis barbæ Deorum.* Edita eſt utraque Vitemb. 1725.

§. X.

Adjungi etiam ſimulacris inſignia ſolebant peculiaria, quæ naturam, officia & negocia cujuſque Dei indicarent. Sic e. c. Jupiter cum ſceptro effingebatur, aquila & fulmine; Juno cum pavone; Neptunus cum tridente atque equo; Apollo cum lyra; Venus cum cygno; Diana cum cervo; Bacchus cum hedera; s) Gratiarum una cum roſa, altera cum talo, tertia cum myrti fronde t) cet. Quæ ſingula, aliaque id genus, apud eos, qui *Deorum inſignia.*

s) Athenæus *Dipnoſoph.* l. XV. p. 675. cauſam affert, quare hedera attributa ſit Baccho.

t) Quorum quidem inſignium rationem Pauſanias, *Eliac. poſter.* c. XXIV. his explicat verbis: Ἔχειν δὲ αὐτὰς ἐπὶ τοιῷδε εἰκάζοι τις ἂν τὰ εἰρημένα. ῥόδον μὲν καὶ μυρσίνην Ἀφροδίτης τε ἱερὰ εἶναι καὶ οἰκεῖα, τῷ ἐς κάλλος λόγῳ. Χάριτας δὲ Ἀφροδίτῃ μάλιστα εἶναι Θεῶν· ἀστράγαλον δὲ μειρακίων τε καὶ παρθένων, οἷς ἄχαρι οὐδέν πω πρόσεστιν ἐκ γήρως, τούτων εἶναι τὸν ἀστράγαλον παίγνιον. *Inſignium, quæ indicavimus, hanc eſſe quis conjiciat rationem. Roſam quidem & myrtum Veneri ſacram eſſe propriamque, propter eximiam pulcritudinis in utraque ſpeciem: quippe Gratias Veneri præ ceteris Diis attributas eſſe conſtat. Talum vero adoleſcentulorum & virginum, quibus nihil triſte ex ſenectute ineſt, ſignificare luſionem.*

qui imagines Deorum exhibuerunt, ſatis ſunt obvia. u)

§. XI.

Vmbellæ ſtatuarum & nimbi.

Dio expoſitæ ſi eſſent ſtatuæ, umbonibus, umbellis, ſive lunulis tegi ſolebant capita, ut ab aëris tempeſtatumque defenderentur injuriis, & ab avibus ne conſpurcarentur. Quas umbellas *μῆνας* & *μηνίσκυς* dixit Ariſtophanes, x) ob lunæ ſimilitudinem.

Ἢν δὲ μὴ κρίνητε, χαλκεύεσθε μηνίσκυς φορεῖν,
Ὥσπερ ἀνδριάντες· ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μήνην ἔχῃ
Ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκὴν, τότε μάλιστ᾽ ὗτω δίκην
Δώσεθ᾽ ἡμῖν πᾶσι τοῖς ὄρνισι καταλιλώμενοι.

Sin victoriam nobis abjudicetis, curate vobis lunulas fabricari,
Tanquam ſtatuis: nam quicunque veſtrum lunulam non habebit,
Quan-

u) E. c. Vincent. Chartarium in *Imaginibus Deorum* cet.
x) In *Avibus* v. 1114.

*Quando candida læna eritis induti,
tunc maxime pœnas
Nobis dabitis, ut ab omnibus avibus
percacemini.*

Vbi Scholiaſtes: Μηνίσκυς σκεπάσματα τῶν ἀνδριάντων, διὰ τὸ μὴ ἀποπατεῖν κατ' αὐτῶν τὰ ὄρνεα. Μηνίσκυς *tegumentum* vocat *ſtatuarum*, idcirco his impoſita, *ut aves illas ne concacent.* Interdum & nimbis cingebantur capita, ſive radiis ſplendentibus, iisque vel orbiculatis, vel triangularibus; y) majeſtatis quidem cauſſa. Auctor libelli de *Syria Dea* de Junonis ſimulacro Hierapolitano in Syria: s) Καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνάς τε φορέει, καὶ πύργον. *Et in capite radios geſtat & turrim*, cet. Et Lucianus t) ſtatuam auream, Timoni a ſenatu populoque Athenienſi decretam, collocatum iri ait in arce juxta Palladem, fulmen dextra tenentem, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχοντα, *radiosque ſuper capite habentem.*

y) De his libro ſingulari Jo. Nicolai egit, ed. 1699. 12.

s) Pag. 675. T. Opp. Luciani II.

t) In *Timone* T. Opp. I. p. 154.

§. XII.

Statuarum conſecratio. Conſecrari vero oportebat ſtatuas ſacras certis cærimoniis, ut vim quandam divinam acciperent. Nam Deos ſignis dedicatio inferre putabatur ſacra, & ut fabrilibus illa inhabitarent ſimulacris efficere. u) Itaque poſt conſecrationem demum Deos in ſtatuis habitare exiſtimabatur. Hinc Cyprianus x) atque Minucius Felix, y) ex Græcorum opinione, *ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis Deorum ſpiritus* ajunt *deliteſcere, adflatu ſuo vatum pectora inſpirare, extorum fibras animare, avium volatus gubernare, ſortes regere & oracula efficere.* Atque ex hoc ipſo facile patet ratio, quare ſimulacra tanta veneratione, uti gentes ſuperſtitioſæ aliæ, ita Græci quoque proſecuti ſint. Nempe Deos ad imagines ſuas, rite dedicatas, præſentes adeſſe opinabantur, eo fere modo, quo

u) Sic gentilis aliquis loquitur apud Arnobium, *adv. gentes* l. VI. p. 203. Cf. ibi *Animadv.* Heraldi.
x) De *Idol. vanit.* c. IV.
y) In *Octavio* c. XXVII.

quo mortuorum animæ circa tumulos, corporumque ſuorum reliquias oberrarent. z) Quamobrem & ſimulacra ipſa Deorum titulo honorabant, iisque ablatis Deos ſibi ipſos credebant ereptos. Extat ea de re exemplum memorabile apud Livium, a) ubi Ambracienſes, Corinthiorum in Theſprotia Epiri coloni, in ſenatu Romano per legatos conqueruntur, *templa tota urbe ſpoliata ornamentis; ſimulacra Deûm, Deos demum ipſos convulſos ex ſedibus ſuis ablatos eſſe, parietes poſtesque nudatos: quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent, Ambracienſibus non ſupereſſe.* Ritus vero conſecrationis in unctione, coronatione, adoratione & ſacrificatione conſtitit. b) Athenienſes ſacrificio utebantur plane ſingulari, cum ſtatuam aliquam, vel & altare dedicare vellent. Paratum illud fuerat ex leguminibus co-

O 5 ctis,

z) Vid. Lactant. *Div. inſtit.* l. II, c. 2. p. 164. & ad illum locum Walchii notas.

a) Lib. XXXVIII. c. 43.

b) Sicuti pluribus docent Andr. Chriſt. Eſchenbach in *Diſſertat. academ.* p. 160. 171. 379. 380. & Jo. Potterus in *Archæol. Gr.* l. II. c. II. p. 207.

ctis, cibo Græcorum antiquiſſimo. Hæc ollis indita a feminis, quæ varii coloris veſtibus indutæ eſſent, ſolenni pompa apportabantur, & ſimulacro novo pro primitiis offerebantur, tanquam priſci alimenti ſymbolum. Quam cærimoniam duobus locis tangit Arioſtophanes. c) Jovis Cteſii, ſive poſſeſſionum, prædiorum patrimoniorumque præſidis, ſigna quo ritu conſecrari ſolita ſint, ex iſto cognoſcitur Anticlidis præcepto: d) Διὸς κτησίου σημεῖα ἱδρύεσθαι χρὴ ὧδε. Καδίσκον καινὸν δίωτον ἐπιθηματοῦντα στέψαντα ὦτα ἐρίῳ λευκῷ, καὶ ἐκ τοῦ ὤμου τοῦ δεξιοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐκ τοῦ μετώπου ἄωτον κρόκινον κρεμαννύναι, καὶ ἔννυσθαι ὅ, τι ἂν εὕρῃς. εἶτά οἱ χέαι ἀμβροσίαν· ἡ δ᾽ ἀμβροσία ὕδωρ ἀκραιφνὲς, ἔλαιον, παγκαρπία. ἅπερ ἔμβαλε. e) *Jovis Cteſii ſigna ita ſtatuenda. Cadiſcum novum utrinque anſatum operculo tegendum: Simulacri auribus coro-*

c) In *Pluto*, v. 1198. & in *Pace*, v. 926. Cf. ibi ſcholia, & Lud. Küſteri, Car. Girardi & Ez. Spanhemii *annotat.*

d) Apud Athenæum *Dipnoſoph.* l. XI. p. 473.

e) Attulimus locum corruptum ex emendat. Caſauboni, in *Animadv. in Athen.* l. XI. c. VI. p. 500.

ronam e lana alba imponito. Ex humero ejus dextro lanam ſuſpendito coloris crocei: amicito etiam, ut erit tibi commodum. Deinde ambroſiam illi affundito: Eſt autem ambroſia aqua pura, oleum, & fructuum omne genus. Hæc omnia miſce ad ambroſiam.

§. XIII.

Simulacra myſtica, & διοπετῆ.

Nonnulla ſimulacra de natura divina magis, quam cetera, participare credebantur, eaque propter ſanctiora iudicabantur reliquis. Hæc pro myſticis habita recondi ſolebant in occultis templorum ſacrariis, intimisque receſſibus, ἐν ἀποῤῥήτοις, ſolis etiam, quibus id lege licitum, ſacerdotibus, & ſubinde ſemel tantum in anno, ut de Minerva Poliade apud Tegeatas traditPauſanias,f) conſpicua. g) Ac talia quidem ea maxime reputabantur, quæ διοπετῆ, ſive *cœlitus delapſa* eſſe plebi facile perſuadebant ſacerdotes, quod & ſumma

f) In *Arcad.* c. XLVII. p. 696.
g) Obſervante Spanhemio ad *hymnum Callim. in Palladem* v. 52. quo loco ſimulacra hujus generis aliqua idem auctor commemorat.

ma eſſent vetuſtate, & ab artifice fabrefacta ignoto. Erant hujus generis (1.) Minervæ Poliadis ſignum in arce Athenarum: cujus ſupra jam injecta eſt mentio. h) (2) Dianæ Epheſiæ ſimulacrum, quod in ipſis etiam novi fœderis tabulis dicitur *διοπετές*. i) (3) Celebratisſimum Trojanorum Palladium, Romam poſtea delatum. (4) Dianæ Tauricæ ſignum, de quo Euripides: k)

Σὺ δ᾽ εἶπας ἐλθεῖν Ταυρικῆς μ᾽ ὅρους χθονὸς,
Ενθ᾽ Αρτεμις σὴ σύγγονος βωμοὺς ἔχει,
Λαβεῖν τ᾽ ἄγαλμα θεᾶς, ὅ φασιν ἐνθάδε
Εις τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο.

Tu vero (o Phœbe) *me* (Oreſtem) *juſſiſti venire in Tauricæ terræ fines,*
Vbi Diana ſoror tua aram habet,
Et rapere ſtatuam Deæ, quam dicunt huc
In hoc templum de cœlo decidiſſe. l)

§ XIV.

h) Cap. II. §. VIII.
i) Act. XIX 35.
k) *Iphigen. in Tauris* v. 85.
l) Plura dabit modo laudatus auctor illuſtris *ad Callim.* l. c.

§. XIV.

Quibus aliorum extimeſcenda vis erat & crudelitas, ii in tuto erant collocati, ſi quam ſtatuam ſacram apprehendiſſent. Plutarchus: m) Ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμὸς, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν. καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ, θαῤῥοῦσι. *Ara eſt, ad quam confugere ſervus tuto poſſit, multa ſunt, quæ a latronibus non violantur templa, & qui hoſtes fugiunt,* ſimulacrum *aut fanum aliquod* tenentes *de ſalute ſua confidunt.* Idem de illis quoque dici poteſt, qui criminis alicujus, e. c. cædis, ſeſe fecerant reos. Quemadmodum & ii, qui calamitate aliqua, ſive privata ſive publica, premebantur, opis conſequendæ cauſſa; imo generatim omnes, qui a Diis aliquid impetrare vehementer cuperent, ad ſtatuas ſeſe recipiebant, harumque plantas aut genua, peplos coronasque amplectebantur n) Solebant autem

Statuarum ſacrarum amplexus.

m) De *Superſtit.* p. 166.

n) V. Arnobium l. VI. p. 202. atque ibi Deſ. Heraldi *Animadv.* Æſchylum in *Septem Theb.* v. 91.

tem ſupplices, dum dextram manum ſimulacro admoverent, ramos ſimul tenere ἱκετηρίας ſiniſtra. o) Nonnulli etiam coronas atque thymiamata domo ſecum afferebant, ut Diis illa pro donis offerrent. p)

§. XV.

Ablutio. Iam quia inquinari cenſebantur ſimulacra eorum contrectatione, qui ſcelere ſeſe aliquo contaminaſſent, ablui illa moris erat ritu ſolenni, ubi manu aliqua ſcelerata fuiſſent apprehenſa. „Cujus rei q) luculentum utique exemplum ſuppeditat Euripides „in *Iphigenia in Tauris*, r) ubi eadem „Deæ ſacerdos, tanquam contrecta„tam a polluto materna cæde, ac „proinde manuum piaculo devincto „Oreſte, Tauricæ Dianæ ſtatuam lava„ri velle fingit: Κἀκεῖνο νίψαι σοῦ θιγόντος, „ὡς ἱερᾷ. *Illud etiam* dicam, *cupere* ſta„tuam *lavari ſe*, *ut pote a te contre-* „*cta-*

v. 91. 101. & in *Supplic.* v. 201. Lycophr. in *Caſſandra* v. 1131.

o) Æſchylus in *Supplic.* l. c.

p) V. Sophoclem in *Oedipo Tyr.* Spanhemium *ad Callim.* p. 512. & 528. Cf. §. VIII.

q) Verbis utimur Spanhemii, l. c. p. 529.

r) Verſu 1041.

„*ſtatam.* Vnde poſtea Regi Thoanti „dicit Iphigenia,eandem ſtatuam, tan„quam ab hoſpitibus impuris, Ore„ſte nempe & Pylade, pollutam a „ſua ſede ſe avertiſſe; aitque: s)

Ἁγνιστέον μοὶ καὶ τὸ τῆς Θεᾶ βρέτας.

„*Purificanda* (aqua maris, quod „antea dixerat, *lavanda*) *mihi* „*eſt Deæ ſtatua;*

„ſiquidem, ut ipſe Rex continuo ad„dit, *matricidæ* Oreſtis macula eam *polluit.* Sed & aliis de cauſſis lavari oportebat ſimulacra apud Græcos Romanosque. Primum enim ſordes illa non raro contrahebant vel ex pulvere, vel, ſub dio ſi eſſent, ex pluvia aliisque aëris injuriis. Chryſoſtomus certe t) tantum obſervaſſe ſe ait ſimulacro incumbentem pulverem, ut neque oculus, neque alia quævis faciei pars appareret. Et Arnobius: u) *Sordeſcunt*, inquit, *divi*, *& ad ſordes eluendas lavantibus aquis opus, atque adjuncta antiqui cineris frictione.* Deinde ipſa quoque Numina lo-

s) Verſu 1199.
t) Serm. II. in *S. Babylam.*
u) *Adv. gentes* l. VII. p. 237.

lotione multum delectari, & quaſi recreari exiſtimabant. Hac de cauſſa Argivi Palladis ſimulacrum, ad Inachum amnem ſolenni pompa deportatum, ſtato anni die ablui curabant per virgines, λωτροχόους dictas. Quam in ſolennitatem hymnum ſingularem compoſuit Callimachus. x) Sic Romani quoque magnæ Deûm matris, ſive Cybeles, ſignum y) Almonis, (parvi fluvii in Tiberim illabentis) undis quotannis lavabant. Ovidius: z)

Eſt locus in Tiberin qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos
Almonis Dominam ſacraque lavit aquis.

Interdum non ipſa quidem ſimulacra, ſed detracta tantum iis ornamenta

x) Qui inſcribitur εἰς λοῦτρα τῆς Παλλάδος, *in lavacris Palladis.*

y) Quod, ſi Arnobio credimus l. VI. *adv. gentes* p. 253. *lapis* fuit *non magnus, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inæqualis.*

z) *Faſt.* l. IV. v. 337.

ta ſolenniter abluebantur. Hoc ritu Athenienſes uſi in iis, quæ Minervæ ornabant ſtatuam. Plutarchus: a) ᾗ γὰρ ἡμέρᾳ κατέπλευσεν ἐδρᾶτο τὰ πλυντήρια τῇ Θεῷ. δρῶσι δὲ τὰ ὄργεια πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόῤῥητα· τόν τε κόσμον καθελόντες, καὶ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες. Ὅθεν ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζουσιν. *Quo die in portum delatus eſt* Alcibiades, *Plynteria* (lavationes) *Minervæ agebantur. Sacra hæc arcana Praxiergidæ faciunt vigeſimo quinto die menſis Thargelionis, omnemque ornatum Deæ detrahunt, & ſimulacrum ejus operiunt; unde hunc diem habet præcipue populus Athenienſis inter neſaſtos feriatum.*

§. XVI.

Porro quædam ſimulacra, e cellis (σηκοῖς) ſuis educta carpentoque impoſita, ſtato anni die, ſplendida cum pompa, equitum tranſvectione, cantu, hymnis, tripudiis, adhibitiſ- *Simulacrorum per urbes in tenſis circumvectio.*

a) In *Alcibiad.* p. 210. Cf. Meurſ. in *Græcia fer.* p. 228. & Spanhemium *ad Callim.* p. 525. ſqq.

que aliis lætitiæ publicæ ſignis, per loca urbis frequentiora circumvehebantur. b) Carpentum, cujus ea in cærimonia uſus erat, ἀπήνη dicebatur: qua voce Pauſanias c) rhedam ſignificari ſcribit κατὰ τὴν συνωρίδα ἡμιόνȣς ἀντὶ ἵππων ἔχȣσαν, *bigis ſimilem, quam equorum loco muli traherent;* Scholiaſtes Pindari d) ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθὲν, *currum mulis junctum.* Cujusmodi currum ſacrum, equis tamen junctum, in nummo quodam Epheſiorum cernere eſt, cum hac inſcriptione: ΑΠΗΝΗ ΙΕΡΑ ΕΦΕΣΙΩΝ, *currus ſacer Epheſiorum.* e) Latini *Tenſam* dixerunt. Feſtus: f) Tenſam *ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad pulvinar vehuntur. Fuit & ex ebore ut apud Titinium in Barbato, & ex argento,* Ex Plutarcho colligas, ἀπήνας illas, ſive *tenſas*, equites etiam co-

b) Spanhem. ad *Callim.* p. 565.
c) *Eliac.* priori c. IX. p. 396.
d) Ad *Olympion.* f. 37. col. 2.
e) Effigiem nummi, quem gaza Gallorum regia ſervat, exhibet Spanh. l. c. p. 533.
f) De *Verb. ſignif.* hac voce. Cf. Jo. Schefferum de *Re vehicul. vet.* l. II. c. XXIV.

comitari ſueviſſe. Ἦν δὲ ἡμέρα, inquit Plutarchus, g) μηνὸς Μουνυχιῶνος ἐνάτη ἐπὶ δέκα, καὶ τῷ Διῒ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν. *Dies erat menſis Munychionis nonus decimus, ac pompam Jovi agentes* (Videtur agi de pompa, qua Jovis ſimulacrum curru circumvehebatur) *prætervehebantur equites* cet. Eodem referas quod Midiæ exprobrat Demoſthenes, h) eum ſcilicet, ſplendidus licet eſſet atque dives, ἵππον οὐ τολμήσαντα πρίασθαι, ἐπ᾽ ἀλλοτρίου τὰς πομπὰς ἡγῆσθαι, τοῦ Φιλομήλου τοῦ Παιανιέος, *equum proprium emere non fuiſſe auſum, ſed alieno equo, qui Philomeli Pæanienſis fuerit, vectum pompas duxiſſe.* Suſcepta autem videtur circumvectio illa ſolennis duplici de cauſſa. Primum, ut incolis loci omnibus appareret, Numinibus ipſos adhuc frui præſentibus: deinde, ut fauſti atque proſperi aliquid e ſimulacris in ea, per quæ ferrentur, quaſi emanaret loca. Ceterum orientis quoque populis eundem uſita-

 tum

g) In *Phocione* p. 758.
h) *Orat. adv. Midiam* p. 409.

tum fuiſſe morem, viris doctis obſervatum eſt. i)

§. XVII.

Cuſtodia ſimulacrorum accurata.

Quemadmodum igitur beatos ſeſe judicabant Græci ex Numinum ſuorum præſentia: ita ne urbibus illa emigrarent, aut a furibus hoſtibusve auferrentur, omni præcavebant providebantque ſtudio. Quamobrem k) *ſub validiſſimis Deos clavibus, ingentibusque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliisque hujusmodi rebus cuſtodiebant, conſervabant atque habebant incluſos, æditius mille protegebant atque excubitoribus mille: in baſibus uncis retinebant, & plumbeis vinctionibus.* Vncos & vinctiones illas de compedibus interpretari licet, ſimulacro, ut maneret, injici ſolitis. Pauſanias de ſignis Martis atque Victoriæ: l) Τοῦ ναοῦ δὲ ἀπαντικρὺ, πέδας ἔχων ἐστὶν Ἐνυάλιος, ἄγαλμα ἀρχαῖον· γνώμη δὲ τῇ αὐτῇ Λακεδαιμονίων τε ἐς τοῦτό ἐστιν ἄγαλμα, καὶ Ἀθηναίων ἐς τὴν ἄπτερον καλουμένην Νίκην.

Τῶν

i) E. c. Jo. Seldeno de *Dis Syris* p. 190. ſqq.

k) Verba recitamus Arnobii l. VI. *adv. gentes* p. 205. & 203.

l) In *Lacon.* c. XV. p. 245.

Τῶν μὲν οὔποτε τὸν Ἐνυάλιον φεύγοντα οἰχήσεσθαι, σφίσιν ἐνεχόμενον ταῖς πέδαις· Ἀθηναίων δὲ τὴν Νίκην αὐτόθι ἀεὶ μένειν οὐκ ὄντων πτερῶν. *Ex adverſo hujus templi viſitur priſci operis ſignum Enyalii* (Martis) *in compedibus. Eadem vero eſt ratio in hoc ſimulacro Lacedæmoniis, quæ Athenienſibus in ea Victoria, quam involucrem appellant. Illi enim vinculis impeditum a ſe nunquam Martem aufugiturum; Athenienſes ſemper manſuram ſecum quæ pinnis careat Victoriam interpretantur.* Notum etiam de Tyriis eſt, m) eos catenis aureis ſimulacrum Apollinis in baſi devinxiſſe, quippe impedituros, ut perſuaſum habebant, Dei ex urbe migrationem.

§. XVIII.

Aræ earumque diſcrimen. Scrobes pro inferis.

Cellis templorum (σηκοῖς) propinquæ, ab ortu quidem, n) *aræ* erant, ſive moles aggeſtæ, quas ſuper res ſacra fieret: quanquam illæ non in ſolis collocabantur templis, ſed alibi quoque paſſim erigebantur; e. c. in

m) Ex Curt. l. IV. c. 3. Plutarchi *Alex.* p. 678. Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* l. XVII. c. 41.
n) Vitruv. *Architect.* l. IV. c. 8.

agris ſacris, ſacellis, lucis, apud fontes, littus maris, in montibus præruptis, in foris & plateis urbium, imo in ædibus quoque privatis. o) Dicebantur vero aræ, illæ ſpeciatim, quæ Diis ſtructæ erant ſuperis, excelſiores quidem illæ, *βωμοὶ*: terreſtribus vero Diis Heroibusque conſecratæ, *ἐσχάραι*. Pollux: p) *Εσχάρα ἰδικῶς δοκεῖ μὲν ὧδε ὠνομάσθαι, ἐφ' ἧς τοῖς Ἥρωσιν ἀποθύομεν.* *Εσχάρα* (craticula) *proprie dici videtur, in qua ſacrificamus Heroibus.* Addit tamen ſtatim, poetarum nonnullos nomine hoc Deorum quoque ſuperorum aras appellaſſe. Euripides certe q) Apollinis aras *Λοξίȣ ἐσχάρας* vocavit. Qualis autem fuerit *ἐσχάρα*, Heroum dicata ſacrificiis, Heſychius explicat: r) *Εσχάρα βωμὸς ἰσόπεδος, ȣ̓κ ἐκ λίθȣ ὑψȣ́μενος.* *Εσχάρα* eſt *ara plana*, (quæ vel plane non, vel parum

---

o) Alceſtis certe apud Euripidem *βωμȣ̀ς* memorat *κατ' Ἀδμήτȣ δόμȣς*, *aras in ædibus Admeti*, in *Alceſt.* v. 168. Cf. quæ hac de re habet Feithius *Antiqu. Homer.* l. I. c. 9.

p) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 8.

q) In *Phœniſſis*, v. 291.

r) In *Lexico*, hac voce. Cf. *Scholia Hom. Odyſſ.* XXIII. v. 71. Schol. Eurip. ad l. c.

rum certe ſupra ſolum eminet contiguum) *quæ non eſt e lapidibus exaltata.* Diis inferis, quemadmodum & defunctis, ara poni ſolebat nulla, ſed ſcrobs tantum (βόθρος, λάκκος) effodi, aut caverna excavari ſubterranea (μέγαρον), s) in quam ſanguis victimæ effunderetur. Philoſtratus: t) Θεοὶ μὲν γὰρ χθόνιοι βόθρους ἀσπάζονται, καὶ τὰ ἐν κοίλη τῇ γῇ δρώμενα. *Dii inferi ſcrobe gaudent, & iis, quæ in terræ concavis fiunt, ſacrificiis.* Idem: u) Στεφανώσαντες δὲ τὴν κορυφὴν τοῦ κολωνοῦ, καὶ βόθρους ἐπ' αὐτῇ ὀρύξαντες, τὸν ταῦρον τὸν μέλανα ὡς τεθνεῶτι ἔσφαττον. *Coronato autem collis vertice, ſcrobibusque in illo effoſſis, nigrum, ut mortuo* (Achilli) *mactabant taurum.* De magnitudine ſcrobium illarum ex Homero conjectura fieri poterit, qui foveam talem aliquam cubitalem facit. x)

s) Commentatus de hac voce, ac de re ipſa ſum pluribus *Obſerv. phil.* p. VIII. p. 170. ſq.

t) In *vita Apollonii*, l. VI. c. 11. ſub finem.

u) In *Heroicis* c. XIX. p. 742. Cf. *Vitam Apoll.* l. IV. c. 16. p. 152. & quæ ad illum locum annotavit Olearius. Adde Porphyr. de *antro nymph.* p. 310.

x) *Odyſſ.* XI. v. 25.

Βόθρον ὄρυξα ὅσον τε πυγέσιον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Scrobem fodi, inquit Vlyſſes, *hinc & inde cubitalem.*

Adjicimus de locorum, in quibus ſacrificia fiebant, diſcrimine unum Lutatii teſtimonium: y) *Tria ſunt in ſacrificiis loca, per quæ piationem facimus, ſcrobiculo facto Inferis; Terreſtribus ſupra terram ſacrificamus; Cæleſtibus exſtructis focis.* Ceterum altaria primus qui conſtituit, certe Athenis, Cecrops fuiſſe dicitur. Euſebius: z) Πρῶτος Κέκροψ λέγεται βωμὸν παρ' Ἀθηναίοις ἱδρύσαι. *Primum ferunt Cecropem aram Athenis excitaſſe.*

§. XIX.

Altarium materia. Ad aras conſtruendas materia adhibebatur varia. Modo enim ex ceſpite viridi, aut terra congeſta, præſertim ſi extemporaneas eſſe oporteret; modo, & utplurimum quidem, ex lapide ſive vulgari ſive marmoreo, interdum & ex cocto; modo ex cineribus aduſtorum femorum, ut illa

y) Ad Statii *Theb.* l. V.
z) *Præpar. Evang.* l. X. c. IX. p. 486.

illa Jovis Olympii apud Eleos, Junonis Samiæ ac Olympiæ, & Telluris; a) modo ex animalium compoſitæ fuere cornibus, uti illa, de qua Callimachus: b)

Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Diana venata capita aſſidue caprearum
Cynthiadum offerebat, ipſe vero compingebat aram Apollo.
Conſtruxit quidem cornibus fundamenta, compegitque aram
Ex cornibus: cornua vero undique appoſuit parietibus.

Nonnullæ etiam, majoris decoris & ſplendoris cauſſa, auro obducebantur.

a) Pauſan. *Eliac. priori* c. XIII. p. 409. & c. XIV. p. 412. & 413.
b) *Hymno in Apoll.* v. 60. ubi cf. quæ annotavit Spanhem. in *Obſervat.* p. 82. & 84.

tur. Hujus generis quinquaginta, cum focis (ἐσχάραις) duodecim, itidem inauratis, in pompa illa viſebantur Bacchica, quam rex Ægypti Ptolemæus inſtruxerat. c)

§. XX.

Altarium figura, altitudo, cornua & coronæ.

Figura altarium itidem fuit varia. Aliqua enim oblongam retulere, uti illa Parcarum, de qua Pauſanias: d) Πλησίον δὲ καὶ Μοιρῶν βωμός ἐστιν ἐπιμηκής. *Propinqua eſt Parcarum ara, figura oblonga,* quadratam alia, alia rotundam, alia denique polygonam, ſicuti e locis Pauſaniæ aliis compluribus, & e nummis quoque nonnonnullis antiquis perſpicitur. Altitudo quibuſdam ſic ſatis grandis fuit. Illa certe Jovis Olympii in Elide ad pedes in altum evecta fuit XXII, ſic ut ad ſummum altaris per gradus aſcendendum eſſet, quos e cineribus fecerant. e) Cornua altaribus, certe aliquibus, fuiſſe addita, (quamvis, quem

c) Athenæus *Dipnoſoph.* l. V. p. 202.
d) *Eliac. priori*, c. XV. p. 414.
e) Pauſan. *Eliac. priori*, c. XIII. p. 409.

quem potiſſimum in uſum, non ſatis liqueat) Nonnus his docet verſibus: f)

Εἰς ὄρος ὑψικάρηνον ὁμόστολος ᾔιε Κάδμῳ
Πενθέος ἐσσομένοιο, καὶ εὐκεράῳ παρὰ βωμῷ
Θῆλυν ὄϊν κερόεντι συνέμπορον ἄρσενι ταύρῳ

In montem altum cacumen habentem comes Agaue *ibat Cadmo*
Penthei futuri, & bene cornutum *apud altare*
Feminam ovem, *cornuto comitem maſculo tauro* ſacrificavit.

Ornatus cauſſa herbis, frondibus, aut floribus vinciri ſolebant aræ atque coronari. Eas herbas cet. *verbenas* Romani generatim, g) Græci στεφανώματα βωμῶν appellabant. Ptolemæo regi in pompa illa, cujus paullo ante meminimus, aras inauratas quinquaginta coronis decorare aureis placuit. h)

§. XXI.

Inſcribebantur altaria nominibus aut *Aræ Deorum nominibus,*

f) *Dionyſ.* l. XLIV. v. 96. Cf. Jo. Spenceri librum de *leg. Hebr. rit.* l. III. diſſert. I. c. 4.
g) Terent. in *Andr.* act. IV. ſc. IV. v. 5.
h) Athen. l. c. Cf. Spanhem. *ad Callim.* p. 97.

aut inſignibus inſcriptæ aut inſignibns Deorum, quorum dicata erant honori. Liquet id ex ara illa, quam Athenarum in urbe conſpexerat Paullus. Huic enim ἐπεγέγραπτο, *inſcriptum fuerat:* Ἀγνώστῳ Θεῷ, *Deo ignoto*, ſcilicet ſacra eſt. i) Nec dubium, quin plerisque aliis etiam in aris idem fuerit obſervatum. Pluribus ſimul Diis conſecrata ſi eſſet ara eadem, k) videntur nomina eorum, aut inſignia certe, ex quibus agnoſci poſſent, ſigillatim expreſſa in inſcriptione fuiſſe, niſi forte, ſub communi quodam, titulo, qualis e. c. iſte: Μεγάλοι Θεοὶ, *Dii magni*, l) poſſent comprehendi.

§. XXII.

---

i) Act. XVII, 23.

k) Nam id quidem fieri conſueviſſe, ſupra jam c. VI. §. XVII. oſtenſum eſt. Cf. c. II. §. X.

l) Qui quum numero eſſent duodecim, οἱ δώδεκα, vel δυώδεκα etiam dicebantur. His aram communem Argonautas in Aſiatico ad Boſporum Thraciæ littore poſuiſſe, apud Apollonium Rhodium *Argonaut.* l. II. v. 533. legimus. Æſchylus aram, eisdem Diis XII. erectam, κοινοβωμίαν πάντων ἀνάκτων, *aram communem Regum omnium* videtur nuncupare, in *Supplic.* v. 230.

§. XXII.

Ad uſum altarium quod attinet, eorum pleraque victimarum carnibus cremandis inſerviebant, dicta propterea βωμοὶ ἔμπυροι; alia vero ignem quidem recipiebant, ſed cruenti nihil, ἀναιμάκτων, ſive *incruentorum* idcirco inſignita nomine; rurſus alia neque ignem neque cruenti quid admittebant, βωμοὶ ἄπυροι vocari ſolita. De ara ἀναιμάκτῳ Orpheus: m)

Altarium uſus, caminus, conſecratio.

Πρῶτον μὲν ἔν σπεύδοντας ἀναιμάκτων ἐπὶ βωμῶν,
Ου γὰρ ἄγειν θέμις ἐςὶ θυηλὴν ἐμψύχοιο.

Primum quidem accelerantes ad aras incruentas;
Non enim fas eſt victimam immolare animalem.

Tacitus de ara Veneris Paphiæ: n) *Sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altari adolentur.* De ara ἀπύρῳ Diogenes Laertius: o)

Αμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ

τȣ̃

m) De *lapidibus*, carmine de *achate*, v. 58. p. 236. edit. Eſchenbach.

n) *Hiſtor.* l. II. c. 3.

o) In *Pythag.* p. 576.

τȣ̃ Ἀπόλλωνος τȣ̃ γενέτορος, ὅς ἐςιν ὄπιϑεν τȣ̃ Κερατίνȣ, διὰ τὸ πυρȣ̀ς καὶ κριϑὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίϑεϑαι ἐπ' αὐτȣ̃, ἄνευ πυρός· ἱερεῖον δὲ μηδὲν, ὥς φησιν Ἀριςοτέλης ἐν Δηλίων πολιτείᾳ. *Denique ſolam Apollinis Genitoris, quæ in Delo poſt Ceratinam* (aram e cornubus ſtructam) *eſt, aram veneratum* ferunt Pythagoram, *quod frumenta & hordeum, & placentas illi, absque uſu ignis, imponere ex more ſoleant, victimam vero nullam, ut Ariſtoteles in Republica Deliorum teſtatur.* Pertinet huc etiam ara Jovis Ὑπάτȣ, *ſupremi*, ἔνϑα ἔμψυχον ἔϑυον ȣ̓δὲν, πέμματα δὲ ἔϑεντο, *in qua animati nihil, ſed placentas tantum apponebant.* Ita ſcilicet inſtitutum fuerat a Cecrope, Athenienſium rege, qui ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τȣ́των μὲν ἠξίωσεν ȣ̓δὲν ϑῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τȣ̃ βωμȣ̃ καϑήγισεν, ἃ πελάνȣς καλȣ̃σιν Ἀϑηναῖοι, *nihil vita præditum immolandum duxit, ſed liba tantum patria* (πελάνȣς *dicta Atticis*) *ut ad aram porricerentur, ſanxit* p). Ceterum aras illas,

p) Pauſan. in *Att.* c. XXVI. p. 62. & in *Arcad.* c. II. p. 600. Cf. Potteri *Archæol. Gr.* l. II. c. II. p. 205.

illas, in quibus igne adoleretur, templis aut ædibus tectis aliis incluſæ ſi eſſent, caminis, ad fumum excipiendum, inſtructas ſuperne fuiſſe quis dubitet? Alioquin enim quomodo evitari potuiſſet, quin fumo pene ſuffocarentur homines, circa aram verſantes, ac ſimulacra ornamentaque templorum cetera penitus deformarentur, non apparet. Conſecratio altarium ritibus peragebatur eiſdem, quibus illa ſimulacrorum. q)

§. XXIII.

Præter aras *menſæ* etiam Diis collocabantur in templis, cum variis cibis aliis, tum præſertim libis, nucibus, ficubus, aliisque id genus bellariis, Diis offerri ſolitis, refertæ. Dicebantur illæ τράπεζαι ἱεραὶ, *menſæ ſacræ*, & θυωροὶ aut θυωρίδες, παρὰ τὸ θύη ὠρεῖν, *a ſuffimentorum cuſtodia.* r) Ariſtophanes: s) *Menſæ ſacræ.*

Ἔνειτ'

q) Vid. §. hujus cap. XII.

r) Spanhem. *ad Callim.* p. 229.

s) Solebant ſcilicet ſacerdotes quæ in menſis ſacris appoſita eſſent ipſi rapere, & abſumere, dum plebi, Deos illis veſci, perſuaderent. V. *additam.* ad *Dan.* v. 13. ſq.

Ἔπειτ᾽ ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα
Τοὺς φθοῖς ἀφαρπάζοντα, καὶ τὰς ἰχάδας,
Ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς. μετὰ τοῦτο δὲ
Περιῆλθε τοὺς βωμοὺς ἅπαντας ἐν κύκλῳ,
Εἴ που πόπανον εἴη τι καταλελειμμένον.

Deinde, capite ſublato, video ſacrificum
Liba ſurripere, nuces ficusque
E menſa ſacra. s) *Tum*
Aras circumire cunctas ordine,
Sicubi forte popanum relictum eſſet aliquod.

Pollux: t) Ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν, καὶ τράπεζα, πέμματα ἔχουσα, ἡ θεωρὶς ὠνομάζετο, ἢ θυωρίς. *Poſt ſcenam vero* theatri *ara* ἀγυιεὺς (ſtans pro foribus, columnæ forma) u) *eſt, ante januas, &* *menſa* (ſacra), *placentas ſuſtinens,* (interpres *corollas* reddidit, male legens στέμματα, pro πέμματα,) *quæ* θεωρὶς *nominabatur, aut* θυωρίς. Sic Chæronenſes, in Bœotia, ſceptro Jovis, Vul-

t) *Onomaſt.* l. IV. c. IX. ſegm. 123.
u) Heſych. voce ἀγυιεύς.

Vulcani, uti ferebatur, operi, rem ſacram faciebant quotidie, eique τραπέζαν παντοδαπῶν κρεῶν καὶ πεμμάτων πλήρη, *menſam cujusvis generis carnibus & placentis refertam* apponebant. x) Antiochus etiam rex in pompa, quam inſtruxerat, ſolemni θυωρίδας, ſive θεωρίδας (ſic enim legendum pro θεωρίας) *menſas ſacras* circumferri curavit propemodum trecentas, ipſas quoque procul dubio dapium plenas. y) Cumprimis vero Diis, qui vocabantur, bonis, Ἀγαθοῖς Δαίμοσι, menſæ tales poni in fanis ſolebant, eæque vel argenteæ vel aureæ, aut ſaltem inauratæ. Cicero de Dionyſio, Siciliæ Tyranno: z) *Jam menſas argenteas de omnibus delubris juſſit auferri* (Valerius Maximus a) *aureas* etiam addit): *in quibus quod more veteris*

x) Pauſan. in *Bœot.* c. XL. p. 795.

y) Narrat Athenæus *Dipnoſoph.* l. V. p. 195. Cf. Caſaub. *Animadv.* l. V. c. V. p. 216.

z) De *Nat. De.* l. III. p. 1202. Cf. Ælianum *Hiſt. var.* l. I. c. XX. qui ſpeciatim refert, juſſiſſe Dionyſium menſam argenteam, Apollini apud Troezenios, in Argolide Peloponneſi, adſtantem, auferri, Deoque *Boni Dæmonis* poculum propinari.

a) Lib. I. c. I. n. 3. in *Externis.*

Græciæ inſcriptum eſſet Bonorum Deorum, uti ſe eorum bonitate velle dicebat. Idem ſacrilegium, a Græcis Troja capta commiſſum, Æneas lamentatur apud Virgilium: b)

Huc undique Troïa gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque
Deorum.

Græcorum exemplum hac etiam in re ſecutos eſſe Romanos, parique modo menſas Diis ſuis dedicaſſe cibis onerandas, Dionyſius teſtatur Halicarnaſſeus: c) Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα Θεοῖς, ἐν τραπέζαις ξυλίνοις ἀρχαϊκαῖς. *Ipſe ſpectavi in ſacris ædibus cœnas Diis appoſitas in menſis ligneis, antiqui operis.* Menſas illas, ſimul cum aris, eodem die, quo ædes ipſas, dedicari eſſe ſolitas, & ararum quoque vicem præſtitiſſe, ſic ut libari in illas etiam potuerit, quum non in menſam, ſed in aram ſecundum morem libari debuerit, ex jure Papyriano obſervat Macrobius. d) Prætereundum hoc loco non

b) *Æn.* l. II. v. 763.
c) *Antiqu. Rom.* l. II. p. 93. Cf. ibi quæ præcedunt.
d) *Saturnal.* l. III. c. 11. Cf. Feſtum de *Verb. ſignif.*

non eſt, Hecates quoque in ſacris uſitatum fuiſſe, ut novilunio quovis, ſub veſperam, menſa Deæ iſti poneretur in triviis, cibis onuſta variis, licet vilioribus, & libamine mixto, quæ pauperes abſumerent protinus, Hecaten illa comediſſe ac bibiſſe dictitantes. Quem ritum alibi nos fuſius explicavimus. e)

§. XXIV.

Ad ornatum templorum *donaria* (ἀναθήματα) maxime conferebant plurimum. Munera erant Diis oblata atque conſecrata, & vel ex columnis templorum, parietibus, poſtibus, faſtigiis tholisque f) ſuſpenſa, vel in crepidine quadam repoſita. Nempe palatiorum regiorum numero quum haberentur templa, prouti Dii ipſi reges humani generis cenſebantur ſalutabanturque ſummi: **Donaria.**

gnif. voce *Menſæ*, & ad eum locum Joſ. Scaligerum.

e) *Obſervat. phil.* p. IV. obſ. II. Cf. *Prolegom.* §. III.

f) Virgil. *Æn.* l. IX. v. 406.

Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris.
Dona *tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,*
Suſpendive tholo, *aut* ſacra *ad* faſtigia *fixi.*

conveniens utique videbatur, ſuppellectili varia atque pretioſa, aliisque rebus, quibus pretium ſtatui ſoleret magnum, exornari fana atque locupletari. Quocirca ad munera illa exhibenda certatum quaſi fuit ab hominibus religioſis, iis præſertim, qui oraculum templi aliquod conſulere inſtituerent. Neque enim obtineri reſponſum potuit, niſi oblata prius eſſent donaria. Ex quo factum, ut templum Delphicum, cujus oraculum toto olim orbe celebratum fuit, opulentiſſimum evaſerit, &, ſi ornatum ſpectes interiorem, magnificentiſſimum. g)

§. XXV.

Donaria quibus ex rebus conſtiterint.

Quibus autem potiſſimum e rebus conſtiterint donaria, Pollux indicat. h) Τὰ δὲ ἀναθήματα, ὡς ἐπὶ πολὺ, ϛέφανοι, φιάλαι, ἐκπώματα, θυμιατήρια, χρυσίδες, ἀργυρίδες, οἰνοχόαι, ἀμφορίσκοι. *Donaria plerumque ſunt coronæ, phialæ, pocula, thuribula, aureæ argenteæ-*

g) V. Pauſan. in *Phoc.* c. IX. p. 818. ubi donaria templi Delph. ordine enumerantur.

h) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 25.

teæque phialæ, cyathi, amphoræ. Addi his poſſunt *ſtatuæ, tripodes, veſtes, arma & ſpolia* hoſtibus detracta. Coronæ olim ſic Deorum reputabantur propriæ, ut, teſte Plinio, i) *antiquitus nulla niſi Deo daretur.* Conſecrari præcipue ſolebant ab imperantibus. Sic Nero Romanorum imperator Junoni illi, quæ prope Mycenas, Peloponneſi civitatem, fanum habebat, & Jovi Olympio in Elide coronas obtulit aureas. k) Statuarum, pro donariis in templo Delphico exhibitarum, numerum ingentem recenſet Pauſanias. l) Tripodes iis in donis, quæ Apollini offerebantur Delphico, locum tenebant principem, quum tripodis in oraculo Delphico uſus eſſet maximus. Hinc Pauſanias, Lacedæmoniorum dux, quod poſt devictum apud Platæas Mardonium Apollini offerret, majus reperiri a ſe poſſe non credidit, quam tripodem aureum. m) Veſtium Diis oblata-

 rum

i) *Hiſt. nat.* l. XVI. c. IV.
k) Pauſan. *Corinth.* c. XVII. p. 148. & *Eliac. pr.* c. XII. p. 406.
l) In *Phoc.* c. IX.
m) Corn. Nepos in *Pauſan.* c. I.

rum exempla apud Herodotum extant & Pauſaniam, quorum hic n) Neronem palla Junonem donaſſe purpurea, ille o) Croeſum narrat, Lydorum regem, uxoris ſuæ monilia, a collo pendentia, & zonas Delphos miſiſſe. Homerus de Ægiſto: p)

Πολλὰ δ' ἀγάλματ' ἀνῆψεν, ὑφάσματά τε, χρυσόν τε.

Multa donaria ſuſpendit, veſtesque *aurumque.*

Apud eundem q) Hector rogat matrem, ut peplum elegantiſſimum maximumque ponat Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο, *Minervæ ad genua comam pulcram habentis.* Adhibebantur autem veſtes illæ plerumque ſimulacris, quæ in fanis erant, tegendis ornandisque. r) Arma offerri ſolebant vel dedita opera eum in finem fabricata, (quomodo Croeſus Amphiarao clypeum pro donario miſit aureum, totamque ex auro ſolido haſtam, & haſtile

n) Loco cit.
o) Lib. I. c. 51.
p) *Odyſſ.* III. v. 274.
q) *Il.* VI. v. 271. Cf. v. 303.
r) Vid. §. VIII. hujus cap.

ſtile cum ſpiculis ſuis aureum) s) vel hoſtibus erepta, ſimul cum ſpoliis pretioſioribus: quanquam Plato poſterioris generis arma, præſertim ſi Græci cepiſſent a Græcis, Deorum in ſana inferri noluit. Οὐδὲ μήν πω, inquit, t) πρὸς τὰ ἱερὰ τὰ ὅπλα οἴσομεν, ὡς ἀναθήσοντες, ἄλλως τε καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων, ἐάν τι ἡμῖν μέλῃ τῆς πρὸς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας εὐνοίας. *Neque etiam arma in templa transferemus, ea Diis ſacraturi, præſertim arma Græcorum, ſi modo nobis curæ eſt cum Græcis aliis benevolentia.* Denique illis etiam, qui novam vivendi inierant rationem, ſolenne erat inſtrumenta, quibus ad priora uſi fuerant ſtudia, Diis ſuſpendere. Ita v.c. piſcatores, mutato vitæ genere, Neptuno atque Nymphis ſua retia: Paſtores Pani fiſtulas conſecrabant: Laïs, anus facta, ſpeculum ſuum Veneri obtulit. u) Quid? quod captivi etiam, libertate recuperata, vincula ſua ex arboribus ſuſ-

Q 4 pen-

s) Herod. l. c.
t) De *Republ.* l. V. p. 464.
u) V. Jo. Potteri *Archæol. Gr.* l. II. c. IV. p. 246. Everh. Feithii *Antiqu. Homer.* l. I. c. 11.

pendebant lucorum templis circumjectorum. x)

§. XXVI.

Cauſſæ, quæ ad donaria offer. homines impulere.

Quod movebat homines, ut donaria Diis offerrent, pietas erat ſtudiumque reddendi ſibi Deos faventes, iratos placandi, reſponſum, vel beneficium aliquod aliud ab illis impetrandi, vel pro accepto gratiam eisdem referendi. Sic e. c. Corcyræos legimus, y) animum gratum Apollini Delphico teſtificaturos, bove hunc donaſſe æneo, quod reſponſo dato illos docuiſſet, quomodo thynnos, grandioris corporis piſces, quos diu fruſtra fuerant inſectati, poſſent capere. Nimirum juſſerat eos Apollo taurum mactare Neptuno; eoque facto res ſucceſſerat. Ita quoque poſt victoriam ab hoſtibus reportatam, munera, eaque ex præda potiſſimum ſelecta, Diis ſolebant exhiberi. z) Pari modo qui a periculo quodam aut morbo fuerant liberati, vel & liberari

x) Pauſan. in *Corinth.* c. XIII. p. 141.
y) Apud Pauſan. in *Phoc.* c. IX. p. 818.
z) Exemplum habes apud Cornel. Nep. in *Pauſan.* c. I.

rari cupiebant, dona conſecrabant illi Deo, a quo ſalutem vel profectam eſſe opinabantur, vel profecturam ſperabant. Ac erant illa ita ſæpius conformata, ut ſigna præberent aut monumenta malorum, ſive præſentium ſive futurorum. Sic Athenienſes, morbo in partibus vexati verendis, phallos a) erexerunt Baccho, quem offendiſſe ſe putabant. b) Et vincula, a captivis, uti ex Pauſania modo accepimus, ſuſpendi ſolita, quid, niſi monumenta erant miſeriæ hominum ſuperioris? Rationem in donariis offerendis eandem gentes ſecutas eſſe novimus etiam alias, nominatim Philiſtæos, c) & Romanos, imo ipſos quoque ſeculi a nato Chriſto quinti Chriſtianos. Philiſtæi enim ut a mariſcis, quibus tunc affligebantur, & a muribus agros ipſorum vaſtantibus liberarentur, quinque imagines mariſcarum aureas, cum totidem muribus aureis, dono

 dan-

a) Haſtæ erant, ſive perticæ oblongæ, quarum ſummitati verendum virile coriaceum affixum.

b) Schol. Ariſtoph. ad *Acharn.* v. 242.

c) De quibus repeti hic velim, quæ *Prolegom.* §. III. obſervavimus.

danda cenſuerunt Iſraelitarum Deo. d) Apud Romanos naufragium e. c. paſſi qui eſſent, ita ut ſalvi evaſiſſent, votiva in tabula pictam periculi imaginem, vel & veſtimenta uvida, in fanis Neptuni aliorumque, quorum ope ſe ſervatos putabant, Deorum ſuſpendebant, e) De Chriſtianis donaria in templis appendentibus, quæ imaginem haberent partium, quæ aliquo morbo afflictæ convaluerant, diſerte teſtatur Theodoretus: f) Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα. Καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. *Quod vero votorum compotes fiunt, qui fideliter promittunt, palam teſtantur eorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum*

d) 1. Sam. VI, 4. 5.

e) V. Juvenalem *Sat.* XII. v. 27. 28. Horat. *Carm.* l. I. oda V. v. 13. & quæ ad illa loca annotarunt viri docti Cf. Horat. *Sat.* l. I. *ſat.* V. v. 65. & *Epiſt.* l. I. epiſt. I. v. 4. 5.

f) *Therapeutic.* VIII. citante Sam. Bocharto, *Hieroz.* p. I. l. II. c. 36. p. 368.

nuum effigies offerunt, ex auro, vel argento confectas. Vt autem a quibus, & qua de cauſſa, oblata fuiſſent donaria, conſtare poſſet inter omnes, ſolebat tum nomen ejus, qui dedicaſſet, tum cauſſa quoque vel donariis ipſis, vel tabulæ certe eisdem additæ inſcribi. g)

§. XXVII.

Reſtat ut, priusquam finis huic de templis Græcorum tractationi imponatur, de *aſyli* ſive tuti receptus privilegio, templis quibusdam attributo, nonnihil dicamus. Primus aſyla inter Græcos quis inſtituerit, etſi in dubio adhuc poſitum eſt, quum originem aliqui a Cadmo, Thebas condente, alii ex nepotibus repetant Herculis, ab iis, quos avus ipſorum oppreſſerat, ſibi metuentibus; h) antiquiſſima tamen eſſe certum eſt. Diu enim ante Codri, qui poſtremus regnavit Athenis, ætatem Dodonæi Jovis oracnlo admoniti fuere Athenienſes,

Aſyli privileg. templis nonnullis attributum, it. civitatibus.

g) Vid. Nepotem in *Pauſ.* c. I. Tibullum, l. I. *el.* III. v. 27. 28. Ovid. *Amorum* l. II. *el.* XIII. v. 24. ſqq. Cf. Feithii *Ant. Homer.* l. I. c. XI. p. 69.

h) Servius ad *Æn.* II. v. 761. & ad VIII. v. 341.

ſes, iis uti parcerent Laconibus, qui in Areopagum, vel ad Eumenidum aram, tanquam ad aſyla, ſupplices ſeſe recepiſſent. i) Aſſignatum vero jus aſyli iis cumprimis templis erat, quibus illud conſecrationis lege fuerat conceſſum. k) Sic Athenis Minervæ templum in arce, Eumenidum ſacellum in Areopago, & Theſei fanum utrumque, unum in Piræeo, alterum in urbe media: l) Spartæ templum Minervæ Chalciœcæ: m) Tænari, quod Laconicæ oppidum & promontorium erat, Neptuni fanum n) violari nefas putabatur. Eodem privilegio magnificum illud Dianæ Epheſiæ templum ſic ornatum fuerat, ut ſolum etiam circumjacens ad ſtadii unius, ex Antonii vero inſtituto ad duorum ſtadiorum ſpatium aſylum præberet. Coarctavit tamen hujus libertatis fines Auguſtus Cæſar, ne maleficis urbs in poteſtatem hoc pacto

i) Pauſan. in *Achaicis* c. XXV. p. 588.
k) Obſervante Servio ad *Æn.* II. v. 761.
l) V. Sam. Petiti *Commentar. ad leges Att.* p. 13. & cf. c. II. §. IX.
m) Corn. Nepos in *Pauſ.* c. V.
n) Id. l. c. c. IV.

cto dedi videretur. o) Porro ad ſimulacra quoque Deorum, & ad aras tutum erat ſupplicibus perfugium. De ſimulacris id ſupra jam §. XIV. obſervavimus, quo loco & Plutarchi attulimus teſtimonium, ex quo ſervos vim patientes ad aras confugere potuiſſe, ſimul apparet. Accedat nunc illi hocce Euripidis: p)

Ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν,
Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν.

Habet enim refugium, fera quidem petram,
Servi vero aras Deorum.

Verum non ſervis tantum, ſed ſupplicibus etiam aliis quibuscunque aræ fuerunt φεύξιμοι. Hinc Platæenſes, quum Athenienſibus ſeſe vellent dedere, & in tutelam ab eisdem recipi, ſupplices ſederunt ad aram XII. Deorum, Athenarum in urbe. q) At nihil tamen, quod mireris, ipſa hæc ara Calliſtrato cuidam profuit, qui, ut decretum ipſi mortis ſupplicium effugeret, ad eam ſe receperat. Nam mor-

o) Strabo *Geogr.* l. XIV. p. 950.
p) In *Supplic.* v. 267.
q) Herodot. l. VI. c. 108.

Digitized by Google

morti is nihilo ſecius adjudicatus fuit: idque jure factum exiſtimat Lycurgus: r) Τίς γὰρ οὐ μέμνηται, inquit, τῶν πρεσβυτέρων, ἢ τῶν νεωτέρων οὐκ ἀκήκοε Καλλίστρατον, οὗ θάνατον ἡ πόλις κατέγνω, τοῦτον φυγόντα, καὶ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἀκούσαντα, ὅτι ἂν ἔλθῃ Ἀθήναζε, τεύξεται τῶν νόμων, ἀφικόμενον, καὶ ἐπὶ τὸν βωμὸν τῶν δώδεκα Θεῶν καταφυγόντα, καὶ οὐδὲν ἧττον ὑπὸ τῆς πόλεως ἀποθανόντα; δικαίως. Τὸ γὰρ νόμων τοῖς ἠδικηκόσι τυχεῖν, τιμωρία ἐστίν. *Quis enim non meminit e natu grandioribus, aut e natu minoribus non audivit Calliſtratum, quem capitis civitas damnaverat. Hunc fuga elapſum, & quum ex Apolline Delphis audiſſet, quod ſi rediret Athenas, conſecuturum ſe leges, reverſum, atque ad aram XII. Deorum confugientem, nihilo ſecius urbis cenſura morti adjudicatum eſſe? Idque haud injuria. Leges enim eos, qui injuſte egerunt, aſſequi, nihil eſt aliud, niſi ſupplicio ipſos affici.* Neque tamen aris modo, ſimulacris atque templis, ſed civitatibus etiam inſulisque integris datum re-

r) *Orat. adv. Leocratem* p. m. 156.

reperimus jus aſyli. Sicyoniorum certe in Peloponneſo civitatem, Corintho auſtrum inter & occaſum non longe remotam, gaviſam illo eſſe, nummi loquuntur antiqui, quibus inſcriptum eſt : ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. *Sicyoniorum*, civitatis *ſacræ & inviolabilis.* s) Et de Delo inſula Livius : t) *Sanctitas templi inſulæque inviolatos præſtabat omnes.* Idem de Samothrace, maris Ægæi inſula : u) *Sacra inſula eſt, & auguſti tota atque inviolati ſoli.* Quatuor autem potiſſimum hominum generibus receptum aſyla, ſive loca inviolata, præſtabant tutum. (1) Maleficis; e. c. homicidis, patriæ proditoribus cet. (2) Servis, qui habiti ab heris eſſent juſto durius. (3) Hominibus vilioris conditionis aliis, quos opprimere ſtuderent potentiores. (4) Obæratis, quos perſequerentur creditores. Eos igitur ſi quis a templis, ſimulacris, aris, aut loco in-

s) Spanhem. *de præſtant. & uſu numiſm.* diſſert. IX. p. m. 781.
t) Lib. XLIV. c. 29.
u) Lib. XLV. c. 5.

inviolabili alio abſtrahere auderet, certam is Numinis vindictam in ſeſe concitare credebatur. Sic violatæ aſyli tribuebatur religioni, quod, cum Lacedæmonii in eos viros ſæviiſſent, qui in templum Neptuni, quod ad Tænarum erat, evaſerant, Sparta non multo poſt tam crebris, tamque vehementibus terræ motibus concuſſa eſt, ut nulla prope domus ruinæ expers manſerit. x) Eluſerunt tamen interdum Græci aſylorum privilegium ita, ut vel aëris injuriis, y) vel igne etiam z) interire ſupplices curaverint.

x) Pauſan. in *Ach.* c. XXV. p. 588.

y) Ælian. *Hiſt. var.* l. IV. c. 7. & l. IX. c. 41. Nepos in *Pauſania* c. V.

z) Euripid. in *Andromache* v. 256. & in *Hercule fur.* v. 240. Seneca in *Herc. fur.* v. 506. Plautus in *Moſtellar.* act. V. ſc. I. v. 69. & in *Rud.* Act. III. ſc. IV. v. 56.

PARS

PARS II.

DE PERSONIS SACRIS.

CAPVT I.

DE SACERDOTIBVS.

§. I.

PErſonarum ſacrarum appellatione eos denotamus, qui cultum Deorum ſolennem, hujus cærimonias, resque ad eum pertinentes ſingulas & ipſi rite procurarent, adminiſtrarent perficerentque, & alios, qua ratione coli Deos oporteret, edocerent: eos item, qui voluntatem Deorum & conſilia hominibus aperirent, atque interpretarentur. Platonis deſcriptione a) uti ſi quis velit, homines dicet ἐπιστήμονας ὄντας παρὰ μὲν ἡμῶν δωρεὰς Θεοῖς διὰ θυσιῶν, κατὰ νοῦν ἐκείνοις, δωρεῖσθαι, παρὰ δὲ ἐκείνων ἡμῖν εὐχαῖς κτῆσιν ἀγαθῶν αἰτήσασθαι καὶ τοὺς περὶ μαντικὴν ἔχοντας τινὸς ἐπιστή- *Perſonæ ſacræ quæ, & earum dignitas.*

a) In *Politico*, ſive *dial. de regno*. p. 183.

ἐπιςήμης διακόνȣ μόριον, καὶ ἑρμηνευτὰς νομιζομένȣς παρὰ Θεῶν ἀνθρώποις, *intelligentes, quo pacto dona, cæſis victimis, Diis, ad mentem horum voluntatemque, ſint offerenda: item qua ratione bona nobis ab illis expetenda ſint precibus. Porro qui circa vaticinationem habent ſcientiæ alicujus miniſtræ particulam, ac denique interpretes ſunt Deorum ad homines.* Cujus officii, quod & arctiorem cum Diis conſuetudinem habere, & ad bona generi humano ab illis impetranda maxime accommodum eſſe putabatur, tanta fuit apud Græcos exiſtimatio, ὥςε ἐνιαχȣ̃ τῆς Ἑλλάδος ἀντίῤῥοπον εἶναι τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα πρὸς τὸ τῆς βασιλείας, *ut aliquibus Græciæ in locis ſacerdotii* (intellige procurationem ſacrorum ſupremam) *dignitas æqualis haberetur regiæ.* b) Quamobrem compluribus Græciæ in civitatibus non niſi homines generis dignatione clariſſimi eidem præficiebantur. c) Athenis ſacrorum præcipuorum adminiſtratio ſummis con-

b) Plutarch. in *Quæſt. Rom.* p. 291.
c) Pauſan. in *Ach.* c. XX. p. 573. & c. XXVII. p. 595. & alibi paſſim.

concredita erat magiſtratibus, ſicuti diſerte profitetur Plato, ex perſona hoſpitis, cum Socrate colloquentis: d) Περὶ μὲν Ἄιγυπτον ὐδὲ ἔξεςι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν· ἀλλ᾽ ἐὰν ἄρα καὶ τύχη πρότερον ἐξ ἄλλυ γένυς βιασάμενος, ὕςερον ἀναγκαῖον ἐις τῦτο ἐισελεῖσθαι τὸ γένος. Ἔτι δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων πολλαχῦ ταῖς μεγίςαις ἀρχαῖς τὰ μέγιςα τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα θύματα ἕυροι τὶς ἂν προσταττόμενα θύειν. Καὶ δὴ καὶ παρ᾽ ὑμῖν ὐχ ἥκιςα δῆλον ὃ λέγω. τῷ γὰρ λαχόντι βασιλεῖ φασὶ τῆδε τὰ σεμνότητα καὶ μάλιςα πάτρια τῶν ἀρχάιων θυσιῶν ἀποδεδόσθαι. *Apud Ægyptios non licet Regem abſque ſacerdotio imperare. Quinimo ſi ex alio genere quispiam vi regnum uſurpet, cogitur poſt regni aſſumtionem ſacris initiari, ut ſit ſacerdos. Præterea in plurimis Græciæ civitatibus, apud vos præſertim,* (Athenienſes) *reperies præcipua ſacra ſummis mandari magiſtratibus. Nam qui Regis munus obtinuit, ei ſacrorum antiquiſſimorum auguſtiſſima & maxime patria eſſe ferunt attributa.* De Rege quod dicit hoſpes,

d) In *Polit.* l. c.

capi debet de magiſtratu illo, qui locum in novem Athenienſium Archontibus ſecundum tenebat, ac nomine ornabatur Βασιλέως, *Regis*. Huic enim cura ſacrorum præcipuorum, e. c. Eleuſiniorum, Lenæorum, item Minervæ, Jovis, Apollinis, Vulcani, Promethei erat demandata: poteratque idem de impietatis accuſatis, de familiis ſacris, e quibus ſacerdotes capiebantur, nec non de iis, qui de ſacerdotio inter ſe contenderent, cognoſcere atque judicare. e) Sed & Reges vere tales, ſive viros ſummum in republica imperium gerentes, ſacerdotii ſimul munus obiiſſe compertum eſt. Conſtat ſane id de Anio, Deli Rege, ex iſto Virgilii: f)

Rex Anius, rex idem hominum,
Phœbique ſacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora
lauro
Occurrit.

Et de Lacedæmoniorum rege teſtatur Xe-

e) V. Sam. Petiti *Commentar. ad leges Att.* p. 86. Vbb. Emmii *Deſcript. Reip. Athen.* p. 10. & 48.

f) *Æn.* l. III. v. 80.

Xenophon, g) quod, priusquam ad bellum proficiſcatur, domi adhuc rem ſacram Jovi Ductori, Diiſque ei adjunctis faciat, & ad fines regionis progreſſus Jovi Minervæque rurſum ſacrificet. Confirmat rem Ariſtoteles: h) Ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ ὁ βασιλεὺς, ὅταν ἐξέλθῃ τὴν χώραν, ἡγεμὼν ἐστι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. Ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς ἀποδέδοται τοῖς βασιλεῦσι. *Lacedæmoniorum in republica rex, cum extra regionem egreditur, imperium habet eorum, quæ ad bellum pertinent, & commiſſa ei præterea eſt rei divinæ procuratio.* Idem auctor heroicis etiam temporibus regem *ducem belli* fuiſſe ſcribit, h) *& controverſiarum judicem*, (δικαστὴν) καὶ τῶν πρὸς τοὺς Θεοὺς κύριον, *cærimoniarumque ad Deos pertinentium dominum.*

§. II.

Ordinem in perſonis ſacris primum Sacerdotes occupant, qui, quod in *re* *Sacerdotum nomina.*

 ſa-

g) De *Republ. Laced.* p. 588. Mox, pag. 689. addit, *regi in exercitu nihil reſtare negocii*, ἢ ἱερεῖ μὲν τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς εἶναι, *quam ut rerum divinarum reſpectu ſit ſacerdos, humanarum vero, imperator.*

h) Sub finem cap. cit.

ſacra facienda verſarentur, ἱερεῖς dicebantur (feminæ ſi eſſent, ἱέρειαι) ἱερεργοὶ, θεεργοὶ, θῦται, & poetis θυηπόλοι, θυτῆρες ἱερομνήμονες, (quo poſtremo nomine ſpeciatim Neptuni appellari ſacerdotes, Plutarchus auctor eſt;) i) item ἀρητῆρες, *deprecatores*, & generali quodam vocabulo ὑπηρέται Θεȣ̃, *miniſtri Dei.* k)

§. III.

Sacerdotes tripliciti modo conſtituti. Conſtituebantur autem ſacerdotes vel ſucceſſionis hereditariæ jure, vel electione, vel ſorte. Ad ſucceſſionem, quæ ex hereditate fit, iſtud Platonis ſpectat, l) quo ἱερῶν ἱερέας, οἷς μέν εἰσι πάτριαι ἱερωσύναι καὶ αἷς, μὴ κινεῖν, *ſacerdotia, quæ a parentibus devoluta ſint ſive in maſculos ſive in feminas, moveri* vetat. Cautum etiam nonnullis in civitatibus lege fuerat ſingulari, m) τὰς ἱερωσύνας τȣ̀ς παῖδας τῶν πατέρων διαδέχεσθαι, *ut parentum ſacerdotia libri conſequerentur.* Accidit hinc, ut

i) *Sympoſ.* l. VIII. p. 730.
k) V. Pollucem in *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 14. Cf. Jo. Saubertum de *ſacrif.* c. VI p. 123.
l) De *legibus* l. VI. p. 616.
m) Cujus Hermogenes meminit in *Partit.* c. VI. & Marcellinus ad eundem p. 71.

ut familiis nonnullis propria evaſerint certa ſacerdotia. Tales Athenis erant *Eumolpidarum*, *Cerycum*, & *Eteobutadarum* familiæ: quibus & Ευπατρίδας, ſive *Patricios* annumerare licet. *Eumolpidæ* nomen ex Eumolpo habuerunt, qui parens extitiſſe fertur Muſæi, poetæ & theologi Athenienſium antiquiſſimi. n) Clemens Alexandrinus opilionem fuiſſe tradit Eumolpum; o) Athenienſes vero tandem ſacris eum præfecere Eleuſiniis, Cereris & Proſerpinæ: p) quod ſacerdotium poſtea in familia ejus manſit perpetuo. *Ceryces* (Κήρυκες) genus ducebant a Ceryce, filio Eumolpi natu minimo: quanquam gens Cerycum ipſa illum familiæ ſuæ conditorem ex Mercurio & Aglauro, Cecropis filia, natum eſſe contendebant. q) His quoque certæ functiones ſacræ demandatæ erant, videli-

n) Diog. Laert. in *Proœm.* p. 3.
o) In *Admonit. ad gentes*, p. 13.
p) Pauſan. in *Att.* c. XXXVIII. p. 92. Plutarch. de *exſilio* p. 607. Cf. eundem in *Alcibiade* p. 202. & 210. Nepotem in *Alcib.* c. IV.
q) Pauſan. l. c. Cf. Heſych. V. Κήρυκες. Harpocrat. V. eadem.

cet κατακηρύττειν ἡσυχίαν, ἔν τε ἀγῶσι, καὶ ἱερεργίαις, καὶ σπονδὰς προαγγέλλειν, καὶ ἐκεχειρίας ἐπαγγέλλειν, καὶ τὲς ἀγωνιςὰς ἀνακηρύττειν. *Silentium promulgare in certaminibus & ſacrificiis, fœdera annunciare, inducias indicere, & certaminum victores renunciare.* r) Porro *Eteobutadæ* vocabantur, qui e *vera Butæ*, ſacerdotis Athenienſium clari, *progenie* eſſent orti. Ex his ſacerdos femina Minervæ Poliadis Athenis deligebatur. Æſchines: s) Ἔςι δὲ ἐκ Φρατρίας τὸ γένος, ἡ τῶν αὐτῶν βωμῶν Ἐτεοβȣτάδαις μετέχει, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐςὶν ἱέρεια. Patris mei *genus eſt ex ea curia, quæ aras cum Eteobutadis communes habet, ex quibus Minervæ Vrbanæ ſacrificula deligitur.* Deligebantur vero etiam ſacerdotes, umbellam geſtantes albam, quæ ex Athenarum arce, feſto, quod Σκι-

r) Pollux in *Onomaſt.* l. IV. c. XII. ſegm. 91. Cf. Hadr. Junii *Animadv.* l. V. c. 20. ubi plura etiam enumerantur Cerycum officia, e. c. *ferias indicare, obſcura quædam explicare* cet.

s) *Orat.* de *falſa legat.* p. 266. Cf. Harpocrat. voce Ἐτεοβȣτάδαι.

Σκίρα dicebatur, portanda erat ſolenniter ad locum Atticæ Scira dictum, ex quo Minervæ cognomen datum erat Σκιράδος, *Sciradis.* t) Addi his poſſunt *Thaulonidæ,* ex Thaulone quodam nomen adepti, ex quibus Διιπολίων ſolennitate βέτυποι deſumebantur, ſive *victimarii.* u) *Patriciis* (Ευπατρίδαις) Theſeus dedit γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητὰς εἶναι, *ut rem divinam procurarent, & quid ſanctum ſacrumque eſſet exponerent.* x) Probatur inſtitutum hoc Ariſtoteli, qui neque agricolam, neque opificem ſacerdotem vult deſignari, ſed τοῖς πολίταις (iidem ſunt, quos εὐπατρίδας vocat Plutarchus) ſacerdotia demandari, & ab his honorem Diis exhiberi. y) Apud Argivos illas virgines, quæ in lavacro Palladis annuo, ut comites ac miniſtræ, ſolennia ejus Deæ ſacra obirent, ex tribu ori-

t) Harpocrat. V. Σκίρον. Scholiaſtes Ariſtoph. ad *Concionatr.* v. 18. Strabo *Geogr.* l. IX. p. 603. Cf. Spanhemium *ad Callim.* p. 568.

u) Heſych. Vocibus Βέτυπον & Θαυλωνίδαι. Suidas V. Θαύλων.

x) Plutarch. in *Theſeo* p. 11.

y) *Politic.* l. VII. c. 9.

oriundas eſſe oportebat *Aceſtoridarum*, quam ἐπίσημον, *inſignem* vocat interpres Græcus, ad hæc Callimachi: z)

Παρά τοι καταθύμιος ἴλα,
Παρθενικαὶ μεγάλων παῖδες Ἀκεστοριδᾶν.

Adeſt tibi (Minerva) *grata cohors,*
Virgines, magnorum filiæ Aceſtoridarum.

At illa ſacerdotia, quæ hereditate non obtinerentur, vel electione, ſive ſuffragiis, vel ſorte concedi eſſe ſolita, eodem loco innuit Plato. Quemadmodum & Ariſtoteles a) haud obſcure docet, ſacerdotum alios fuiſſe αἱρετὲς, ſive *electione conſtitutos*, alios vero κληρωτὲς, *ſorte deſignatos*. Ad hanc Græciæ veteris conſuetudinem procul dubio Dionyſius reſpexit Halicarnaſſeus, b) quando de Numa hæc prodidit: Ἔπειτα ὅτι τῶν ἄλλων φαύλως πῶς καὶ ἀπερισκέπτως ὡς ἐπὶ πολὺ ποιουμένων τὰς αἱρέσεις τῶν ἐπιστησομένων τοῖς ἱεροῖς,

z) Hymno in *lavacrum Palladis* v. 33. Cf. ibi Spanhem.
a) *Polit.* l. IV. c. 15.
b) *Antiqu. Rom.* l. II. p. 92.

ἱεροῖς, καὶ τῶν μὲν ἀργυρίȣ τὸ τίμιον ἀποκηρύττειν ἀξιȣ́ντων, τῶν δὲ κλήρῳ διαιρȣ́ντων τȣ̀ς ἱερεῖς, ἐκεῖνος ȣ̓́τε ὠνητὰς χρημάτων ἐπόιησε τὰς ἱερωσύνας, ȣ̓́τε κλήρῳ μεριςάς. *Deinde cum alii temere plerumque & inconſiderate ſacrorum antiſtites eligant, quidam licitatoribus hunc honorem proponentes, quidam ſortibus committentes, ipſe neque venalia eſſe voluit ſacerdotia, neque ſorte diſtribui.* Ad ſortitionem ſpeciatim quod attinet, duplex ejus cauſſa erat. Primum, ut ab ipſo Deo deſignari videretur ſacerdos. nam ſortes divino regi Numine, perſuaſum erat veteribus. Plato: c) Τὰ μὲν ȣ̓͂ν τῶν ἱερῶν, τῷ Θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληρȣ͂ν ȣ̓́τω τῇ θέιᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα· *Quæ ad ſacerdotum creationem attinent, Deo committenda ſunt, ut quemadmodum illi placet, ita divina fortuna cui tributum id ſit, ſortes ferat.* Deinde, ut, cum plures ſorte, id quod ſæpenumero contingebat, d) ſacerdotium peterent, favoris aut odii ſuſpicio-

c) Loco cit.

d) Pauſan. in *Ach.* c. XXV. p. 591.

κληρον ἱερᾶσθαι. *Lex eſt, ut corpore integer ſacerdotium conſequatur.* Νόμος, τὸν σεσινωμένον μὴ ἱερᾶσθαι. *Lex eſt, ut corpore læſus,* ſeu *mutilus, ſacerdotium non conſequatur.* Cavere ſcilicet legibus iſtis voluere earundem auctores, ut contemtui ne eſſent ſacrorum adminiſtri plebi, a qua ægre impetrari noverant, ut reverentiam adhibeat adverſus homines vitio quodam corporis inſigni laborantes. Periculum enim erat, ne ſacerdotibus ſpretis ipſe etiam, quem illi adminiſtrarent, Deorum cultus vilipenderetur negligereturque. Qua de cauſſa ipſe etiam ſapientiſſimus Hebræorum legislator ad munus ſacrum admoveri vetuit i) homines, vitio quodam corporis infectos; e. c. cœcos, claudos, mutilos, redundantia aliqua inſignes, gibboſos, & quibus pes eſſet fractus, aut manus fracta, aut oculus vitiatus, æquo graciliores, ſcabie vel impetigine laborantes cet. (3) Vt vitam egiſſent puram, nulloque ſcelere aut flagitio coinquinatam. Æſchi-

i) Levit. XXI, 17. ſqq.

ſchines: k) Καὶ ὡς ἔοικε ὁ αὐτὸς ἔτος ἀνὴρ ἱερωσύνην μὲν οὐδενὸς Θεῶν κληρώσεται, ὡς ἐκ ὢν ἐκ τῶν νόμων καθαρὸς τὸ σῶμα. *Itaque idem iſte vir* (Timarchus) *nullius Dei ſacerdotium ſortietur, ut qui non* puro *ſit* corpore (pudicitiam non ſervaverit), *quemadmodum leges jubent.* Idem: l) Ἄν τις Ἀθηναίων, φησὶν, ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέςω αὐτῷ ἱερωσύνην ἱεράσασθαι. *Si quis*, inquit legiſlator, *Athenienſium corpore quæſtum fecerit, huic ne liceat ſacerdotio fungi*: Demoſthenes: m) Ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι δεῖν τὸν εἰς ἱερὰ εἰσιόντα, καὶ χερνίβων καὶ κανῶν ἁψόμενον, καὶ τῆς πρὸς τὲς Θεὲς ἐπιμελείας προςάτην ἐσόμενον, ἐχὶ προειρημένων τακτὸν ἡμερῶν ἀριθμὸν ἁγνεύειν μόνον, ἀλλὰ τὸν βίον ὅλον ἡγνευκέναι τοιέτων ἐπιτηδευμάτων, οἷα τέτῳ βεβίωται. *Nam ego quidem ita cenſeo, eum, qui fana ingreſſurus, & malluvia & ſportas ſacras attacturus ſit*, & rerum divinarum curationi præfuturus, *non certum modo dierum numerum*

k) In *Timarchum* p. 196.
l) Orat. cit. p. 173.
m) In fine orat. *adv. Androtionem*, & orat. *adv. Timocr.* p. 486.

rum caſtum eſſe *oportere; ſed per totam vitam a talibus ſtudiis* (impuris, flagitioſis) *qualis iſtius vita eſt, fuisſe alienum.* Vt autem cum de corporis integritate, tum de vitæ ſuperioris ratione conſtare poſſet manifeſto, examini ſubjiciebatur utraque, priuſquam ad munia ſacra obeunda quis admitteretur. Auctor Etymologici: n) Παρ᾽ Ἀθηναίοις καὶ οἱ Βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι. *Reges* (illi ſcilicet, de quibus §. I. diximus) *& ſacerdotes examinabantur Athenis, num corpore eſſent ſano atque integro.* Plato: o) Δοκιμάζειν δὲ τὸν ἀεὶ λαγχάνοντα, πρῶτον μὲν ὁλόκληρον καὶ γνήσιον. ἔπειτα ὡς ὅτι μάλιστα ἐκ καθαρευουσῶν οἰκήσεων. Φόνου δὲ ἁγνὸν, καὶ πάντων τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα εἰς τὰ θεῖα ἁμαρτανομένων, αὐτόν τε καὶ πατέρα καὶ μητέρα κατὰ ταυτὰ βεβιωκότας. *Qui ſorte deſignatus eſt ſacerdos, eum explorari oportet, num integer ſit & legitimus; deinde, num ex domo oriundus quam ma-*

n) Loco cit.
o) De *leg.* l. VI. p. 616.

maxime munda, cædis expers, criminumque ſimilium, quæ adverſus Deum committuntur: cujus etiam pater materque ſimiliter vixerint. Erat in Achaja, non ita longe ab urbe Ægis, fanum Telluris, cujus ſacerdotium femina gerebat, quam ante, quam munus aggrederetur, non niſi cum viro uno, cui matrimonio eſſet juncta, conſueviſſe oportebat. Quod ſi igitur adire officium femina quædam cuperet, caſtitatem illam profeſſa, periculum fiebat ſanguine taurino. Quo epoto, ſi vera dixiſſet, nihil ferre putabatur damni; mentita vero ſi eſſet, pœnas dare ſtatim. p) In ipſa vero muneris adminiſtratione majori etiam ſtudio caſtimoniam ſectari oportebat ſacerdotes. Hinc eorum aliqui, quibus conjugio interdictum erat, q) virilia ſibi exſecare cogebantur, ut vitam agerent eo caſtius. Sic templum Dianæ Ephe-

p) Pauſan. in *Ach.* c. XXV. p. 591.

q) Sacerdotum matrimonio junctorum exempla complura Everh. affert Feithius *Ant. Homer.* l. I. c. 5. ex Homero & Pauſania. Adde locis Pauſaniæ ab eo citatis *Corinth.* c. XIV. p. 142. & *Arcad.* c. XIII. p. 625. ſq.

pheſinum *ἱερέας εὐνȣ́χȣς εἶχε, ȣ̓̀ς ἐκάλȣν Μεγαλοβύζȣς· καὶ ἦγον ἐν τιμῇ μεγάλῃ· συνιερᾶσθαι δὲ τȣ́τοις ἐχρῆν παρθένȣς, ſacerdotes habuit eunuchos, qui Megalobyzi vocabantur. Hi in magno erant honore, & collegas eis eſſe oportebat virgines*, inquit Strabo. r) Rheæ etiam, ſive Cybeles, quam & Matrem Deûm vocabant, in ſacris, Galli ſacerdotes *ſuis ipſi*, ut Lactantius ait, s) *virilibus litabant: amputato enim ſexu nec viros ſe, nec feminas faciebant.* Horum caſtrationem, atque inſtituta reliqua prolixe expoſuit auctor libelli de *Syria Dea*, expoſuere etiam alii. t) (4) Denique, ut ætate eſſent ſatis matura. Plato ſexaginta annorum ætatem requirit. u) *Ἔτη δὲ μὴ ἔλαττον ἑξήκοντα ἡμῖν ἔτη γεγονὼς ὁ μέλλων καθ' ἱερȣ̀ς νόμȣς περὶ τὰ θεῖα ἁγιστεύειν. Nec pauciores, quam ſexaginta annos natus ſit, qui ſecundum ſacras leges res divinas ſufficienter eſt tractaturus.* Romanorum

r) *Geograph.* l. XIV. p. 950

s) *Divin. inſtitut.* l. I. qui de *falſa religione* eſt. c. XXI.

t) E. c. Auguſtinus de *Civ. Dei* l. VII. c. 26. Prudentius *Peri ſteph.* X. v. 1066. ſqq.

u) Loco cit.

ſacerdotes ætatem habere oportuit haud multo minorem, ex lege Numæ, jubente, ut eſſent illi ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότες, *annum egreſſi quinquageſimum.* x) Sed apud Græcos quidem, & in his apud ipſos etiam Athenienſes, uſus legis a Platone præſcriptæ minime fuit perpetuus, quum in hiſtoria Græca exempla occurrant non pauca ſacerdotum multo juniorum.

§. V.

Pontifices. Cura ſacrorum ſuprema ad eos pertinebat, qui Ἀρχιερεῖς dicebantur, vel & ſimpliciter Ἱερεῖς, y) item Ἄρχοντες, Βασιλεῖς, Πρυτάνεις, z) Ἱεροδιδάσκαλοι, Ἱεροφύλακες, Ἱεροφάνται, a) Στεφανηφόροι, b) aliquando & nominibus appellabantur aliis; cœtumque hominum ſacra adminiſtrantium univer-

x) Dionyſ. Halicarnaſſ. *Ant. Rom.* l. II. p. 92.

y) Quod ex inſcriptionibus antiquis oſtendit Ant. van Dale in *Diſſertat. antiquit. & marmor. illuſtr. inſerv.* diſſert. III. p. 231.

z) Ariſtot. *Polit.* l. VI. c. 8.

a) Dionyſ. Halicarn. *Ant. Rom.* l. II. p. 133.

b) De quibus diſſertatione ſingulari modo laudatus Ant. van Dale egit, libro cit. p. 360. ſqq. Egerunt etiam Jo. Seldenus & Humphr. Prideaux ad *marmora Oxon.*

verſum, (qui, in civitatibus præſertim majoribus, in collegia interdum diſtinctus erat varia, pro Deorum diſcrimine) vel in civitate quadam ſingulari, vel in regione etiam integra imperio ſuo moderabantur. Ἀρχιερέων & Ἱερέων crebra fit in marmoribus, nummis, aliisque monumentis antiquis mentio. Ita v. c. in decreto illo, quod Hyrcano, Judæorum Pontifici, Athenienſes miſerunt, memorantur Ἱερεὺς Dionyſius, & Ἀρχιερεὺς Dorotheus, Athenienſes utrique. c) Poterant enim una eademque in urbe antiſtites rei divinæ ſummi plures eſſe, ſic ut genus quisque ſacrorum peculiare curaret, ſicuti ex exemplo etiam alio, mox afferendo, patebit, Ἄρχων & Βασιλεὺς duumviri Athenis nominabantur illi, qui non modo in civilibus magiſtratum gerebant ſummum, ſed & certis quibusdam ſacris rectores præerant. Quod de Rege ſupra jam obſervavimus §. I. Addimus nunc de Archonte, ei Bacchanaliorum & Thargeliorum incu-

S 2 buis-

c) Apud Joſephum *Ant. Jud.* l. XIV. c. VIII. §. 5. edit. Haverv.

buiſſe curam. d) Plutarchus Opuntiorum quoque Antiſtitem τὸν ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἄρχοντα vocavit. e) Ἱεροφάντης is nuncupari ſolebat, qui myſteriis præerat Cereris, alios illis initiabat eademque edocebat. f) Horum primus Athenis fuerat Eumolpus. g) Στεφανηφόροι, ex *corona*, quam *geſtabant*, aurea nomen conſecuti, Pontifices ſummi erant in Aſiæ minoris civitatibus vel provinciis. Horum & in marmoribus, & in nummis vetuſtis, & in ſcriptoribus quibusdam antiquis extat memoria. h) Eum honorem Themiſtocles ſibi ſumſit in Magneſiæ civitate, quæ una erat ex illis, quibus a Perſarum rege fuerat donatus. i) Nomen Pontificum aliud, idque ſpecialius erat, quo diceban-

d) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 89.
e) In *quæſt. Gr.* p. 292.
f) Heſych. V. ἱεροφάντης Diog. Laert. l. VII. ſ. 187. Philoſtr. in *vita Apollonii* l. IV. c. 18. Cf. Meurſii *Eleuſinia* c. XIII.
g) Heſych. V. Εὐμολπίδαι.
h) Vid. Ant. van Dale *diſſ.* cit. & cf. Wilh. Ern. Ewaldi *Obſervat.* in *Muſeo Brem.* Vol. II. p. II. p. 219. ſqq.
i) Athenæus *Dipnoſoph.* l. XII. p. 533.

bantur Κριθολόγοι, quaſi *hordeum legentes* dicas. De hoc Plutarchus: k) Τίς ὁ παρὰ Ὀπȣντίοις Κριθολόγος; Οἱ πλεῖςοι τῶν Ἑλλήνων πρὸς τὰς πάνυ παλαιὰς θυσίας ἐχρῶντο ταῖς κριθαῖς, ἀπαρχομένων τῶν πολιτῶν· τὸν μὲν ȣ̃ν ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἄρχοντα, καὶ ταύτας κομιζόμενον τὰς ἀπαρχὰς, Κριθολόγον ὠνόμαζον. δύο δὲ ἦσαν ἱερεῖς παρ᾽ αὐτοῖς, ὁ μὲν περὶ τὰ θεῖα τεταγμένος, ὁ δὲ περὶ τὰ δαιμόνια. *Quis eſt apud Opuntios Crithologus? Græcorum plerique in vetuſtiſſimis ſacrificiis hordeo utebantur, primitias ejus civibus offerentibns. Præſidi itaque ſacrorum, & primitias iſtas colligenti hoc nomen factum eſt. Duos autem habebant ſacerdotes,* (ſummos, Crithologos dictos) *unum qui Deorum, alterum qui Geniorum ſacra adminiſtraret.* Gallis, ſive ſacerdotibus Rheæ exſectis, qui præerant, eos *Archigallos* nominabant Latini. l)

ſ. VI.

Poſt pontifices varii etiam alii rem ſa- *Ordines rem ſacram*

k) In *quæſt. Gr.* l. c.

l) V. Plin. *Hiſt. nat.* l. XXXV. c. 10. Tertull. in *Apologet.* p. m. 41. & alibi paſſim.

procurantium alii. ſacram procurantinm ordines recenſendi veniunt, quorum ſingulis munia aſſignata erant propria. Primus eſto τῶν Ἱερέων, *Sacerdotum*, qui ſacrificiis, cærimoniisque ceteris, ad cultum Deorum ſolennem proxime ſpectantibus, operabantur. Vocabantur iidem ἱεροποιοὶ; quæ tamen appellatio illis etiam tributa fuit ſpeciatim, qui aruſpicibus ſacrificantibus inſpectores adeſſent, ne quam in ſacrificiis fraudem committerent. Τοῖς ἐποπτεύουσι τοὺς μάντεις ὅτε θύουσι, μή πού τι κακουργῶσιν ἐν ταῖς θυσίαις. m) Succedant *Paraſiti*, ad frumenti ſacri collectionem conſtituti. Pollux: n) Ἔστι δὲ καὶ παρὰ παλαιοῖς τοὔνομα. οὐ μὴν ἐφ᾽ οὗ νῦν, ἀλλ᾽ ἐπὶ ἱερᾶς ὑπηρεσίας τοὔνομά ἐστιν· οἷον ὁ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενος. *Eſt & apud veteres nomen hoc* (Paraſitus): *non autem de illo, quo nunc, ſed de miniſterio quodam ſacro dicitur, utpote de illo, qui ad ſacri frumenti collectionem conſtitutus*

m) Verba ſunt Vlpiani *in Enarrat. orat. contra Midiam* p. 180.

n) *Onomaſt.* l. VI. c. VII. ſegm. 35.

tus eſt. Athenæus: o) τὸ δὲ τοῦ παρασίτου ὄνομα πάλαι μὲν ἦν σεμνὸν καὶ ἱερόν. *Olim Paraſiti nomen venerabile erat & ſanctum.* Nec multo poſt: Ἐν γοῦν τοῖς παλαιοῖς νόμοις αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων, ἔτι δὲ καὶ τήμερον, ταῖς ἐντιμοτάταις ἀρχαῖς συγκαταλέγουσι παρασίτους. *Legibus antiquis civitates hodie quoque plurimæ in maximis honoribus, ampliſſimisque magiſtratibus* (dignitatibus ſacris) *Paraſitos reponunt. Per frumentum*, cujus Pollux meminit, *ſacrum* Samuel Petitus p) vel illud deſignari cenſet, quod e Rhario p) deſecabatur campo, & ad molas atque liba in ſacrificiis adhibebatur, referente Pauſania, r) vel illud, quod naſcebatur in illis terræ arvipendiis, quæ unicuique Deo dedicabant, vel dividebant; e quorum locationibus proveniebant impenſæ, quæ poſtea in ſacrificiis publice fiebant.

o) *Dipnoſoph.* l. VI. p. 234. Romani in ſuperſtitionum ſuarum ritibus *viros epulones* dixerunt, obſervante ad illum locum Caſaubono, in *Animadv.* c. VI.

p) In *Commentar.* ad *leges Att.* p. 87.

q) De hoc vid. P. I. c. I. §. XI. n. 5.

r) In *Att.* c. XXXVIII. p. 93.

bant. Ad hoc igitur frumentum, quemadmodum & ad illud, quod privati, pro ſuo modulo, religionis ergo dabant templis, colligendum deſignati erant Paraſiti. Adhibebatur idem frumentum ad epula quoque, Athenienſibus Deorum in fanis, more patrio, præbenda. s) Recondebatur vero illud Athenis in curia (ἀρχείῳ), ſive æde peculiari, Παρασίτιον dicta. t) Paraſitis *Quæſtores* jungimus, ſive *ærarii ſacri curatores*, ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων, quorum erat pecunias templis pro reditibus aſſignatas, vel religioſorum liberalitate oblatas, recipere atque diſpenſare. u) Tres conſtitui jubet Plato pro templis maximis, duos pro minoribus, unum pro minimis. Denique nec omittendi ſunt Ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ, *ædium ſacrarum curatores*, nomine alio Ναοφύλακες dicti, quibus ut ſarta tecta conſervarentur templorum ædi-

s) *Athen.* l. c. p. 235.
t) Id. l. c. Pollux l. c. Cf. Petitum l. c. p. 93. ubi varia etiam legi poſſunt de paraſitis decreta.
u) Plato l. VI. de *leg.* p. 616. ſq. Ariſtot. *Polit.* l. VI. c. 8.

ædificia, & ruinoſa denuo exſtruerentur curandum erat, uti docet Ariſtoteles. x) Ex quo & hoc ſimul diſcimus, parvis in civitatibus munia hactenus recenſita viro tantum uni fuiſſe demandata.

§. VII.

Sacerdotes ceterique rerum ſacr. curatores ὑπεύθυνοι.

Sacerdotes ceterique omnes, quorum curæ res ſacræ commiſſæ fuerant, adminiſtrationis ſuæ rationem reddere oportebat ſuperioribus. Quod lege ita ſancitum eſſe teſtatur Æſchines: y) Τοὺς ἱερεῖς, καὶ τὰς ἱερείας, ὑπευθύνους ἔιναι κελεύει ὁ νόμος, καὶ συλλήβδην ἅπαντας, καὶ χωρὶς ἑκάστους κατὰ σῶμα· τοὺς τὰ γέρα μόνον λαμβάνοντας, καὶ τὰς εὐχὰς ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς τοὺς Θεοὺς εὐχομένους, καὶ οὐ μόνον ἰδίᾳ ἀλλὰ καὶ κοινῇ τὰ γένη, Ἐυμολπίδας καὶ Κήρυκας, καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας. *Lex ſacerdotes viros ac feminas rationes reddere jubet, tum in univerſum omnes, tum ſeparatim ſingulos, qui ſtipem duntaxat accipiunt, & qui vota pro vobis Diis faciunt: idque*

 non

x) Loco cit.
y) Orat. *in Cteſiph.* p. 276. Cf. Petitum l. c. p. 95.

non privatim tantum, ſed publice etiam totas familias, ut Eumolpidas, & Ceryces (Præcones), *ac ceteros omnes.*

§. VIII.

Munerum ſacrorum duratio.

Pontificatus, ſacerdotium reliquaque munera ſacra, vel in annum, aut ad certum ſaltem annorum numerum, vel ad omnem concedebantur vitam. Plato diuturnius, quam annuum, ſacerdotium eſſe noluit. z) Κατ᾽ ἐνιαυτὸν δὲ ἔιναι καὶ μὴ μακρότερον τὴν ἱερωσύνην ἑκάςῳ· Neque frui ſane Athenis Archontes & Reges ſacrorum dignitate ſua poterant diutius, quam per unius anni ſpatium. Pari modo Paraſiti in Delo inſula in annum conſtituebantur. a) Et apud Sicyonios virgo ſacerdotio fungebatur annuo. b) Celeis, quæ civitas erat in ditione Corinthiaca, Cereris initiis qui præerat antiſtes, (Ἱεροφάντης) gerebat munus per annos quatuor. c) Athenienſium contra Ἱεροφάντης, ſacra

cra

z) Loco jam ſæpius cit.
a) Athenæus *Dipnoſoph.* l. VI. p. 234.
b) Pauſan. in *Corinth.* c. X. p. 134.
c) Pauſan. in *Corinth.* c. XIV. p. 142.

cra moderans Eleuſinia, perpetuus erat. d) Hujus conditionis pontifices atque ſacerdotes Ἀρχιερεῖς & Ἱερεῖς διὰ βίου, *in omnem vitam* deſignati vocabantur. Habent formulam inſcriptiones iſtæ duæ veteres: e) ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ ΔΙΑ ΒΙΟΥ. *Demetrius ſacerdos ſummus totiut xyſti perpetuus.* ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΛΕΣΒΙΟΙΣ. *Sacerdos perpetuus apud Lesbios.* f) Ac tales erant Ὅσιοι qui dicebantur, *Sancti* Delphici, numero quinque, de quibus ſic Plutarchus: g) Ὁσιωτῆρα μὲν καλοῦσι τὸ θυόμενον ἱερεῖον, ὅταν Ὅσιος ἀποδειχθῇ· Πέντε δὲ εἰσὶν Ὅσιοι διὰ βίου, καὶ τὰ πολλὰ μετὰ τῶν προφητῶν δρῶσιν οὗτοι καὶ συνιερουργοῦσιν. *Hoſioterem victimam vocant* (Delphis) *quæ immolatur, cum creatur Hoſius* (Sanctus). *Quinque autem ſunt Hoſii* per omnem vitam, *multisque in rebus adſunt vatibus, atque una etiam ſacrificant.*

§. IX.

d) V. Meurſ. in *Eleuſin.* c. XIII.
e) Apud Gruterum pag. 313. & 1089.
f) Cf. quæ de ἀρχιερεῦσι διὰ βίου Spanhemius disſerit, de *uſu & præſt. num.* diſſ. VIII. p. m. 696.

§. IX.

Sacerdotum reditus.

Reditus ſacerdotum quanti fuerint, etſi diſerte a ſcriptoribus antiquis indicatum non reperimus; nullum tamen eſt dubium, quin ſtipendium illis annuum ex publico, ſpeciatim ex ærario ſacro, præbitum fuerit tale, ut ſe familiamque, ſi quam haberent, honeſte poſſent alere, ordinis dignitatem tueri, atque opes etiam aliquas colligere. Apud Homerum certe ſacerdotum locupletum exempla occurrunt duo, Chryſes & Dares, quorum ille, filiam captam a Græcis redemturus, attulit ἀπερείσι' ἄποινα, *infinitum pretium liberationis*; g) hunc vero ἀφνειὸν ἱρέα Ἡφαίστοιο, *locupletem Vulcani ſacerdotem* vocat poeta. h) Curatum quoque fuerat, ut præter reditus, quos fixos vocare poſſis certosque, variis etiam aliis emolumentis fruerentur ſacerdotes, partim e ſacrificiis, partim aliis ex rebus, quæ in vita humana uſu quotidie veniunt. E ſacrificiis victimarum pelles, ſimul cum cruribus ſ. tibiis, ſacerdotibus lex

g) *Il.* I. v. 13. & 372.
h) *Il.* V. v. 9.

lex aſſignaverat: quæ τὰ νομιζόμενα, *pars legitima* dicuntur Ariſtophani, apud quem Cario Jovis ſacerdoti, i)

'Ουκȣ̃ν, ait, τὰ νομιζόμενα σὺ τȣ́των λαμβάνεις;

Cur non ab his (qui alvi dejiciendæ cauſſa ad templum accedunt) *legitimam tibi partem capis?*

Ad quæ Scholiaſtes; k) Νόμος ἦν, τὰ ὑπολειπόμενα τῆς θυσίας τȣ̀ς ἱερέας λαμβάνειν· ἅ ἐισιν οἷον δέρματα καὶ κωλαί. *Lex erat, ut quæ reſidua manerent e victimis, ea ſacerdotes caperent. Talia autem v. c. ſunt pelles & crura.* Panathenaicis in ſacris ex duobus bobus tertia pars ſacerdoti, rem ſacram facienti, tertia item Paraſitis, ex lege Attica, danda erat. l) Hippias, Athenienſium tyrannus, Minervæ ſacerdotem ex mortuis quoque, & nova ſobole fructum aliquem percipere voluit. Ariſtoteles: m) Τῇ τε ἱερέιᾳ τῇ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν ἀκροπόλει, ὑπὲρ τȣ̃ ἀπο-

i) In *Pluto* v. 1186.
k) Conf. eundem ad *Veſpas*, v. 693.
l) Petitus ad *leg. Att.* p. 92. 93.
m) *Oeconom.* l. II. p. m. 590.

ἀποθανόντος φέρειν χόινικα κριθῶν, καὶ πυρῶν ἑτέραν, καὶ ὀβολον. καὶ ὅτῳ ἂν παιδάριον γένηται τὸ αὐτὸ τῦτο. Præcepit Hippias, *ut pro unoquoque mortuo Sacerdoti feminæ, Minervæ, quæ in arce eſt, miniſtranti afferretur chœnix* (ſesquiſextarius) *una hordei, & una tritici, obulusque unus; ac tantundem ab iis, qui prole eſſent aucti.* Veneris Paphiæ, in Cypro inſula, ſacerdotium non honoratum modo, ſed valde etiam opulentum fuiſſe oportet, quoniam illo oblato a Ptolemæo rege impetrare ſtuduit Cato minor, ut ſine pugna cederet, fore dicens, ut hoc pacto neque opibus ille, neque honore deſtitutus viveret. n)

§. X.

Sacerdotum veſtitus. Veſtitus ſacerdotum non unius quidem fuit generis, ut plurimum tamen talaris, & coloris albi. Nempe *albus color*, ait Cicero, o) ex Platonis ſententia, *præcipue decorus Deo* habebatur, *tum in ceteris, tum maxime in textili.* Ita nimirum latine red-

n) Plutarch. in *Cat. min.* p. 776.
o) De *leg.* l. II. p. 1254.

reddidit Cicero verba Platonis hæcce: p) Χρώματα δὲ λευκὰ, πρέποντ' ἂν Θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι, καὶ ἐν ὑφῇ. Appellabatur hujusmodi veſtis λευκὴ, λαμπρὰ & καθαρὰ, *candida, ſplendida* atque *pura.* q) Quod Virgilius imitatus dixit: r)

Puraque in veſte ſacerdos
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Sic Hierophantas & Daduchos, ſacrorum Eleuſiniorum præſides ac miniſtros, ſtolam geſtaſſe, candidam procul dubio, Plutarchus, s) Athenæus t) atque Arrianus u) prodiderunt. Apud Coos Herculis ſacerdos muliebri veſte indutus, & mitra caput ornatus, ſacra faciebat. x) Apud Tarſenſes Stephanephorus, Herculis pontifex, tunica indutus erat purpurea, colore albo diſtincta,

p) De *leg.* l. XII. p. 691.
q) V. Caſaub. ad *Theophr. Charact.* p. 395.
r) *Æn.* XII. v. 169.
s) In *Alcib.* p. 202.
t) *Dipnoſoph.* l. I. p. 21.
u) In *Epictetum* l. III. c. 21.
x) Plutarch. in *quæſt. Gr.* p. 304.

cta, & ſago, ſive paludamento pretioſo, ſoleis Laconicis albis calceatus, & corona caput ornatus aurea ex lauro. y) Caput ſacerdotibus comatum erat, z) &, dum ſacris operarentur, corona redimitum; pedes vero nudi. De coronis teſtatur Tertullianus: a) *In Deorum & antiquitatibus, & ſolennitatibus, & officiis ipſæ fores, ipſæ hoſtiæ & aræ*, ipſi miniſtri & ſacerdotes *eorum* coronantur.

§. XI.

Sacerdotes feminæ, earumque nomina. Fungebantur munere ſacerdotali etiam feminæ, præſertim in ſacris Junonis, Rheæ, Cereris ac Proſerpinæ, Minervæ, Dianæ, Veneris, Apollinis atque Bacchi, eæque e familiis delectæ nobiliſſimis. Vocabantur ἱέρειαι & ἀρήτειραι; antiſtites vero ſi eſſent, ἀρχιέρειαι, & ἱεροφαντίδες. Pecularia nomina erant (1) Μέλισσαι, quomodo Cereris potiſſimum, inter-

y) Athenæus *Dipnoſoph.* l. V. p. 215.
z) Herod. l. II. c. 36. Athen. l. I. p. 21.
a) De *corona militis* c. X. cf. Demoſth. orat. *contra Midiam*, p. 392. ſqq. Lucianum in *Pſeudom.* T. Opp. I. p. 782.

terdum & Apollinis Delphici appellabantur ſacerdotes, antea μητροπόλοι dictæ. Illud nomen unde ſit, optime explicat Lactantius: b) *Didymus in libris* ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς *ait, Meliſſea Cretenſium regem primum Diis ſacrificaſſe, ac ritus novos ſacrorumque pompas introduxiſſe. Hujus duas fuiſſe filias, Amaltheam & Meliſſam: quæ Jovem puerum caprino lacte & melle nutrierunt, unde poetica illa fabula originem ſumſit, advolaſſe apes, atque os pueri melle compleſſe. Meliſſam vero a patre primam ſacerdotem Matri magnæ conſtitutam. Unde adhuc ejusdem Matris antiſtites Meliſſæ nuncupantur.* Obſervant tamen Critici veteres, ſacerdotes feminas omnes καταχρηστικῶς interdum Μελίσσας fuiſſe nominatas. (2) Θυσιάδες, quæ Proſerpinæ, (3) Κερνοφόροι, quæ Rheæ, (4) Ὑπεκκαύστριαι, quæ Minervæ apud Cilicas. (5) Προφητίδες, quæ Apollini Delphico & Lyceo miniſtrabant. (6) Θυάδες, Βάκχαι & Μιμάλλονες, quæ

b) *Divin. inſtit.* l. I. c. 22.

occultis Bacchi ſacris operabantur. c)

§. XII.

Deligebantur vero ad ſacerdotia innuptæ plerumque, eæque virgines. Athenis ſaltem lex erat, τὴν ἱέρειαν παρθένον εἶναι, *ut ſacerdos femina virgo eſſet.* d) De virginibus Argivis Minervæ miniſtrantibus res ſatis nota eſt, ex Callimachi in *lavacrum Palladis* hymno. Apud Sicyonios quoque, in Achaja, Venus ſacerdotem habuit virginem, munere fungentem annuo. e) Et apud Spartanos in Hilairæ & Phœbes, filiarum Apollinis, delubris virgines ſacerdotium adminiſtrabant, Leucippides, de Dearum nomine appellatæ. f) Imperata virginibus illis ſacris ſevere caſtitas, ſive abſtinentia a viro, eaque vel perpetua, vel temporaria: Non ſervantibus

c) Vid. Spanhemii *Obſervat.* ad Callimachi *hymnum in Apoll.* v. 110. p. 116.

d) Refert Marcellinus *in Hermog.* p. 65. apud Spanh. *ad Callim.* p. 65.

e) Pauſan. in *Corinth.* c. X. p. 134. Cf. Tertull. in *Exhortat. ad caſtit.* c. XIII. & de *Monogam.* c. XVII.

f) Pauſan. in *Lacon.* c. XV. p. 246.

bus pœna ſtatuta graviſſima. Quemadmodum & viri, ſacerdotes virgines conſtuprare auſi, diro mulctari ſolebant ſupplicio. g) Virginitatem perpetuam Theſpienſes, in Bœotia, a ſacerdote poſtulabant Herculis. h) Alii vero ad nubilem usque ætatem tantum munus ſacrum virginibus concredebant, ut eo minus eſſet virginitatis violandæ periculum. Hunc morem Dianæ in ſacris Patrenſes & Ægiræi, in Achaja, ſecuti ſunt: i) & Minervæ in cultu Tegeatæ, in Arcadia: k) ac in illo Neptuni Calaureæ, inſulæ Peloponneſo ab ortu objectæ, habitatores. Pauſanias: l) Ἔστι δ' οὖν Ποσειδῶνος ἱερὸν ἐνταῦθα ἅγιον, ἱερᾶται δὲ αὐτῷ παρθένος, ἔς τ' ἂν ἐς ὥραν προσέλθῃ γάμου. *Eſt in* Calaurea inſula *ſanctiſſimum Neptuni fanum, in quo ſacerdotio virgo fungitur, usque ad nuptiarum maturitatem.*

T 2 §.XIII.

g) Pauſan. in *Arcad.* c. V. p. 609. in *Ach.* c. XIX. p. 571.
h) Idem in *Bœot.* c. XXVII. p. 763.
i) Pauſan. in *Ach.* c. XIX, p. 570. & c. XXVI. p. 592.
k) Idem in *Arcad.* c. XLVII. p. 695.
l) In *Corinth.* c. XXXIII. p. 189.

§. XIII.

Sacerdotes viduæ & univiræ.

Nonnullis tamen in ſacris viduis quoque, vel feminis ſaltem univiris, viventibus etiam & conſentientibus maritis, ſacerdotium committebatur, addita tamen lege, ut a commercio cum viris omni poſthac abſtinerent. Viduis cura & cuſtodia ignis ſacri perpetui credita erat Athenis & Delphorum in urbe. Plutarchus: m) Ἐπεὶ τοι τῆς Ἑλλάδος ὅπου πῦρ ἄσβεστόν ἐστιν, ὡς Πυθοῖ καὶ Ἀθήνησιν, οὐ παρθένοι, γυναῖκες δὲ πεπαυμέναι γάμων, ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν. *In Græcia quoque, ſicubi ſervatur æternus ignis, ſicut Delphis & Athenis, non virgines, ſed viduæ extra ætatem poſitæ nuptiarum ei præſunt.* Et de quodam Telluris in Achaja ſacerdotio Pauſanias refert, n) feminæ illud decerni, quæ illo ſuſcepto vitam agat cælibem per reliquum ætatis tempus: quanquam & antea illam cum viro (marito) tantum uno conſueviſſe oporteat. Idem Arcadas ſcribit o) Dianæ Hymniæ, fanum inter

m) In *Numa*, p. 66.
n) In *Ach.* c. XXV. p. 591.
o) In *Arcad.* c. V. p. 609.

ter Orchomeniorum & Mantinenſium fines antiquiſſimum habentis, cum violata aliquando virgo eſſet ſacris præſidens, ſacerdotium ad feminam tranſtuliſſe, virorum conſuetudine ſufficienter uſam. De Cereris ſacerdotibus Tertullianus: p) *Cereris ſacerdotes, viventibus etiam viris & conſentientibus, amica ſeparatione viduantur.*

§. XIV.

Inſignia Numinum geſtata.

Quædam ſacerdotes ejus, cui miniſtrabant, Numinis, inſignia geſtare in more habuerunt. Ita v. c. de Cereris ſacerdote affirmat Callimachus, q) eam manu tenere *coronas* & *papaver:*

Γέντο δὲ χειρὶ
Στέμματα καὶ μάκωνα.

Coronas intellige ariſtis graves, quæ, ſimul cum papavere, inſigne habebantur Cereris, frugum inventricis.

T 3 *CA-*

p) De *Monogamia*, c. XVII. p. 676.
q) *Hymno in Cererem*, v. 45. Vide ad illum locum Spanhemium, & cf. Lochneri *Papaver ex omni antiquitate erutum*, p. 36. ſqq.

CAPUT II.

DE MINISTRIS SACERDOTUM.

§. I.

Miniſtri ſacerdotum in ſua genera diſtributi.

QVemadmodum Hebræorum in gente ſacerdotibus Levitæ dati erant, qui in tabernaculo hujusque ſupellectili bajulandis, ac poſtea in templo cuſtodiendo, in ſacrificando, canendo pſallendoque operam illis darent: ita apud Græcos quoque proſpectum fuerat, ut miniſtris ne carerent ſacerdotes, cæremoniarum, quippe ſatis operoſarum, adjutoribus. Genera horum conſtitui poſſunt varia, ex quibus præcipua enumerabimus. Sunt autem (1) Δᾳδοῦχοι, (2) Κήρυκες. (3) Νεωκόροι. (4) Θῦται, Βουθύται, ſive βούτυποι. (5) Πυρφόροι. (6) Ὑμνῳδοὶ, ὑμνήτριαι ſive ὑμνητρίδες. r)

§. II.

Δᾳδοῦχοι.

Δᾳδοῦχοι, ſive *Tædiferi*, Hierophantæ, ſacrorum Cereris Eleuſiniorum præſidi, operam navabant, faces de-

fe-

r) V. Pollux l. I. c. I. ſegm. 14. & 35.

ferendo in ſacris illis, quæ per noctem cum pompa fiebant. Hinc paſſim ſcriptores, s) cum de myſteriis illis agunt, conjungere videas δᾳδέχες cum ἱεροφάνταις. Fungebantur Daduchi, non ſecus ac Hierophantæ, munere ſuo ad finem uſque vitæ. Colligas ex quodam Pauſaniæ loco, t) quo femina quædam, cui nomen Aceſtio, Sophoclem fratrem, Themiſtoclem maritum, eoque *mortuo* Theophraſtum filium Daduchos vidiſſe dicitur. Eodem ex loco ſimul liquet, conjugio Daduchis, quod quidem Hierophantis inire nefas erat, non fuiſſe interdictum. Stolam, u) comam, ſimul cum ſtrophio, quod zonæ ſive faſciæ genus erat, perinde ac Hierophantæ, geſtabant Daduchi. Quo habitu adductus barbarus aliquis, Calliæ cuidam Daducho ad pedes accidit, adoransque dextram apprehendit, ex coma & ſtrophio regem eſſe ratus. x) §. III.

s) E. c. Athenæum *Dipnoſoph.* l. I. p. 21. Plutarchum in *Alcib.* p. 200. & 202. aliosque.

t) In *Att.* c. XXXVII. p. 89.

u) *Athen.* l. c.

x) Plut. in *Ariſtide*, p. 321. Cf. Meurſii *Eleuſiani*, c. XIV.

§. III.

Κήρυκες. De *Cerycibus*, ſive *Præconibus*, eorumque officiis ſupra jam cap. I. §. I. aliquid diximus. Addimus nunc, eorum quoque fuiſſe, ut per urbem circumducerent victimas, ſolenniter immolandas. Homerus: y)

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ Θεῶν ἱερὴν ἑκατόμβην
Ἦγον.

Præcones autem per civitatem ſacram hecatomben
Duxerunt.

Porro coquorum etiam & victimariorum vices, dum res divina fieret, interdum præſtabant Athenienſium Ceryces. Μαγείρων καὶ βουτύπων τάξιν ἐπεῖχον Κήρυκες, inquit Athenæus. z) Silentium, cum incoarentur ſacra, hac indicebant formula: a) Εὐφημεῖτε σιγῇ πᾶς ἔσω λεώς. *Favete linguis, ſilentium ſervent qui adſunt omnes.* Favebant autem linguis homines in ſacris, duobus modis: vel ſilentes; vel, ſilo-

y) *Odyſſ.* XX. v. 276.
z) *Dipnoſoph.* l. XIV. p. 660. ex Clidemi *Protogenia.*
a) V. Potterum *Archæol. Gr.* l. II. c. IV. p. 219. Cf. Caſaub. ad *Theophr. Charact.* p. 380.

ſi loquerentur, male ominatis verbis parcentes. Finitis vero ſacris exclamabant: Λαῶν ἄφεσις. *Dimittitur populus.* Denique vinum quoque ad libandum in ſacris infundebant. b) Ceterum non confundendi cum noſtris hiſce præconibus Κήρυκες illi ſunt, qui ad civilia & domeſtica negocia adhibebantur; e. c. ut Regis aut magiſtratus nomine populum in concionem convocarent, ut audientiam in concione dicturis facerent, ut nunciorum, legatorum & caduceatorum obirent vices, c) ut vinum miniſtrarent convivis d) cet. Cujus confuſionis vitandæ cauſſa, præcones munia ſuſtinentes ſacra, præſertim in Eleuſiniis, Ἱεροκήρυκες ſolebant appellari. e)

§. IV.

Νεωκόροι, vel Ζακόροι, *Æditui*, uti a *templo purgando ornandoque* nomen Νεωκόροι.

T 5 acce-

b) Homerus *Odyſſ.* VII. v. 163.
c) V. Everh. Feithii *Antiqu. Homer.* l. II. c. V. p. 128. ſqq.
d) Hom. *Odyſſ.* I. v. 109.
e) V. Sponii *Itinerar.* p. II. p. 216.

acceperunt; ita, ut vaſa, utenſilia atque ornamenta templi, imo templum quoque ipſum, munda conſervarentur, omni ſtudio curare debuerunt. Suidas: f) Νεωκόρος ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων· ἀλλ' οὐχ ὁ σαρῶν. Νεωκόρος is eſt, *qui templum ornat apparatque; non vero qui verrit.* Quod tamen poſtremum, ſi ad tempora referatur antiquiſſima, falſum eſt. Sane enim apud Euripidem g) Jon, Apollinis ædituus, non veretur hæc de ſe profiteri:

Ἡμεῖς δὲ πόνους, οὓς ἐκ παιδὸς
Μοχθοῦμεν ἀεὶ, πτόρθοις ἢ δάφνης,
Στέφεσι θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
Καθαρὰς θήσομεν, ὑγραῖς τε πέδον
Ῥανίσι νοτερόν.

Nos vero labores, quos a puero
Suſtinemus ſemper (ſuſcipiemus), *ramis lauri*
Et ſacris coronis veſtibula Phœbi
Pura faciemus (verrendo quidem, ut ex ſequentibus manifeſtum eſt) *humidisque ſolum*
Guttis humidum.

At

f) In *Lexico* v. Νεωκόρος.
g) In *Jone*, v. 102. Cf. v. 112. ſqq.

At ſequiori ætate inficiari nolim operam verrendi templi relictam fuiſſe aliis, atque Νεωκόρους id ſolum curaſſe, ut ornatus ſuus ſplendorque ſemper conſtaret templis, imo augeretur; ſic ut iidem fere eſſent Νεωκόροι, qui Ariſtoteli Επιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ h) nuncupantur. Tandem magnæ dignitatis ſignificationem accepit vocabulum, hominesque notare cœpit, penes quos cura quædam eſſet præcipua non ſolum ædium ſacrarum, ſed ſacrorum etiam ipſorum. Vrbibus cum tribuitur Νεωκόρων appellatio, ut ſæpius fieri obſervamus in nummis, eæ denotari ſolent, quæ vel templi Numini alicui ſacri curam haberent peculiarem, uti e. c. Epheſus Νεωκόρος dicitur i) τῆς μεγάλης Θεᾶς Αρτέμιδος, *magnæ Deæ Dianæ;* vel SCto licentiam impetraſſent, pro ſalute Imperatoris alicujus Romani ſacra publica faciendi, templa exſtruendi, atque ibi certamina vel jam Diis dicata, vel nova de Imperatorum nominibus edendi. k) §.V.

h) De quibus cap. I. §. VI. diximus.
i) Act. XIX, 35.
k) V. Ant. van Dale *Diſſert. marmor. illuſtr. inſerv.*

§. V.

Θῦται cet. Θῦται, βȣθῦται & βȣ́τυποι, Athenis ex vetere atque clara Thaulonidarum gente legebantur. l) Officium eorum idem erat, quod *Poparum* & *Victimariorum* apud Romanos. Victimam ſcilicet ad aram deductam, & accurate ligatam, feriebant jugulabantque, aquam, molam ſalſam, atque reliqua ad ſacrificium neceſſaria apparabant.

§. VI.

Πυρφόροι. Πυρφόροι, ſive *Igniferi* vocabantur, qui ignem ad altare afferebant, rogumque victimæ cremandæ inſerviturum ſuccendebant. Apud Lacedæmonios ὁ Πυρφόρος ignem ſacrum exercitui etiam præferebat, ad regionis usque fines. Xenophon: m) *Θύει μὲν γὰρ πρῶτον οἴκοι ὢν Διῒ ἀγήτορι, καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ, ἢν δὲ ἐνταῦθα καλλιερήσῃ, λαβὼν ὁ πυρφόρος πῦρ ἀπὸ τȣ͂ βωμȣ͂ προ-*

ſerv. diſſert. IV. quæ eſt de *Neocoris ſacerdotibus, & urbibus Neocoris.* Cf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliogr. antiquar.* p. 296. & qui ibi laudantur ſcriptores.

l) V. cap. I. §. I.

m) De *Republ. Laced.* p. 688.

προηγεῖται ἐπὶ τὰ ὅρια τῆς χώρας· ὁ δὲ βασιλεὺς ἐκεῖ ἂν θύεται Διῒ καὶ Ἀθηνᾷ. *Primum domi adhuc ſacrum Jovi ductori, & adjunctis ei Diis facit* Rex: *ac ſi litatum illic fuerit, Ignifer ſublato ab ara igne, ad regionis fines præcedit, ubi rex Jovi Minervæque rurſum ſacrificat.* Dubitandum vero non eſt, quin minoribus in civitatibus, & in templis minus opulentis, Poparum juxta atque Igniferorum provinciam Sacerdotes ipſi ſuſceperint adminiſtrarintque.

§. VII.

Denique Ὑμνῳδοὶ, ὑμνήτριαι & ὑμνητρίδες viri dicebantur atque feminæ, qui, dum vinum Diis libaretur, ſub finem ſacrorum, hymnos ſuccinebant, Deorum in honorem factos, & cuivis quidem Numini proprium. Clemens Alexandrinus: n) Καὶ συνιόντες εἰς τὸ ἱερὸν οἱ Κεφαλλῆνες κατὰ νουμηνίαν, γενέθλιον ἀποθέωσιν θύουσι Ἐπιφάνει. σπένδουσί τε καὶ εὐωχοῦνται, καὶ ὕμνοι λέγονται. *Cephallenei in templum novilunio convenientes, ſacrificio illud tempus ce-* Ὑμνωδοὶ cet.

le-

n) *Stromat.* l. III. p. 428.

lebrant, quo Deorum in numerum relatus eſt Epiphanes: libant, *epulantur* hymnosque canunt. Ad varietatem hymnorum, quam ſacrorum exigant diſcrimina, Plato reſpicit, quando lege vult conſtitui, ἐπὶ τοῖς τῶν Θεῶν θύμασιν ἑκάστοις ἣν ᾠδὴν δεῖ ἐφυμνεῖσθαι, *qui cantus*, ſeu hymnus, *ſingulis Deorum ſacrificiis conveniat ſuccinique debeat.* Scientia hymnorum, partim a Muſæo, partim ab Orpheo compoſitorum, & canendi illos peritia ſingularis penes Lycomedarum, vel Lycodrymidarum familiam fuit, quam eo nomine laudat Pauſanias. o) Lectos interdum ad hymnos canendos præcipue dignationis viros fuiſſe, vetus quædam ſubindicat inſcriptio, p) in qua Oenomaus quidam ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΚΑΙ ΥΜΝΩΔΟΣ ſimul dicitur.

CA-

---

o) In *Meſſen.* c. I. p. 181. & in *Arcad.* c. XXX. p. 770.

p) Apud Sponium in *Miſcellan. erud. antiqu.* p. 354. Cf. Spanhem. *ad Callim.* p. 3.

CAPVT III.

DE

INITIANTIBVS, EXPIANTIBVS, VATIBVS ET DIVINIS.

§. I.

Perſonarum ſacrarum in numerum referri etiam debent ii, qui myſteriis alios *initiabant*, & qui pollutos *expiabant*, nec minus omne *vatum divinorumque* genus. *Initiantes*, Ἱεροφάνται, certe in occultis Cereris ac Proſerpinæ ſacris, q) Μυσταγωγοὶ, r) & Τελεσταὶ dicti, religionem arcanam, e. c. Cereris Eleuſiniæ, Deorum Cabirorum in Samothrace inſula, illius cupidos edocebant. Nuncupari autem ſolebant ſacra illa, ad quæ, ut eorum quis peritus atque particeps evaderet, ſingulari initiationis ritu opus erat, μυστήρια & τελεταὶ, quod & ſummo ſilentio occultanda eſſent, atque intus quaſi *occludenda*, & quod homines eo-

Initiantes, & initiationis cærimoniæ.

q) Vid. cap. I. §. V.

r) Dicebantur tamen *myſtagogi* illi etiam, qui hoſpites ad ea, quæ viſenda in templis erant, ducere ſolerent, & unumquidque oſtendere. Cic. l. IV. *in Verrem.* p. 324.

eorumque vitam crederentur τελειοῦν, *perficere.* Vtrumque docet Cicero, quando *Ceres* ait s) *&* *Libera*, (Proſerpina) *quarum ſacra, ſicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque* occultis cærimoniis *continentur, a quibus* initia vitæ *atque victus*, legum, morum manſuetudinis, humanitatis *exempla hominibus, & civitatibus data ac diſpertita eſſe dicuntur.* Et loco alio : t) *Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vita hominum attuliſſe, tum nihil melius illis* myſteriis, *quibus ex agreſti immanique vita* exculti ad humanitatem & mitigati ſumus: *initiaque ut appellantur, ita revera* principia vitæ *cognovimus.* Eadem plane, quod ad uſum myſteriorum attinet, Arriani ſententia eſt, qui Ἐπὶ παιδείᾳ, inquit, u) καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν. *Ad inſtitutionem & correctionem vitæ conſtituta hæc* (myſteria) *ab antiquis ſunt*

s) Lib. V. *in Verrem.* ſub finem.
t) De *leg.* l. II. p. 1253.
u) In *Epictetum* l. III. c. 21.

ſunt omnia. Cærimoniæ initiationis Eleuſiniis in myſteriis, minoribus juxta ac majoribus, iſtæ quidem erant: Principio initiari qui cuperent, opera viri, quem Ὑδρανὸν vocabant, x) aqua luſtrabantur ad Iliſſum fluvium, in pelle quadam victimæ Jovi immolatæ a Daduchorum aliquo conſtituti. Tum ſacris ex porco factis, ſingulare caſtitatis exercitium ſuſcipiebant. Eam ubi probaſſent, prima doctrinæ arcanæ fundamenta, *Myſtarumque* nomen accipiebant, edocendi mox plenius, *Epoptarumque* nomine appellandi, poſtquam ad myſteria admiſſi eſſent majora. His vero ſequentem in modum initiabantur. Adibant nocturno tempore, caput corona rediniti myrtea, ad templum Eleuſinium. Hoc ingreſſi manus ſibi, ſumta e malluvio ſacro aqua, abluebant. Tum manus puras mentemque puram habere juſſis, linguæque Græcæ peritiam, quæ prorſus hic requirebatur, profeſſis, ri-

x) Heſych. Ὑδρανὸς, ἁγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων. Ὑδρανὸς *luſtrator Eleuſiniorum* eſt.

ritus ſacri prælegebantur ex libris, qui inter duos lapides, apte inter ſe coagmentatos, aſſervabantur. Hos ritus ſibi prælectos ſtatim deſcribebant initiandi. Proponebantur deinceps ab Hierophanta quæſtiones nonnullæ, e. c. numquid ediſſent? Ad quas debito modo ſi reſpondiſſent; varia illis objiciebantur ſpectacula, ſic ut modo lux, modo tenebræ, modo alia, & in his verendum etiam muliebre, illis apparerent atque oſtenderentur. Auribus vero voces accidebant variæ. Hoc facto illis Κὸγξ, Ὄμπαξ acclamabatur: atque ſic tandem dimiſſi diſcedebant; veſtem vero, qua amicti tunc fuerant, nunquam deponebant, niſi longo uſu detritam, ac tum Cereri & Proſerpinæ conſecrabant, vel & ad infantum faſcias reſervabant. y) In Samothrace inſula ritus initiationis hic erat: Ante omnia ab initiando expiſcabatur cærimoniarum antiſtes ſcelera & flagitia, quæ in vita ſua commiſiſſet, maxima: haud inſipienter judi-

y) V. Meurſii *Eleuſinia*, c. VII-XII.

judicans, fore ut illa confeſſum fidiorem ſibi ac religioni, ſilentiique obſervantiorem haberet hominem. Lepidum eſt, quod ſacerdoti initiaturo, de criminibus ſciſcitato, aliquando reſpondit Spartanus aliquis, ſacris his initiari volens. Refert Plutarchus ita: z) Ἀνταλκίδας ἐν Σαμοθράκῃ μυέμενος, ἐρωτηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἱερέως, τί δεινότερον δέδρακεν ἐν τῷ βίῳ; Εἴ τι μοι πέπρακται τοιοῦτον, εἶπεν, εἴσονται αὐτοὶ οἱ Θεοί. *Antalcidas in Samothrace cum initiaretur ſacris, quærenti ſacerdoti, quodnam flagitium in vita perpetraſſet maximum? Si quid, ait, tale egi, non latebit id ipſos Deos.* Tum in ſolio collocabatur initiandus, cujus ventri vel capiti tænia circumligata fuerat purpurea. Myſtæ ceteri choreas circa illum, throno inſidentem, ducebant; atque hunc illi ritum θρονισμὸν appellabant, vel θρόνωσιν. Interdum loco tæniæ, quam diximus, κρηδέμνῳ utebantur, quod *velamentum* erat, caput totumque pectus

V 2 in-

z) In *Lacon. apophthegm.* p. 217. cf. p. 229.

integens. a) Jam ſacris hiſce initiati qui eſſent, non modo juſtiores ſanctioresque ſeſe factos exiſtimabant, ſed a periculis quoque, illis præſertim maris, tutiores ſeſe fore credebant. Hinc eisdem ſacris initiari ſeſe curarunt Argonautæ, ut, quemadmodum Apollonius loquitur Rhodius, b) *imbuti*

Ἀῤῥήκτους ἀγανῇσι τελεσφορίῃσι θέμιστας,
Σωότεροι κρυόεσσαν ὑπεὶρ ἅλα ναυτίλλοιντο.

Intemerandis legibus pulcrisque initiis,
Certiori cum incolumitate horridum navigarent mare.

§. II.

Expiantes. Qui vel cæde aliqua, juſta licet aut fortuita, vel admiſſo facinore alio inquinati fuerant, vel & alio impuritatis genere polluti cenſebantur; ii ſacrorum, qua exciderant, commu-

a) Videbis ſingula hæc uberius expoſita atque declarata in Tob. Gutberlethi diſſert. de *myſteriis Deorum Cabirorum* p. 63. ſqq.
b) *Argonaut.* l. I. v. 916.

munione, hominumque, ſub eodem ſaltem tecto & ad eandem menſam, conſortio, quo excluſi fuerant pariter, denuo frui ante non poterant, quam certis cærimoniis luſtrati eſſent expiatique. De ritu luſtrationis atque expiationis ipſo infra, P. III. ex inſtituto agendum nobis erit. Nunc id ſolum obſervamus, eos, qui operam expiandi alios ſuſceperant, dictos fuiſſe Καθαρτὰς, Καθαρτῆρας, Απομάκτας c) & Ἁγνιςάς. d) Interdum feminæ quoque, maximeque vetulæ alicui, expiandi partes datæ ſunt. Cujusmodi feminam Απομάκτριαν vocari Pollux e) teſtatur: Plutarchus περιμάκτριαν γραῦν, *anum* appellat *piatricem.* f) Ex hoc genere Glaucotheam eſſe, Æſchinis matrem, oratori huic

c) Pollux in *Onomaſt.* l. VII. ſegm. 188.
d) V. Heſych. V. Ὑδρανός.
e) Loco cit.
f) De *ſuperſtit.* p. 166. Vbi quidcm perperam interpres *vetulam* reddidit, *quæ priſtino aſſidet*, quaſi ex μάκτρα vox eſſet, quum ſit ex περιμάξαι, q. e. *circumferre* ſive *applicare* aliquid *corpori expiandi cauſſa*, *undique conſpergere, abſtergere.*

exprobrat Demoſthenes. g) Ovidius *anum* nuncupat *luſtrantem*: h)

Et veniat quæ luſtret anus *lectumque locumque*,
Præferat & tremula ſulphur & ova manu.

§. III.

Vates eorumque nomina. *Vates*, ſive homines, quos ex Numinis alicujus patefactione, ubicunque locorum, res prænunciare poſſe futuras opinio erat, Μάντεις dicebantur & Θεομάντεις. Ductum nomen creditur ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι, ab *inſaniendo*, quod cum vaticinatione conjunctus eſſe ſoleret *furor*. Plato ſane i) *artem præſtantiſſimam*, *quæ de futuris judicetur*, recte a veteribus μανικὴν appellatam eſſe contendit, inſciteque recentiores, interjecta littera τ, vocaſſe μαντικήν. Scilicet vatici-

g) Orat. de *falſa legat.* p. 226. Cf. orat. de *corona*, p. 331.
h) *Artis amat.* l. II. v. 329.
i) In *Phædro*, p. 343. Quo loco ſimul ait Plato, *Veteres*, *qui nomina rebus impoſuerint*, ὀυκ αἰσχρὸν ἡγῆσθαι ὀυδὲ ὄνειδος μανίαν, *minime turpem aut ignominioſum reputaſſe furorem.*

ticinandi vim humanæ Deum dediſſe inſaniæ, (ἀφροσύνη) idem cenſet philoſophus, k) argumentoque illud eſſet putat, quod οὐδεὶς ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς, ἀλλ' ἢ καθ' ὕπνον τὴν τῆς φρονήσεως πεδηθεὶς δύναμιν, ἢ διὰ νόσον, ἢ τινα ἐνθουσιασμὸν παραλλάξας. *nemo, dum ſanæ mentis ſit, divinum & verum vaticinium ullum aſſequatur, ſed cum vel ſomno vis mentis præpedita ſit, vel oppreſſa morbo, vel divino aliquo raptu e ſtatu ſuo dimota,* fieri divinatio ſoleat. Ac revera vaticinia apud Græcos absque furore edi ſolebant nulla. Et quia furor ille a Numine, cujus plenus eſſet homo, proficiſci credebatur, factum hinc eſt, ut fatidici non modo φρενομανεῖς, ſed etiam ἔνθεοι, ἐνθουσιῶντες, θεοφόρητοι, θεοφορούμενοι & θεόληπτοι, quæ voces ſingulæ homines notant, qui *divino ſpiritu afflatuque aguntur atque animantur,* ſint appellati. l) Prodere autem ſe ſolebat furor iſte in-

 diciis

k) In *Timæo*, p. 543.
l) V. Spanhemii *Obſervat. ad Callim. hymnum in Delum*, v. 89. p. 382.

diciis variis, e. c. ore ſpumante, ululatu, clamore incondito, murmure confuſo, genarum pallore, capitis corporisque tremore motuque inſolito, oculis modo retro verſis contortisque, modo rigentibus, dentium ſtridore cet. m) Nonnullis vatibus pectus aut ventrem divino ſpiritu repleri, opinabantur creduli, n) quia vocem illi, dum vaticinia funderent, labiis non motis, ſic conformare arte, uſu & exercitatione didicerant, ut ex ipſo illa pectore aut ventre prodire videretur. Nominati hinc fuere Στερνομάντεις, Ἐγγαστριμάντεις & Ἐγγαστρίμυθοι. o) Quanquam vocabu-

m) V. Senecam in *Agamemn.* v. 706. ſqq. quo loco Caſſandræ fatidicæ furorem vivide repræſentat tragicus. Adde Lucanum *Pharſal.* l. V. v. 148. ſqq. Virgil. *Æn.* VI. v. 45. ſqq. Jamblich. de *myſter.* ſect. III. c. 5. Lycophr. in *Alexandra* v. 3. ejusque commentatores.

n) Plutarchus opinionem iſtam *fatuam* judicat *atque puerilem* de *oracul. defectu* p. 414.

o) Pollux *Onomaſt.* l. II. c. IV. ſegm. 162. & 168. Cf. de Engaſtrimythis Anut. Foeſium in *Oeconomia Hippocratis* p. 174. Leonem Allatium in *diſſert.* Euſtathii, Archiepiſc. Antioch. *Hexaemero* (Lugd. 1629. 4.) ſubjuncta, pluresque alios.

bulis duobus poſterioribus, cum de Pythia uſurpantur, Apollinis Delphici fatidica, ſignificatus ineſt alius. Nempe feminam tunc notant, non quæ ex ventre ſuo, ſed quæ ἐκ τῆς γαστέρας (quæ vox apud Homerum quoque p) de *cavitate* vaſis, in quo aliquid elixatur, adhibita reperitur) ex *vaſe concavo*, ſive *pelvi* tripodi, cui inſidebat, impoſita, reſponſa profert, ab ipſo, uti ferebatur, Apolline ſuggeſta.

§. IV.

Vaticinandi facultatis adminicula.

Vaticinandi facultatem promoveri, atque adjuvari exiſtimabant Græci certis adminiculis. Atque in his principem locum uſui aſſignabant lauri: quapropter ille apud vaticinandi artem profeſſos longe fuit frequentiſſimus. Vtebantur vero lauro tribus potiſſimum modis. Vel enim coronam inde nectebant, capiti imponendam, vel illa veſcebantur, vel ramum baculumve lauri, manibus geſtabant. De corona ſatis teſtata res eſt. Sumebant illam vates ad ipſius ex-

p) *Odyſſ.* VIII. v. 437. Cf. Pollucem *Onomaſt.* l. II. c. IV. ſegm. 168. & l. X. c. XXIII. ſegm. 81.

exemplum Apollinis, quem Ælianus, q) poſtquam Pythonem ſerpentem, Delphos cuſtodientem, interemiſſet, lauro coronatum fuiſſe perhibet Tempica, atque tum demum oraculum, quod Tellus tenuerat antea, occupaſſe. Lauro autem veſci ſolitos eſſe vates, inde patet, quod Caſſandræ fatidicæ δαφνοφάγους λαιμοὺς, *guttur* ſive os *laurivorum* tribuit Lycophron; r) cujus Scholiaſtes Λήγουσι, inquit, ὅτι οἱ μάντεις δάφνας ἐσθίοντες ἐμαντεύοντο, ἵνα καὶ τῇ ὀπωπῇ καὶ τῇ ὀσφρήσει γανύμενος ὁ Θεὸς ἀντιδίδωσιν αὐτοῖς τὰς θεοπροπίας χαίρων. *Vates ferunt lauro comeſta ad vaticinandum ſe compoſuiſſe, ut tum aſpectu tum odore gaudens Deus oracula illis lætus impertiret.* Quem ad morem hæc etiam ſpectant Tibulli: s)

> *Vera cano: ſic usque ſacras innoxia* lauros
> Veſcar, *& æternum ſit mihi virginitas.*

Ba-

q) *Hiſt. var.* l. III. c. I.
r) In *Caſſandra* ſ. *Alex.* v. 6. Cf. ibi Potterum.
s) Lib. II. *eleg.* V. v. 63. Cf. ibi Muretum.

Baculum, ſive virgam, vel ramum laureum geſtandi conſuetudinem Æſchylus tangit, apud quem Caſſandra: t)

Ἔχω τάδε, inquit,
Καὶ σκῆπτρα, καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη.
Teneo has
Virgas, (laureas) *& fatidicas circa collum corollas* (itidem laureas.)

Heſychius u) talem ſive virgam ſive baculum ἰθυντήριον dictum fuiſſe docet. Ἰθυντήριον, ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις σκῆπτρον ἀπὸ δάφνης. *Baculus*, ſeu *virga*, *quam ferunt vates e lauro*, ἰθυντήριον vocatur. Imitati hac etiam in re Apollinem ſunt vates. Nam illum quoque, quum oraculum occupaturus eſſet Delphicum, κλάδον ἐκ δάφνης εἰς τὴν δεξιὰν λαβεῖν, *lauri ramum in dextram manum ſumſiſſe*, teſtatur Ælianus. x) Hinc in nummo quodam Trallianorum, cui inſcriptum: ΠΥΘΙΟΣ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, *Pythius Trallianorum*

t) In *Agamemn.* v. 1273.
u) In *Lexico*, V. ἰθυντήριον.
x) Loco cit.

norum, Apollo viſitur, ſiniſtra manu citharam, dextra vero ramum geſtans lauream. y) Porro corde certorum animalium, e. c. corvorum, vulturum, talparum, devorato vim vaticinandi comparari augerique exiſtimabant. Inſignis hac de re Porphyrii locus eſt: z) Ὅτι γὰρ ὁλκὸς τῆς ψυχῆς ἡ τοῦ συγγενοῦς σώματος φύσις, ἡ πεῖρα τούτους ἐδίδαξεν διὰ πλειόνων. Οἱ γοῦν ζώων μαντικῶν ψυχὰς δέξασθαι βουλόμενοι εἰς ἑαυτοὺς, τὰ κυριώτατα μόρια καταπιόντες, οἷον καρδίας κοράκων, ἢ ἀσπαλάκων, ἢ ἱεράκων ἔχουσι παροῦσαν τὴν ψυχὴν, καὶ χρηματίζουσαν ὡς Θεὸν, καὶ εἰσιοῦσαν εἰς αὐτοὺς ἅμα τῇ ἐνθέσει τῇ τοῦ σώματος, *Quod enim natura corporis congeniti animam ad ſe attrahat, pluribus hos experientia docuit. Quare qui animalium, in quibus vaticinandi facultas eſt, animas intra ſe recipere cupiunt, partes eorum præcipuas, ut corda corvorum, talparum, aut accipitrum, deglutiunt.* Id ubi fecerunt, *præſentem ſibi habent animam* (iſto-

rum

y) Spanhem. ad *Callim.* p. 399.
z) De *abſtinent.* l. II. p. 214.

rum animalium) *& inſtar Dei alicujus reſpondentem, quippe cum particula corporis devorata ſimul in ipſos ingreſſam.* Sub *partibus* animalium *præcipuis* jecur etiam comprehendere videtur Porphyrius. Nam illi quoque divinandi vis quædam ineſſe putabatur. Plato: a) Ἡ μὲν οὖν φύσις τοῦ ἥπατος διὰ ταῦτα τοιαύτη δὲ, καὶ ἐν τόπω, ᾧ λέγομεν, πέφυκε, χάριν μαντικῆς. *Jecoris quidem natura eam ob cauſſam talis facta eſt, & in ea, quam diximus, ſede collocata.*

§. V.

A vatibus, de quibus hactenus egimus, accurate diſtingui jubet Plato *Prophetas*, reprehenditque eos, qui utrumque genus confundant. b) Ὅθεν δὴ καὶ τὸ τῶν προφητῶν γένος ἐπὶ ταῖς ἐνθέοις μαντείαις κριτὰς ἐπικαθιςάναι νόμος. Ὅυς μάντεις ἐπονομάζουσι τινὲς, τὸ πᾶν ἠγνοηκότες· ὅτι τῆς δι' αἰνιγμῶν οὗτοι φήμης καὶ φαντάσεως ὑποκριτάι. καὶ οὔτοι μάντεις, προφῆται δὲ μαντευομένων δικαιότατα

Prophetæ, & ὑποφῆται.

a) In *Timæo* p. 544.
b) In *Timæo* l. c.

τατα ὀνομάζοιντ' ἄν. Hinc lex jubet divinis vaticiniis præeſſe Prophetas. *Quos* Vates (*μάντεις*) *quidam nominant, prorſus ignorantes, quod oraculorum illi viſorumque obſcurorum pronunciatores ſint atque interpretes. Itaque non* Vates *illi, ſed* vaticiniorum pronunciatores interpretesque *recte appellentur.* Apparet igitur, Prophetam a Platone vocari eum, qui oracula tum ipſe proferat, tum quoque explicet, & qui viſa divinitus hominibus objecta exponat. A qua notione non aliena ſunt hæc Pollucis: c) Τὸν δὲ χρῶντα τῇ χρησμολογικῇ, καλέσοις ἂν προφήτην. *Qui arte pronunciandi* (imo etiam interpretandi) *oracula utitur*, (eam profitetur exercetque) *hunc* Prophetam *vocaveris.* Sic oraculum Delphicum ſuos habuiſſe Prophetas, dudum animadverſum eſt. d) Ceterum coronis uſos eſſe Prophetas, non ſecus ac vates, ex Luciano intelligitur, qui *ςέμματος προφητικȣ̃, corona*

c) In *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 19.
d) V. Ant. van Dale *de orac.* p. 104. ſq.

ronæ propheticæ diſerte meminit. e) Prophetis jungendi ſunt Ὑποφῆται, quaſi *Subvates* dicas, quos Pollux etiam a Prophetis diſtinguit. f) Horum mentionem Homerus jam fecit, g) cujus interpres ὑποφήτας vocari ait, τοὺς περὶ τὰ χρηστήρια ἀσχολουμένους, καὶ τὰς μαντείας τὰς γιγνομένας ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐκφέροντας, *qui in oraculis occupentur, & vaticinia a ſacerdotibus edita efferant.* Ex quo colligo, τοὺς ὑποφήτας perſonam interdum ſuſtinuiſſe ipſorum prophetarum, quorum quaſi miniſtri, ſive adjutores reputari poſſint, eademque, quæ illis incumbebant, obiiſſe munia. Fieri hinc obſervamus, ut προφητῶν & ὑποφητῶν vocabula promiſcue nonnunquam a ſcriptoribus uſurpentur. Quid? quod poſterius nomen tam late interdum patet, ut Prophetas etiam complectatur. Animadvertiſſe hoc Strabonem video, qui de oraculo loquens Dodonæo, Καταρχὰς μὲν, inquit

e) In *Pſeudomant.* ſub finem T. Opp. I. p. 782.
f) Loco cit. ſegm. 14.
g) *Iliad.* XVI. v. 235.

quit, h) ἄνδρες ἦσαν οἱ προφητεύοντες. καὶ τῦτ' ἴσως καὶ ὁ ποιητὴς ἐμφαίνει. Ὑποφήτας γὰρ καλεῖ, ἐν οἷς τάττοιντο καὶ οἱ Προφῆται. *Initio quidem viri fuerunt, qui oracula pronunciarunt. Quod ipſum poeta* i) *ſignificare videtur, quando* Ὑποφήτας *eos nuncupat, quorum nomine Prophetæ etiam comprehenduntur.*

ſ. VI.

Superſunt *Divinorum* genera, e. c. οἰωνισαὶ, ὀνειρομάντεις, ſive ὀνειροκρίται, ἱεροσκόποι, πυρομάντεις, κληρομάντεις, νεκρομάντεις, κοσκινομάντεις, ὑδρομάντεις, pluraque alia, Polluci k) ex parte recenſita. Sed de his quidem aptior dicendi locus erit, cum de *divinatione* exponetur: quod parte fiet ſequenti.

h) *Geograph.* l. VII. p. 506.
i) Homerus l. c.
k) In *Onomaſt.* l. VII. c. XXXIII. ſegm. 188.

PARS

PARS III.

DE REBVS RITIBVSQVE SACRIS.

CAPVT I.
DE SACRIFICIIS.

§. I.

IN rebus cærimoniisque ſacris primas facile tenent *Sacrificia*, cum ſuis ritibus. Intelligimus vero per *ſacrificia* munera, eo conſilio ſive Diis, ſive Heroibus aut Dæmonibus conſecrata, & vel altari, vel loco hujus generis alii impoſita, ut pro cibo quaſi potuque Diis cet. eſſent, a) ac ſimul vel veneratio ſolum

Sacrificia quid, & eorum nomina.

a) Deos ex ſacrificiis alimenta capere, aperte profitetur Prometheus apud Ariſtophanem in *Avibus*, v. 1513.

Ἀπόλωλεν ὁ Ζεὺς,
Ἐξ οὗπερ ὑμεῖς ᾠκίσατε τὸν ἀέρα.
Θύει γὰρ οὐδεὶς οὐδὲν ἀνθρώπων ἔτι
Θεοῖσιν· οὐδὲ κνῖσσα μηρίων ἄπο
Ἀνῆλθεν ὡς ἡμᾶς ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου·

quit, h) ἄνδρες ἦσαν οἱ προφητέυοντες. καὶ τοῦτ' ἴσως καὶ ὁ ποιητὴς ἐμφαίνει. Ὑποφήτας γὰρ καλεῖ, ἐν οἷς τάττοιντο καὶ οἱ Προφῆται. *Initio quidem viri fuerunt, qui oracula pronunciarunt. Quod ipſum poeta* i) *ſignificare videtur, quando* Ὑποφήτας *eos nuncupat, quorum nomine Prophetæ etiam comprehenduntur.*

ſ. VI.

Superſunt *Divinorum* genera, e. c. οἰωνισαὶ, ὀνειρομάντεις, ſive ὀνειροκρῖται, ἱεροσκόποι, πυρομάντεις, κληρομάντεις, νεκρομάντεις, κοσκινομάντεις, ὑδρομάντεις, pluraque alia, Polluci k) ex parte recenſita. Sed de his quidem aptior dicendi locus erit, cum de *divinatione* exponetur: quod parte fiet ſequenti.

h) *Geograph.* l. VII. p. 506.
i) Homerus l. c.
k) In *Onomaſt.* l. VII. c. XXXIII. ſegm. 188.

PARS

PARS III.

DE
REBVS RITIBVSQVE SACRIS.

CAPVT I.
DE SACRIFICIIS.

§. I.

IN rebus cærimoniisque ſacris primas facile tenent *Sacrificia*, cum ſuis ritibus. Intelligimus vero per *ſacrificia* munera, eo conſilio ſive Diis, ſive Heroibus aut Dæmonibus conſecrata, & vel altari, vel loco hujus generis alii impoſita, ut pro cibo quaſi potuque Diis cet. eſſent, a) ac ſimul vel veneratio ſolum at- *Sacrificia quid, & eorum nomina.*

a) Deos ex ſacrificiis alimenta capere, aperte profitetur Prometheus apud Ariſtophanem in *Avibus*, v. 1513.

Απόλωλεν ὁ Ζεὺς,
Εξ ὅπερ ὑμεῖς ᾠκίσατε τὸν ἀέρα.
Θύει γαρ ὀδεὶς ὀδὲν ἀνθρώπων ἔτι
Θεοῖσιν· ὀδὲ κνίσσα μηρίων ἄπο
Ἀνῆλθεν ὡς ἡμᾶς ἀπ᾽ ἐκείνȣ τȣ̃ χρόνȣ·

Αλλ'

atque reverentia hominum teſtata eis-

'Αλλ' ὥσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν
Ἄνευ θυηλῶν· οἱ δὲ Βάρβαροι Θεοὶ,
Πεινῶντες ὥσπερ Ιλλυριοὶ κεκριγότες
Επιστρατεύσειν φάσ' ἄνωθεν τῷ Διὶ,
Ει μὴ παρέξει τὰ 'μπόρι' ἀνεῳγμένα,
Ἵν' εἰσάγοιντο σπλάγχνα κατατετμημένα.
Periit Jupiter,
Ex quo vos (Aves) *in aërem habitatum migraſtis.*
Hominum enim nemo quidquam nunc ſacrificat
Diis: neque nidor a victimarum femoribus
Aſcendit ad nos ab eo usque tempore;
Sed ſicuti in Theſmophoriis jejunium agimus
Abſque ſacrificiis. Barbari vero Dii
Eſurientes, tanquam Illyrii, dentibus præ fame ſtrident,
Seque dicunt expeditionem eſſe ſuſcepturos adverſus Jovem,
Ni emporia efficiat libera & aperta,
Ut importent exta conciſa.

Indicat illud ipſum, ac more ſuo ſimul ridet, Lucianus quoque, de *Sacrif.* T. Opp. I. p. 366. Οἱ δὲ Θεοὶ, παρ Ζηνὶ καθήμενοι, ἀποσκοπȣ̃σιν ἐς τὴν γῆν, καὶ πάντη περιβλέπȣσιν ἐπικύπτοντες, ἔιποθεν ὄψονται πῦρ ἀναπτόμενον, ἢ ἀναφερομένην κνίσσαν, ἑλισσομένην περὶ καπνῷ. Κᾂν μὲν θύῃ τις, εὐωχȣ̃νται πάντες ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ, καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον. *At vero Dii Jovi aſſidentes in terram deſpiciunt, & inclinato capite quoquoverſum circumſpectant, ſicun-*

eiſdem fieret, vel gratia ſimul pro acceptis beneficiis referretur, vel irati delinirentur, faventes propitiique; & ad beneficia impertienda faciles redderentur. Nomina uſitatiora hæc ſunt: *δῶρον, ἱερὸν, ἱερεῖον, θυσία, ἱερουργία.* Sacrificandi vero actus verbis formulisque denotari ſolet hiſce, *θύειν, θυσίας προσφέρειν*, vel *ἀναφέρειν, ἱερεύειν, ἱεροποιεῖν, ὀργιάζειν, ῥέζειν, ἔρδειν, δρᾶν.* Verba poſtrema *facere* ſignificant generatim; adhibentur vero ſpeciatim de iis, qui *rem faciunt ſacram*, adeoque opera defunguntur eximia maximeque laudabili.

ſicunde ſubvolantem ignem videant, aut ſurgentem nidorem, circaque fumum ſeſe rotantem. Ac ſi quis forte ſacrum faciat, epulantur omnes, *inhiantes fumo, ac, muſcarum in morem, affuſum aris ſanguinem* bibentes. Idem in *Icaromenippo*, T. Opp. II. p. 207. Μάλιστα δὲ ἥδονται, σιτούμενοι τὸν ἐκ τῶν θυσιῶν καπνὸν αὐτῇ κνίσσῃ ἀνηνεγμένον. Καὶ τὸ αἷμα δὲ τῶν ἱερείων, ὃ τοῖς βωμοῖς οἱ θύοντες περιχέουσι. *Præcipue vero gaudent Dii* veſci *ſacrificiorum fumo, cum ipſo nidore ſubvecto: & ſanguine victimarum, quem ſacrificantes aris circumfundunt.* Hinc eſt, quod Junonem Αἰγοφάγον, *capras comedentem* cognominarunt Lacedæmonii, quia *capras* ei immolabant. Pauſan. in *Lacon.* c. XV. p. 246.

§. II.

Sacrificiorum origo.

De eo, qui primus ſacrificia Graecorum in regione obtulit, non facile in conſenſum redigas auctores. Nam aliquos Phoroneo, Meropi alios, b) alios Chironi, c) rurſus alios Meliſſeo, Cretenſium regi, d) alios denique Pelasgis e) id tribuere videas. Quicunque vero fuerint primi ſacrificiorum auctores, illud ſaltem certum videtur, natam ſacrificandi conſuetudinem ſimul cum illa mortalium opinione eſſe, qua Dii alimentorum, quibus vita humana indiget, datores exiſtimati ſunt largitoresque. Moris idcirco fuit perpetui, ut ſacrificia iis potiſſimum ex rebus ſumerentur, quibus veſci ſoliti homines.

§. III.

Antiquiſſima ſacrificia qualia fuerint.

Itaque ex herbis, frugibus terrae aliis arborumque fructibus, cibus priſcorum hominum quum conſtiterit; ſacrificia etiam antiquiſſima iis ex re-

b) Clem. Alex. in *Admon. ad gentes*, p. 28.
c) Idem *Strom.* l. I. p. 306.
d) *Lactant.* l. I. c. 22.
e) Herodot. l. II. c. 51. ſqq.

rebus fuere apparata. Ac lege etiam ſanxit Triptolemus, legislator Athenienſium vetuſtiſſimus, Θεὺς καρποῖς ἀγάλλειν. *Venerandos eſſe Deos frugibus fructibusque.* Cujus legis memoriam Porphyrius nobis ſervavit. f) Idem ſcriptor de antiqua ſacrificiorum ratione alibi g) præclare diſſerit: quare juverit eum audire. Ὀυ τύτων, inquit, ἔθυον πρότερον, ἀλλὰ χλόης, οἷον εἴ τινα τῆς γονίμυ φύσεως χνῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. καὶ πόας δρεπόμενοι, φύλλα καὶ ῥίζας, καὶ τὺς ὅλυς τῆς φύσεως αὐτῶν βλαςὺς κατέκαιον. *Non hæc* (myrrham, caſiam atque thus, croco mixta) *pro ſacrificiis obtulere* antiqui, *ſed herbam virentem, quaſi aliquam naturæ fertilis lanuginem manibus colligentes. Ac herbam evellentes, folia & radices, ac tota naturæ illorum germina igni mandarunt.* Et aliquanto poſt: h) Μετὰ τῆς ἐξ ἀρχῆς πόας δενδροφυύσης ἤδη τῆς γῆς, καὶ πρώτης δρυὸς καρποφαγήσαντες, τῆς μὲν τροφῆς διὰ σπάνιν μικρά· τῶν δὲ

f) De *abſtinent* l. IV. p. 431.
g) Lib. II. p. 125. ſq.
h) Pag. 127.

φύλλων αὐτοῖς πλέιω τοῖς Θεοῖς ἐις τὰς θυσίας ἀνῆπτον· Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ βίος ἐπὶ τὴν ἥμερον ἤδη τροφὴν μεταβάινων, καὶ θύματα ἐκ τῶν καρύων, ἄλις δρυὸς ἔφη· Τοῦ δὲ δημητρέιου καρποῦ, μετὰ τὴν χέδροπα, πρώτου φανέντος κριθῶν, ταύταις ἀπ᾽ ἀρχῆς μὲν οὐλοχυτεῖτο τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. ὕστερον δὲ ἐρειξαμένων τε αὐτὰς, καὶ τὴν τροφὴν ψαισαμένων, - - - - ἀπήρξαντό τε τῆς ψαισθέισης τροφῆς πρῶτον ἐις πῦρ τοῖς Θεοῖς. Ὅθεν ἔτι καὶ νῦν πρὸς τῷ τέλει τῶν θυηλῶν, ταῖς ψαισθεῖσι θυλήμασι χρώμεθα, μαρτυροῦντες μὲν τῷ πραττομένῳ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν θυμιαμάτων ἄυξησιν, οὐ συνορῶντες δὲ τίνων χάριν τούτων ἕκαστα δρῶμεν. ἀφ᾽ ὧν ὁρμωμένοις ἡμῖν, καὶ τῶν καρπῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν πυρῶν ἀφθονωτέρων γιγνομένων, προσετίθεντο πελάνων ἤδη, καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων ἀπαρχαὶ τοῖς Θεοῖς ἐις τὰς θυσίας πολλὰ μὲν ἀνθολογούντων, οὐκ ἐλάττω δὲ τούτων μιγνύντων τότε, ἔι τι καλὸν εἶχον ἐν τῷ βίῳ, καὶ πρέπον ὀσμῇ πρὸς θέιαν ἄισθησιν· καὶ τὰ μὲν στέφοντες, τὰ δ᾽ ἐις πῦρ δωρούμενοι θέιας ἑτέρας σταγόνας ὄινου καὶ μέλιτος· ἔτι δ᾽ ἐλάιου ταῖς χρέιαις ἀνευρίσκοντες, ἀπήρχοντο καὶ τούτων τοῖς αἰτίοις Θεοῖς.

Cum

Google

Cum poſt herbam arbores etiam produxiſſet terra, quercuumque fructu primum veſci cœpiſſent homines, e victu quidem ſuo, propter raritatem, parum, ſed ex foliis frondibusque eo plura, pro ſacrificiis Diis adolebant. Poſteaquam vero ad mitiorem jam victum vita tranſiiſſet, nuces obtulerunt, dicentes: Satis eſt glandium. *Deinde quum ex frugibus terræ, poſt legumina, primum apparuiſſet hordeum, hoc quidem crudum initio ſacrificiis genus humanum adhibuit. Poſtremo quum ſaxo illud fregiſſent, comminutumque ad faciliorem victum ſubegiſſent, - - - - ex hoc alimenti genere primitias Diis in ignem porricere inſtituerunt. Qua de cauſſa etiam nunc ſub finem* (vel, *ad conſummationem*) *ſacrificiorum farina utimur, vino oleoque mixta & ſubacta, teſtatum hoc ipſo facientes, quis ſuffimentorum ab initio fuerit progreſſus, quamvis, cujus rei gratia ſingula hæc faciamus, vulgo non conſideremus. His tandem derelictis, quum fructus & frumentum majori copia ſuppeterent, adjectæ ſunt primitiæ ex libis quæ* πέλανοι *di-*

 cun-

cuntur, & ex genere placentarum reliquo omni, Diis in ſacrificia. Tum floribus etiam collectis, admixtiſque ſi quas res jucundas in vita alias haberent, & odore ſuaves, ad ſenſum divinum afficiendum, illis quidem ad coronas uſi ſunt ſacras, has vero igni tradiderunt, puta guttas divinas vini & mellis, nec minus oleum, poſtquam uſibus illud humanis repertum eſſet, Diisque obtulerunt, tanquam bonorum illorum auctoribus. De hordeo quod habet Porphyrius, Diis pro ſacrificio olim exhibito, Dionyſius etiam Halicarnaſſeus, i) & Plutarchus k) confirmant. Nonnullis tamen hordei loco, genus frumenti præſtantius adhibere placuit, videl. triticum, poſtquam illud quoque inventum eſſet. Sane enim Eleos, rem ſacram priſco ritu facientes, πυρὺς μεμαγμένυς μέλιτι θυμιᾷν ἐπὶ τῶν βωμῶν, *triticum melle ſubactum in aris adolere*

i) *Antiqu. Rom.* l. II. p. 95.

k) In *quæſt. Gr.* p. 292. Locum jam attulimus p. 277.

lere ait Pauſanias. l) De farina vero Ovidius quoque teſtatur: m)

Ante Deos homini quod conciliare
valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

§. IV.

Sacrificia ex animalibus qua ætate fieri inter Græcos cœperint, minus exploratum quidem eſt; at antiquiſſima tamen eſſe inde patet, quod Homerus, de Heroicorum temporum moribus ritibusque exponens, paſſim illa commemorat. Euſebius n) Cecropem affirmat πρῶτον βῦν θῦσαι, *primum bovem immolaſſe*: ſed fidem potius meretur Pauſanias, qui eundem Athenienſium regem quidquam vita præditum ſacrificaſſe, diſerte negat. o) Præterea ex lege quadam Draconis, quæ Deos fructuum primitiis libiſque venerari jubet, p) non male quis colligat, ante illius le- *Sacrificiorum ex animalibus origo.*

X 5 gis

l) *Eliac. priori*, c. XV. p. 415.
m) *Faſt.* l. I. v. 337.
n) In *Chron.* p. 361.
o) In *Arcad.* c. II. p. 600.
p) Apud Porphyr. de *abſtinent.* in fine l. IV.

giſlatoris ætatem uſum ſacrificiorum cruentorum apud Athenienſes vel prorſus non obtinuiſſe, vel certe non admodum frequentem extitiſſe. Aſſentiendum vero puto Porphyrio q) exiſtimanti, orta ſacrificia cruenta ex eo eſſe, quod fame compulſi homines, adéoque neceſſitate quadam adacti, animalia necare carnibusque veſci inſtituerunt. Hoc ſcilicet facto Diis quoque litandum cenſuere animalibus, ex quibus cibum ſibi ipſi pararent. Vtrumque illud male apud Ovidium habet Pythagoram, quippe cædem animalium, κρεοφαγίαν, & ſacrificia ex animatis vehementer peroſum. Hinc indignabundus inter cetera ait: r)

Nec ſatis eſt, quod tale nefas s) *committitur: ipſos*
Inſcripſere Deos ſceleri: numenque ſupernum
Cæde

q) Lib. cit. l. II. p. 134. 136. ſq. Cf. Plutarchum *Sympoſ.* l. VIII p. 730.

r) *Metamorph.* l. XV. v. 127.

s) Quo dapes corporeæ cupidam demerguntur in alvum, uti antea queſtus fuerat, v. 105.

Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci. cet.

§. V.

Ex omnibus autem animalibus Sus primo immolata. ſus fertur prima eſſe immolata, atque hanc pœnam tuliſſe noxæ, quam frugibus intuliſſet. Varro: t) *Sus Græce dicitur ὗς, olim thyſus dictus, ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod eſt immolare. Ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumtum videtur*, cet. Confidentius etiam affirmat Ovidius, ex perſona Pythagoræ: u)

Longius inde nefas abiit: & prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori: *quia ſemina pando*
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

Idem alibi: x)

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Vlta ſuas merita cæde nocentis opes.

Nam

t) De *re ruſt.* l. II. c. 4.
u) *Metamorph.* l. XV. v. 111.
x) *Faſt.* l. I. v. 349.

Nam ſata vere novo teneris lactentia ſulcis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Atque hinc fortaſſe reddi poſſit ratio, quare Lacedæmonii, quos inter Græcos omnes antiquiſſimorum inſtitutorum maxime tenaces fuiſſe conſtat, ſuillo genere in re ſacra facienda uſi ſint plurimum; adeo, ut regi etiam ſuo de omnium ſcrofarum partu porcum unum lege aſſignaverint, ne ſcilicet victimis ille careret unquam, præſertim ſi qua in re Dii eſſent conſulendi. y)

§. VI.

Genera animal. ad ſacrif. adhibit. alia.

Tempore ſuccedente varia etiam alia animalium genera ad ſacrificia fuere adhibita. Suidas, z) præter ſuillum, quinque hæc recenſet: *bovillum, caprinum, ovillum, anſerinum & gallinaceum.* Quibus addi poſſunt *equinum, cervinum, caninum, columbinum*, & nonnulla alia, ac in his quoque illud *piſcium.* Negat quidem apud

y) Xenoph. de *Republ. Lacedæm.* ſub finem, p. m. 690.

z) In *Lex.* voc. βῦς & θυσία.

pud Plutarchum a) Syllas, piſces ſacrificari. Ἰχθύων δὲ, inquit, θύσιμος ὀυδεὶς, ὀυδὲ ἱερεύσιμός ἐστιν. *Piſcium nullus immolatur, nullus rei ſacræ faciendæ inſervit.* Sed inſerviiſſe utique nonnullis in regionibus locisque, liquet clariſſime ex Athenæo, apud quem b) Agatarchides tradit, Bœotos anguillas Copaïdas (ex lacu Copaïde) inuſitatæ magnitudinis hoſtiarum modo coronare, aſperſaque mola cum precibus Diis immolare, ac cum peregrinus quispiam, genus ſacrorum inſolitum miratus, cur id fieret ſciſcitaretur, Bœotios aliud nihil potuiſſe reſpondere, quam ſervanda eſſe majorum inſtituta, nec decere ſe rationem conſuetudinis patriæ reddere aliis. Addit Athenæus, mirum eſſe non debere, ſi victimarum inſtar anguillæ ſacrificentur, cum Antigonus Caryſtius libro *de dictione* ſcribat, piſcatores, quo tempore thynnos piſcantur, poſt felicem retium jactum ſacrum Neptuno peragere, immolato eidem thynno aliquo capto, ac vocari

cari

a) *Sympoſ.* l. VIII. p. 729.
b) *Dipnoſoph.* l. VII. p. 297.

cari ſacrificium illud *Thynnæum.* Idem Athenæus c) de Sarpedone, Demetrii duce narrat, eum quum hoſtem ſuum, Tryphonem Apamenſem, a quo victus fuerat, fluctibus maris exundantis in ora maritima obrutum eſſe audiviſſet, reverſum ad locum, magnam piſcium, quos mare in alveum ſuum recedens in terra reliquerat, copiam Neptuno ſacrificaſſe averſori. Theocritus quoque d) piſcatoribus multum conducere ait ad jactum felicem, ſi piſcem immolent Λευκὸν dictum.

§. VII.

Præſtantiſſ. ſacrificium ex bove. Sacrificium maxime excellens illud habebatur, quod ex bove fieret. *Hinc*, inquit Plinius, e) (ex tauris) *victimæ optimæ & laudatiſſima Deorum placatio.* Hinc Verbum βουθυτεῖν, quod de iis proprie dicitur, qui *bovem immolant*, ut mos erat locupletiorum, de iis uſurpatum fuit generanera-

c) Lib. VIII. p. 333.
d) In fragm. *Berenices*, apud Joſ. Scaligerum in *Emendat. ad Theocr.* cet. p. 28.
e) *Hiſt. nat.* l. VIII. c. 45.

neratim, qui ſacrificium aliquod facerent eximium atque ſumtuoſum, licet ex genere illud victimarum alio conſtaret; e.c. e ſuibus, hircis, arietibus. Hoc ſenſu uſus verbo eſt Ariſtophanes in ſermone, quem Carioni tribuit ſervo: f)

Καὶ νῦν ὁ δεσπότης μὲν ἔνδον βȣθυτεῖ
Ὗν, καὶ τράγον, καὶ κριὸν ἐςεφανωμένος.

At herus intus nunc immolat
Suem, hircum & arietem coronatus.

Parci tamen ſolebat ſive ex lege, ſive antiqua conſuetudine, bovi aratori, vel plauſtrum trahenti. Aelianus: g) Καὶ τȣ̃το δὲ ἦν φυλαττόμενον παρ' αὐτοῖς. Βȣ̃ν ἀρότην, καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τȣ̃τον θύειν, ὅτι καὶ ȣ̃τος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Sed & hoc ſervabatur apud ipſos* (Athenienſes): *Bovem aratorem, & qui ſub jugo laborat cum aratro, vel etiam cum plauſtro, ne mactent,* quo-

f) In *Pluto*, v. 820. Act. IV, ſcena I, quæ tota Carionis oratione abſolvitur.

g) *Hiſt. var.* l. v, c. 14.

quoniam etiam ille eſt agricola, & humani generis laborum ſocius. Et Varro h) a bove, *ſocio hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſtro, antiquos manus ita abſtineri voluiſſe* ait, *ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet.* Sed non fuit tamen id perpetuum, vel apud omnes receptum. Sane enim Lindii, in Rhodo inſula, βοῦν ἀρότην, i) *bovem aratorem* Herculi, & Thebani *boves laborantes* Apollini, quem Πολιὸν, *Canum* vocabant, immolare conſueverunt. De Thebanis afferri huc merentur quæ refert Pauſanias: k) Τῷ δὲ Ἀπόλλωνι Θηβαῖοι τῷ πολιῷ ταύρους ἔθυον τὸ ἀρχαῖον. καί ποτε παρούσης σφίσι τῆς ἑορτῆς, ἥ τε ὥρα κατήπειγε τῆς θυσίας, καὶ οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὸν ταῦρον, οὐχ ἧκον. οὕτω παρατυχούσης ἁμάξης, τὸν ἕτερον τῶν βοῶν τῷ Θεῷ θύουσι, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου ἐργάτας βοῦς θύειν νομίζουσι. *Apollini Cano tauros priſcis temporibus immolabant Thebani. Quum vero aliquando accidiſſet, ut*

h) De *re ruſt.* l. II. c. 5. cf. Plin. *hiſt. nat.* VIII. c. 45.
i) Philoſtratus *Icon.* l. II. n. XXIV. p. 850.
k) In *Bœot.* c. XII. ſtatim in princ.

ut ſtato feſtoque die hoſtiam cædendi tempus inſtaret, qui vero ut taurum adducerent miſſi fuerant, non veniſſent, de plauſtro prætereunte bovem alterum arreptum mactarunt. Atque ex eo tempore boves immolare ſolent laborantes. Conqueritur etiam hac de re Pythagoras apud Ovidium: l)

Inſcripſere Deos ſceleri: numenque ſupernum
Cæde laboriferi *credunt gaudere* juvenci cet.

Quin & Lucianus eodem de more ſic loquitur, ut qui ſit pervulgatus: m) Προσάγουσι τὰς θυσίας· βοῦν μὲν ἀροτῆρα ὁ γεωργὸς, ἄρνα δὲ ὁ ποιμὴν, καὶ αἶγα ὁ αἰπόλος. *Victimas adducunt*: bovem aratorem *agricola*, *agnum opilio*, *capram caprarius.* At ſuadet tamen nihilo ſecius ratio aliqua, ut boves nullo adhuc preſſos jugo delectos ad ſacrificia fuiſſe crebrius, quam alios, credamus. Nam & pinguior & tenerior illorum eſſe quum ſoleat caro; habita procul dubio fuit Diis gratior.

l) *Metamorph.* l. XV, v. 128.
m) De *ſacrif.* T. Opp. l. p. 368.

§. VIII.

Victima cuivis Numini propria.

Neque vero hoſtiam cuivis Deo quamvis immolari fas erat, ſed quæ dicata peculiariter eſſet ſingulis. *Singulis enim Numinibus*, ut ait Servius, n) *certa erant dona* (certæ victimæ) *quæ offerrentur*, nec credebantur Dii, *hoſtia*, quam Plinius vocat, o) *aliena placari.* Sic Jovi οὐ πάντα ἐθύετο, *non omnia ſacrificabantur*, p) ſed νομικὸν ἦν αἶγα Διὶ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα, *lege conſtitutum erat, ut capra eidem, non oves immolarentur.* q) Reperimus tamen tauro quoque & juvenco litatum eſſe Jovi. r) Minervæ contra capram non offerebant Athenienſes. Athenæus: s) Θαλλῷ χαίρουσιν αἱ αἶγες, διό-

n) Ad Virgil. *Aen.* IX. v. 625. Virgilius ibi dona illa *ſolennia* vocat.

o) *Hiſt. nat.* l. VIII. c. 45.

p) Ariſtot. *Ethic.* l. IX. c. 2.

q) Idem *Eth.* l. V. c. 10. Adducimus verba ex emendat. Mureti, *Var. lect.* l. VIII, c. 13.

r) Apud Virgil. *Aen.* l. III, v. 21. ubi Æneas ait:

Cælicolum regi mactabam in littore taurum.

Et *Æn.* l, IX. v. 627. ubi Aſcanius dicit:

Et ſtatuam ante aras (Jovis) *aurata fronde juvencum.*

Cf. Hom. *Il.* II. v. 403.

s) *Dipnoſoph.* l. XIII, p. 587.

διόπερ οὐδ᾽ εἰς ἀκρόπολιν ἄνεισι το ζῶον, οὐδ᾽ ὅλως Ἀθηνᾷ θύεται. *Oleæ frondibus libenter veſcuntur capræ: quamobrem Athenis in arcem nec aſcendit hoc animal, nec immolatur Minervæ.* Offerebant vero tauros atque agnos; t) juvencas item, easque anniculas & injuges. u) Junonem Lacedæmonii capris venerabantur. x) Neptuno res ſacra e tauris fiebat, ariete & verre; y) apud Argivos etiam ex equo frenato, in Dinen lacum demiſſo: z) Apollini pariter e tauris, nec non ex agnis & capris: a) Mercurio ex agnis & hoedis: b) Cereri ex ſue: c) Baccho ex capro: d) Dianæ ex juvencis, e) cervis, apris, capreis, luporum & urſorum catulis: f) Hecatæ, certe apud Colophonios, ex catulis

t) Hom. *Iliad.* II. v. 550.
u) *Odyſſ.* IV, 764.
x) Pauſan. in *Lacon.* c. XV. p. 246.
y) Hom. *Odyſſ.* XI. v. 129.
z) Pauſan. in *Arcad.* c. VII. p. 611.
a) Hom. *Il.* I. v. 41. 66.
b) Id. *Odyſſ.* XIX. v. 398.
c) Ovid. *Faſt.* l. I. v. 349.
d) Id. l. c. v. 354. ſqq.
e) Euripid. *Iphigen. in Aul.* v. 1113.
f) Pauſan. in *Ach.* c. XVIII. p. 570.

tulis caninis, quos Lacedæmoniorum ephebi in Ephebeo Marti etiam mactabant, Θεῶν ἀλκιμωτάτῳ κρίνοντες κατὰ γνώμην εἶναι τὸ ἀλκιμώτατον ζῶον τῶν ἡμέρων, *exiſtimantes, Deorum fortiſſimo victimam ex eo animalium genere acceptam eſſe, quod manſuetis omnibus fortitudine præſtaret.* g) Æſculapio ex gallo gallinaceo. h) Diis inferis, ſpeciatim Proſerpinæ, quippe, maritum licet haberet Plutonem, nunquam enixæ, ex vacca ſterili. i) Ac in univerſum id ſpectabatur, ut congruentes eſſent victimæ Deorum, quibus offerendæ eſſent, naturæ & officiis. Quarum rerum in colore etiam & ætate hoſtiarum habebatur ratio. Cœleſtibus enim Diis albæ; Terreſtribus vero, maximeque Inferis nigræ conſecrabantur pecudes. Ita nimirum fieri juſſerat oraculum Apollinis: k)

Φαιδρὰ μὲν Οὐρανίοις, Χθονίοις δ᾽ ἐναλίγκια χροιῇ.

Cæ-

g) Id. in *Lacon.* c. XIV. p. 243.
h) Plato in *Phædone*, in fine libri.
i) Hom. *Odyſſ.* XIV. v. 30. Virgil. *Æn.* VI. v. 251.
k) Apud Euſeb. de *Præpar. Evang.* l. IV. c. 9.

Cæleſtibus candidæ, Terreſtribus vero (ac ſimul *Subterraneis*) *colore ſimiles,*

i. e. nigræ, offerantur victimæ. Nempe, uti cœlo ſplendor, ita terræ locisque ſub ea nigror tribuebatur & caligo atra. Hinc Jovi ſeſe Æneas *taurum* mactaſſe ait *nitentem;* l) & Aſcanius eidem Deo *juvencum* pollicetur *candentem.* m) Mortuis contra Vlyſſes ὄϊν παμμέλαιναν, *ovem pernigram:* & Diis Inferis Æneas *nigrantes terga juvencos,* & *atri velleris agnam* dicuntur immolaſſe. n) Præclare hac de re Arnobius: o) *Quæ in coloribus ratio eſt, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque mactari* victimas? *Quia ſuperis Diis, inquit, atque omnium dexteritate pollentibus, color lætus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. At vero Diis lævis, ſedesque habitantibus inferas, color fur-*

l) Apud Virgil. *Æn.* l. III. v. 20. 21.
m) *Æn.* IX. v. 628. Cf. Æn. IV, 61.
n) Apud Homerum *Odyſſ.* XI. v. 32. 33. & Virgil. *Æn.* VI. v. 243. ſqq. Cf. *Æn.* V. v. 96. 735. 736. Plutarchum in *Lucullo* p. 597.
o) *Adv. gentes* l. VII. p. 225. Cf. ſi placet *Obſervat.* noſtras *philol.* p. VIII. Obſ. II. §. XIII.

vus eſt gratior, & triſtibus ſuffectus e fucis. Et poſt quædam interjecta: *Quæ cauſſa, quæ ratio eſt, ut tetræ inferis hoſtiæ nigerrimique admoveantur coloris? Quia nigra nigris conveniunt, & triſtia conſimilibus grata ſunt.* Sacrificati tamen Neptuno quoque ταῦροι παμμέλανες, *tauri omnino nigri*, ad ſignificandam ſcilicet maris obſcuritatem. p) Ætatis ratione cura adhibebatur, ut certis quibusdam Diis, e. c. Jovi, Cereri, Junoni, Phœbo, Baccho, hoſtiæ offerrentur ætate majores. Sic Jovi Agamemnon bovem immolavit πίονα πενταέτηρον, *pinguem, quinquennem.* q) Dido ejusque ſoror r)

mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque patrique Lyæo;
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Vbi

p) Homerus *Odyſſ.* III. v. 6. Cf. Everh. Feithii *Antiqu. Homer.* l. I. c. 9. & Jo. Phil. Pfeifferi *Antiqu. Gr.* l. I. c. 18. & 19.
q) Hom. *Il.* II. v. 403.
r) Virgil. *Æn.* IV. v. 57.

Vbi quidem *bidentes* oves ſunt bimæ. s)

§. IX.

Victimarum integritas.

Studioſe etiam & perquam ſolicite id agebatur, ut victimæ Diis exhiberentur integræ ac perfectæ, vitii omnis expertes, ſeu, ut Ovidius vocat, t) *labe carentes.* Plutarchus: u) Δεῖ τὸ θύσιμον τῷ τε σώματι καὶ τῇ ψυχῇ καθαρὸν εἶναι, καὶ ἀσινὲς, καὶ ἀδιάφθορον. *Oportet hoſtiam tum corpore tum anima puram eſſe, integram*, ſive *non læſam, incorruptam.* Atque re ipſa legem hanc obſervaſſe Græcos, tum ex Homero patet, qui αἰγῶν τελέιων, *caprarum perfectarum*, h. e. uti ſcholia explicant parva, ὁλοκλήρων, ἀσινῶν, μὴ λελωβημένων, ἀλλ' ὑγιέων, *integrarum, non læſarum, nec mutilarum, ſed ſanarum*, Apollini immolandarum, meminit; x) tum ex Ariſtotelis teſtimonio, qui in *Sympoſio* ſcripſit: Ὀυδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τὰς Θεὰς, ἀλ-

s) *Gloſſarium vetus*, p. 29. edit. Bonav. Vulcanii: *Bidentis*, διετὴς ὄϊς, *ovis bima.*
t) *Metamorph.* l. XV. v. 130.
u) De *orac. defectu* p. 437.
x) *Il.* I. v. 66.

ἀλλὰ τέλεια καὶ ὅλα. *Nihil mutilum Diis offerimus, ſed quæ perfecta ſunt atque integra.* y) Quæ autem vitia abeſſe a corpore victimarum oportuerit, luculenter docet Pollux: z) Τὰ δὲ προσακτέα θύσιμα ἱερεῖα, ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ· μὴ κολοβὰ, μὴ δὲ ἔμπηρα, μὴ δὲ ἠκρωτηριασμένα, μὴ δὲ διάστροφα. *Victimæ adducendæ integræ, non exſectæ, perfectæ, ſanæ, membro aliquo non captæ, ſed omnia & recta membra habentes; non mutilæ, nec membro captæ, neque cauda aut alia parte truncatæ, neque diſtortæ.* Vt vero cognoſcerent rem divinam facturi, an recte ſe haberet pecus aliqua, ſacrificio deſtinata, accurate eam explorabant, priusquam cæderent. Lucianus: a) Ἀλλ' οἵγε θύοντες στεφανώσαντες τὸ ζῶον, καὶ πολύ γε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς εἴη, ἵνα μὴ δὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι, προσάγουσι τῷ βωμῷ. *Jam vero ſacrificantes victimam coronatam,* quam

y) Apud Athen. *Dipnoſoph.* l. XV. p. 674.
z) In *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 26.
a) De *ſacrif.* T. Opp. I. p. 368.

quam multo ante, an perfecta ſit, explorarunt, ne quid ſcilicet jugulent, quod ad ſacrificia minus ſit idoneum, ad aram adducunt. In animæ vero conditionem inquirebant, vel farina aut ciceribus pecudi appoſitis, vel affuſa aqua frigida. Plutarchus: b) Τὴν δὲ ψυχὴν δοκιμάζουσι τοῖς μὲν ταύροις ἄλφιτα, τοῖς δὲ κάπροις ἐρεβίνθους παρατιθέντες· τὸ γὰρ μὴ γευσάμενον ὑγιαίνειν οὐκ οἴονται· τὴν δ᾽ αἶγα διελέγχειν τὸ ψυχρὸν ὕδωρ· οὐ γὰρ εἶναι ψυχῆς κατὰ φύσιν ἐχούσης τὸ πρὸς τὴν κατάσπεισιν ἀπαθὲς καὶ ἀκίνητον. *Animam explorant farinam tauris, ciceres ſuibus apponentes. Si enim non guſtent, non eſſe ſanos judicant. Capram argui, frigida affuſa, ſi non moveatur. Non enim eſſe animæ ſecundum naturam affectæ, non moveri, neque affici cum libamenta invergunt.* Facile autem intelligi poteſt ratio, quare non niſi integras victimas Diis immolandas judicaverint Græci. Nempe honorem hoc pacto Diis haberi crediderunt maximum: quorum cultus ſperni viſus

b) De *orac. defectu* p. 437.

eſſet, ſi pecudes vitio quodam minus utiles oblatæ eisdem fuiſſent, quaſi contenti eſſe iis deberent Dii, quæ homines aſpernarentur, imo faſtidirent. Quæ ratio divinum quoque Hebræorum legislatorem impulit, ut victimas ab Iſraelitis exigeret integras & perfectas, nulloque prorſus vitio laborantes. c)

§. X.

Sacrificia e victimis pluribus facta. Hecatombe.

Interdum unius ſacrificii cauſſa hoſtiæ plures ſimul jugulabantur. Athenis certe uſitata erat Τριττὺς, e victimis conſtans tribus, nominatim ex ſue, hirco & ariete, vel & ex duabus ovibus & uno bove, interdum ex bove, capra & ove, aut ex capra hirco & tauro. d) Magnificentius etiam erat ſacrificium e pecudibus duodecim, δωδεκηΐς dictum. e) Sed omnium ſplendidiſſimum, quod Ἑκατόμβη vocabatur, in ſupplicationibus

c) Levit. XXII, 20. Juvabit Clerici ad illum locum conſulere *commentar.*

d) Suidas, voce τριττύς. Scboliaſtes Ariſtoph. ad *Plutum*, v. 820. ubi hujus ſacrificii exemplum extat. Euſtath. ad *Iliad.* I. & IV. & ad *Odyſſ.* XI. p. 423. ed. Baſil.

e) Suidas l. c.

bus potiſſimum, quibus de victoria ab hoſtibus reportata, vel de beneficio inſigni alio, gratias agebant Diis, feſtisque ſolennioribus aliis fieri ſolitum. Appellatum ſic volunt grammatici, quod ad illud ἑκατὸν βόες, *boves* requirerentur *centum*: quanquam neceſſe prorſus non fuit, ut ex meris conſtaret bubus; poterant enim, præter boves, alius etiam generis pecora, e. c. oves cum agnis, capræ cet. ad illud adhiberi. f) Occaſionem & originem huic ſacrificio dediſſe videtur numerus urbium, quæ in Laconica olim fuerunt, centenarius. Quarum ſingulæ ſi ad ſacrificium aliquod ſolenne, pro totius regionis ſalute atque incolumitate faciendum, ſingulas contulere victimas, extitit ſane hinc hecatombe. Atque hoc non obſcure indicat Strabo, g) quando τὸ δὲ παλαιὸν, inquit, ἑκατόμπολιν φασὶ τὴν Λακωνικὴν καλεῖσθαι. καὶ τὰ ἑκατόμβοια διὰ τοῦτο θύεσθαι παρ᾽ αὐτοῖς κατ᾽ ἔτος. *Antiquitus Laconicam centum ur-*

---

f) *Etymolog. magnum* p. 320. Heſych. v. Ἑκατόμβη.
g) *Geograph.* l. VIII, p. 557.

urbium regionem nominatam fuiſſe perhibent: ideoque *centum bobus quotannis ibi fuiſſe ſacrificatum.* Vſurpata tamen ſæpenumero ἑκατόμβης vox fuit de ſacrificio quocunque ex hoſtiis pluribus, licet multo paucioribus quam centum, apparato, atque ſumtuoſo. h)

§. XI.

Victimarum humanarum immolatio. Hoſtiis Deos placare humanis etſi barbaris uſitatum fuit magis, quam Græcis; non deſunt tamen inter Græcos ritus immanis exempla. Sic Iphigeniam filiam immolandam tradere coactus fuit Agamemnon. Jones, quum Achajam in Peloponneſo adhuc tenerent, Dianæ quotannis virginem atque puerum, qui forma erant præſtantiſſima, oraculi juſſu mactarunt ad adventum usque Eurypyli, ex bello Trojano reducis. i) Corinthii, oraculo itidem moniti, liberorum ſuorum aliquos ſacrificarunt, ut cædem expiarent, quam in Me-

h) V. Heſych. l. c. & Cf. Feithii *Antiqu. Hom.* l. I. c. 9. & Pfeifferi *Antiqu. Gr.* l. I. c. 20.
i) Pauſan. in *Ach.* c. XIX. p. 571.

Medeæ filiis commiſerant. k) Lycaon, Arcadiæ rex, ad Jovis Lycæi aram infante jugulato, ſanguinem libavit humanum. l) Et de Leo quodam ſupra jam m) accepimus, quod, famis depellendæ cauſſa, filias ſuas ſacrificandas dederit. De Themiſtocle Plutarchus prodidit, n) quod Perſas captivos tres, regii quidem generis, Baccho immolari paſſus ſit. Exempla ἀνθρωποθυσίας complura alia Porphyrius commemorat, o) ex Phylarcho ſimul referens, κοινῶς πάντας τοὺς Ἕλληνας, πρὶν ἐπὶ πολεμίους ἐξιέναι ἀνθρωποκτονεῖν. *Græcos communiter omnes, priusquam in bellum proficiſcantur, victimas cædere humanas.* In quo tamen haud ſcio, an credi tuto poſſit Phylarcho, quem præter nemo, quantum memini, idem eſt teſtatus. Attribuenda vero puto ſacra illa inhumana p) tum cauſſis aliis, tum præ-

k) Id. in *Corinth.* c. III. p. 118.
l) Id. in *Arcad.* c. II. p. 600.
m) P. I. c. VI. §. XVIII.
n) In vita *Themiſt.* p. 119.
o) De *abſtinent.* l. II. p. 221-226.
p) De quibus plura legi poſſunt apud Jac. Geuſiuin

præſertim odio, quo adverſus certos quosdam civitatis ſuæ homines flagrarent religionis antiſtites: qui quum alia ratione ſatisfacere nequirent odio ſuo, aut vindictæ cupiditati, ad ſacrificium depoſcerunt vel eos ipſos, vel liberos ſaltem eorum, quos e medio ſublatos, vel graviſſime certe afflictos cuperent, Numinum prætexentes voluntatem.

§. XII.

Mola ſalſa.

Ad ſacrificiorum materiam, de qua expoſitum eſt hactenus, *molæ* etiam pertinent atque *liba*, *thus* item ac *libamina*. *Mola*, quam ὀλὰς, & ὀλοχύτας appellat Homerus paſſim, far erat ex hordeo toſto, quod poſtquam ſale permixtum eſſet, inter cornua victimæ, in tergus ejusdem, in partes hoſtiæ jam diſſectæ adolendas, nec non ſuper altare ſpargebatur; in memoriam quidem tum frugum antiquiſſimarum, quas hordeum eſſe ajebant Græci, tum quoque ſacrificiorum priſco-

ſium iu libro de *Victimis humanis*, ſcriptoresque alios, Jo. Alb. Fabricio in *Bibliographia antiquar.* p. 349. ſqq. laudatos.

ſcorum, quæ ex ſolis conſtiterant frugibus: ſicuti ſupra jam, §. III. obſervavimus. Latini *molam ſalſam* dixere, & *fruges ſalſas.* Priori appellatione Plautus uſus eſt, q) uſus etiam eſt Plinius, r) ſimul teſtatus, *ſacra ſine mola ſalſa confici nulla*: Poſteriori Virgilius in illo: s)

Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari.
Et ſalſæ fruges.

§. XIII.

Præterea varii etiam generis *liba*, & *placentæ* (πέπανα, πέμματα, πέλανοι) Diis offerebantur, altari, vel menſæ ſacræ impoſita. Ariſtophanes: t) *Liba.*

Ἐπεὶ δὲ βωμῷ πέπανα καὶ προθύματα
Καθωσιώθη, πέλανος Ἡφαίςου φλογί.

Poſtquam aræ placentæ, & ſacrificiorum præludia
Es-

q) In *Amphitr.* Act. II. ſc. II. v. 108.
r) *Hiſt. nat.* l. XXXI. c. 7.
s) *Æn.* l. II. v. 132.
t) In *Pluto*, v. 660. Cf. verſum 680. & Partem harum *antiqu.* I. c. VII. §. XXII. Προθύματα h. l. *farinam molitam* ſignificare videntur Lud. Kuſtero. Πόπανα fuiſſe dicuntur *placentulæ latæ, tenues & rotundæ.* V. *Notas* Car. Girardi.

Eſſent conſecrata (impoſita), illudque *libi* genus, quod πέλανος dicitur, *Vulcani flammæ traditum.*

Idem: u)

Κᾆτ' ἔξελε
Τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν Θεαῖν.

Deinde exime
Placentam, ut eam ſumtam ambabus libem Deabus.

Vſum τῶν πελάνων in ſacris apud Athenienſes inſtituit Cecrops. Pauſanias: x) Πέμματα ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσι ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. *Liba patria, quæ Pelanos etiamnum vocant Attici, ut ad aram porricerentur, ſanxit.* Creduntur vero Pelani panes fuiſſe e παιπάλη, ſive parte ſubtiliſſima & *flore farinæ* parati, at viliores tamen. y) Vſitata etiam in ſacrificiis placenta erat cornuta, ad ſpeciem lunæ primum apparentis efformata, quam βοῦν

u) In *Thesmophor.* v. 291.
x) In *Arcad.* c. II. p. 600.
y) V. Car. Girardi *Notas* ad *Plutum Ariſtoph.* v. 661.

βȣ̃ν ἕβδομον, *bovem* appellabant *ſeptimum;* ac *bovem* quidem, quod cornua haberet, inſtar bovis; *ſeptimum* vero, quod adhiberi ſoleret poſt placentas ſex, σελήνας, *lunas* dictas, quæ placentæ erant latæ & orbiculatæ. z) Attici hordeum, ad molas ſalſas, & ad liba ſacrificalia adhibendum quod eſſet, ex campo demetere ſolebant Rhario, quod in eo primæ adoleviſſe ferebantur fruges. a) Ceterum quibus cenſus erat tenuior, quam ut hoſtiam aliquam comparare poſſent, ſatisfeciſſe putabantur officio, quo ad rem ſacram faciendam obſtricti erant, ſi liba placentasque, ſimul cum mola ſalſa, obtuliſſent. Hinc Chremylus apud Ariſtophanem, cum pauper adhuc eſſet, præter πόπανα & πελάνȣς, aræ nihil imponit. b)

§. XIV.

Suffitus ex thure & ſtyrace.

Vt odor ille gravis, qui ex carne recenti, & ex farina oleo ſubacta, dum

z) Suidas vocibus βȣ̃ς ἕβδομος.

a) Pauſan. in *Att.* c. XXXVIII. p. 93. Vid. de campo Rhario P. I. c. I. §. XI.

b) In *Pluto*, v. 660. 661.

dum cremantur, oriri ſolet, vel tolleretur prorſus, vel tolerabilis ſaltem redderetur adſtantibus, ac Diis etiam honos præſtari videretur major, adolebantur cum hoſtiarum partibus, & cum farina ac placentis, odoramenta ſimul varia, θύεα, vel θύη Homero dicta, præſertim vero thus. Priſci quidem Græci tum pro ipſis ſacrificiis, tum pro odoramentis, ſolis uſi ſunt herbis virentibus: quas qui Deorum in honorem cremaret, eum dicebant θύειν, uti ſuffitionem herbarum ipſam θυσίαν vocabant. Translatæ vero poſtea voces illæ ad ſacrificia ſunt cruenta. c) Succeſſere autem herbarum in locum ligna primum odorata, fruſtillatim conciſa, ac tandem thus, quod tribus digitis ex acerra acceptum in ignem conjiciebatur. Invaluit vero thuris uſus, poſt tempora demum Iliaca, ſi Plinio credimus, qui d) *unguenta*, inquit, *quis primus invenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec* thure ſupplicabatur. *Cedri tantum & citri*

c) Porphyr. de *abſtin.* l. II. p. 126.
d) *Hiſt. nat* l. XIII. c. I.

titri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant. Eandem in ſententiam de thure Arnobius etiam loquitur, qui *Neque temporibus*, ait, e) *quemadmodum creditur ac perhibetur, heroicis quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in libris poſita nulla ejus mentio reperitur*, cet. Deligebatur vero ad ſuffitum ſacrum thus præcipue illud, quod λιβανωτὸν ἄῤῥενα vocant Græci, *thus maſculum* Latini. Eximium hoc habebatur, ac proinde ad cultum Deorum magis aptum, quam genera reliqua. Alciphron: f) Καὶ γὰρ, ὡς ἔφη, καὶ κάθαρσίν τινα δεῖ προτελέσαι τὴν γυναῖκα, καὶ παρασκευάσαι τινὰ ζῶα ἱερεῦσαι· καὶ πέμματα σελήνης, καὶ ἄγρια φύλλα τῶν ἀνθρώπων (lege vel ἀνδραχνῶν, vel δρυῶν.) *Etenim, ut ajebat, & purgationem quandam oportet prius peragere mulierem, & parare quædam animalia ad ſacrificandum*, & thus

 mas-

e) *Adv. gentes* l. VII. p. 232.
f) *Epiſtol.* l. II. ep. IV. quæ Glyceræ eſt ad Menandrum, p. 256. ed. Bergler. Cf. Pfeifferi *Antiq. Gr.* l. I. c. 10.

maſculum, *& ſtyracem oblongum*, *& placentas Lunæ*, (de quibus §. præcedenti dictum eſt,) *& ſilveſtrium folia andrachnarum.* Deligebatur idem genus ad ſacra etiam magica. Hinc Pharmaceutria apud Virgilium ait: g)

Verbenasque adole pingues, & maſcula thura.

Thus vero maſculum quid ſit, Plinius explicat: h) *Quod ex eo* (thure) *rotunditate guttæ pependit*, maſculum *vocamus, cum alias fere non mas vocetur, ubi non ſit femina. Religioni tributum, ne ſexus alter uſurparetur. Maſculum aliqui patant a ſpecie teſtium dictum.* Ex loco Alciphronis modo allato ſimul intelligimus, præter thus *ſtyracem* quoque *oblongum* ſuffitioni in ſacris inſerviiſſe. *Oblongi* autem appellatione ſtyrax denotari videtur, cui ligni aliquid atque terræ admixtum eſſet. Hunc enim odoratiorem Strabo eſſe ſcribit i) puro, eodemque πλείςῳ χρᾶσθαι θυμιάματι τὰς δεισιδαίμονας, *ad ſuffitum uti ſuperſtitioſos plu-*

g) *Ecl.* VIII. v. 65.
h) *Hiſt. nat.* l. XII. c. 14.
i) *Geograph.* l. XII. p. 856.

plurimo. De uſu ſtyracis eodem Thomas quoque Magiſter teſtatur: k) Στύραξ μὲν θυμίαμά τι. Λιβάνιος ἐν τῷ περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης· ςύρακος ἅμα ὀσμῇ θεραπεύσας τὸν Θεόν. *Styrax ſuffimentum quoddam. Libanius in libro* de fortuna ſua: *Styracis ſimul odore colens Deum.*

§. XV.

Libamen, (σπονδὴ, l) λοιβὴ, m) χοὴ) n) quod pro potione offerebatur Diis, o) e vino conſtabat ut plurimum, quod partibus victimæ, aræ im- *Libamina.*

k) Voce ςύραξ.

l) Heſych. Σπονδὴ, ὁ ἐπιχεόμενος ταῖς θυσίαις οἶνος, Σπονδὴ *vinum* dicitur, *quod ſacrificiis affunditur.*

m) Idem: Λοιβὴ, θυσία οἴνου. Λοιβὴ *ſacrificium eſt e vino.*

n) Hac voce de *libamine* uſus eſt Homerus *Odyſſ.* XI. v. 26.

o) Anſam hoc præbuit Arnobio ad exagitandum gentiles irridendumque his verbis: *Date quæſo immortalibus Diis bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſimpuviaque depromite: & quoniam tauris, pinguibusque ſe dapibus, atque opimis inferciunt eſcis, ne quod in ſtomachi tramite male transvoratum ſubſtiterit viſcus, ſuccurrite, properate, Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date. Adv. gentes* l. VII. p. 235.

impoſitis, dum adolerentur, ex vaſe σπονδεῖον dicto, p) ſolebat affundi. q) Merum illud eſſe oportebat, ἄκρατον, quod ἔνσπονδον vocabant, non aqua temperatum, quod erat ἄσπονδον. Romanorum hac in re adeo ſcrupuloſa fuit religio, ut *vina* etiam *Græca, quoniam aquam haberent, prolibare Diis nefaſtum* judicarent. r) Principio quidem aqua tantum libatum fuit, poſtea melle, tum oleo, at poſtremo tandem vino. Docet ex Theophraſto Porphyrius: s) Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν. νηφάλια δ' ἐστὶν τὰ ὑδρόσπονδα· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα· τοῦτον γὰρ ἕτοιμον παρὰ μελιττῶν πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν. εἶτ' ἐλαιόσπονδα· τέλος δ' ἐπὶ πᾶσιν, τὰ ὕστερα γεγονότα οἰνόσπονδα. *Antiquitus ſacrificia apud plurimos jejuna erant*, ſive *ſobria. Vocantur autem ſobria, in quibus aqua libatur. Poſtea vero mel, (hoc enim liquidi fructus genus primum accepimus ab apibus elaboratum) inde oleum, ac omnium tandem poſtremo*

p) Heſych. hac voce.
q) Dionyſ. Halicarn. *Ant. Rom.* l. VII. p. 479.
r) Plinius *Hiſt. nat.* l. XIV. c. 19.
s) De *abſtinent.* l. II. p. 156.

mo vinum pro libamine fuit adhibitum. Neque tamen, poſtquam vini uſus invaluit, ille aquæ, mellis atque olei prorſus exolevit. Sane enim Plutarchus t) ipſi etiam Baccho ſacra ſæpenumero peragi ait νηφάλια, ſive talia, quibus aqua pro libamine adjuncta eſſet, quo admonerentur uſuque adducerentur homines, ut merum ſemper ne deſiderarent. Ejusdem generis ſacrificiis Athenienſes Mnemoſynen quoque, Muſas, Auroram, Solem, Lunam, Nymphas Veneremque honoraſſe, Polemon auctor eſt. u) Elei quoque Nympharum, earumque Dearum, quas *Dominas* vocabant, in ſacris, ad aram item Diis omnibus communem, vino non ſunt uſi; x) uſi igitur videntur aqua. De melle autem teſtatur Porphyrius, y) quod, quia mortis habeatur ſymbolum, libari illo ſoleat mortuis Inferisque (τοῖς χθονίοις.) Sic Hecatæ, uni ex Inferis, μελίκρατον, ſive

Z 4 ὑδρό-

t) De *ſanitate tuenda* p. 132.
u) Apud Schol. Sophoclis, ad *Oed. Colon.* v. 99.
x) Pauſan. *Eliac. pr.* c. XV. p. 416.
y) De *antro Nymph.* p. 312.

ὑδρόμελι, *mel aqua mixtum, aquam mulſam* vocant Latini, Apollonius Rhodius μιγάδας λοιβὰς, *libamina dixit mixta*, z) effundi conſuevit. Interdum tamen mortuorum etiam in ſacrificiis vinum, ſimul cum aqua mera & mulſa, fuit adhibitum. Alcinoo certe confirmat Vlyſſes, a) mortuis, ſive Manibus omnibus libationem ſe feciſſe

Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι.

Primum mulſo, poſtea vero dulci vino;
Tertio demum aqua.

Oleo, imo & lacte, pariter in inferiis, & Plutonis in ſacris, ad libationes uſi ſunt. b)

§. XVI.

Species ſacrificiorum ſeptem. Ad ſacrificia facienda impellebat homines vel ſola cupiditas honore Deos afficiendi, propter naturæ ipſorum

z) *Argonaut.* l. III. v. 1036. & 1211. Cf. *Obſervat.* noſtras *philol.* p. IV. Obſ. II. §. XII.
a) Apud Hom. *Odyſſ.* l. XI. v. 26.
b) Virgil. *Ecl.* V. v. 67. 68. *Æn.* III, 67. VI. v. 225. 254. Eurip. in *Oreſte*, v. 115. Seneca in *Oedipo* v. 565.

rum excellentiam, vel voti concepti religio, vel beneficentia, quam a Diis ſeſe expertos putabant, vel liberatio ex magno quodam periculo, quæ a Diis ipſis obtigiſſet, vel deſiderium impetrandi a Diis bonum aliquod, vel ſtudium Deos, ob peccatum aliquod ipſis iratos, placandi, vel denique mandatum quoddam oraculi. Hinc ſpecies ſacrificiorum ſeptem poſſunt conſtitui. (1) Τιμητικὰ, quæ in *honoris ſignificationem*, ſive in venerationis, quam animo gererent homines erga Naturas præſtantisſimas, teſtificationem offerebantur. De hoc genere Porphyrius loquitur, cum dicit: c) Θυτέον τοῖς Θεοῖς, ἢ διὰ τιμὴν, κ. τ. λ. *Sacrificandum Diis eſt, vel ut honore eos afficiamus* cet. Mox addit: Τιμῶμεν τὰς Θεὰς - - ἢ κατὰ τὴν ψιλὴν τῆς ἀγαθῆς αὐτῶν ἕξεως ἐκτίμησιν. *Colimus Deos* ſacrificiis - - *vel ex mero ſtudio honorandi eos, propter naturæ ipſorum præſtantiam.* (2) Εὐκταῖα, d) *votiva*, ut cum quis in bellum

 pro-

c) De *abſtinent.* l. II. p. 161.
d) Heſychius: Εὐκταῖον, τὸ κατ' εὐχὴν ἀποδιδόμενον.

proficiſcens votum feciſſet, ſe, victoria reportata, ſacra huic iſtive Deo facturum, votique damnatus promiſſa exſolveret. (3) Χαριστήρια, ad *gratias* Diis, inſignioris cujusdam beneficii ergo, perſolvendas comparata. Habes nomen, ſimul cum exemplo rei aliquo, in *Hiſtoria varia* Æliani. e) Affinia his (4) Σωτήρια, quæ *ſalutis* cauſſa fiebant, quam quis, in periculo quodam magno verſatus, a Diis ſe putabat obtinuiſſe. Sic e. c. Mneſitheus nauclerus, ob ſervatam ex undis navem, quæ ad Capharei ſcopulos illiſa ferme perierat, ἔθυσε τὰ σωτήρια. f) (5) Αἰτητικὰ, q. d. *petitionis ſacrificia*, quibus bona a Diis obtinere conabantur homines, aut movere eosdem, ut mala averruncarent. Fieri hæc ab iis maxime ſolebant, qui majoris momenti negocium aliquod aggrediebantur, & ſucceſſu uti cupie-

---

νον. Εὐκταῖον *illud vocatur, quod propter votum aliquod perſolvitur.*

e) Lib. XII. c. I. p. 664. edit. Perizon. Porphyr. l. c. Θυτέον τοῖς Θεοῖς - - ἢ διὰ χάριν. *Sacrificandum Diis, - - vel ut gratias perſolvamus,* - - προπεπονθότες εὖ, *beneficio aliquo affecti.*

f) Lucianus in *Jove Tragœdo* T. Opp. II. p. 136.

piebant felici, caſuque adverſo nullo impediri, quo minus ad exitum optatum rem perducerent. Ad hoc genus illa ſpectant Porphyrii; g) Θυτέον τοῖς Θεοῖς - - ἢ διὰ χρείαν ἀγαθῶν. *Sacrificandum Diis - - vel quod bonis indigemus.* Item: Τιμῶμεν τὲς Θεὲς, ἢ κακῶν μὲν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητῦντες, - - ἵνα τύχωμεν ὠφελείας τινός. *Veneramur Deos* ſacrificiis, *ut vel mala avertant, vel bonis nos impertiant, - - quo utilitate aliqua potiamur* Dii nimirum nihil gratis dare putabantur, aut facere. Quam gentis ſuæ opinionem ſcite exprimit ille ſacrorum irriſor Lucianus, cum h) Οὐδὲν, ait, ἀμισθὶ ποιῦσιν, ὧν ποιῦσιν ἀλλὰ πωλῦσι τοῖς ἀνθρώποις τἀγαθὰ, καὶ ἔνεςι πρίασθαι παρ᾽ αὐτῶν, τὸ μὲν ὑγιαίνειν, εἰ τύχοι, βοϊδίε, τὸ δὲ πλετεῖν, βοῶν τεττάρων, τὸ δὲ βασιλεύειν, ἑκατόμβης, τὸ δὲ σῶον ἐπανελθεῖν ἐξ Ἰλίε ἐς Πύλον, ταύρων ἐννέα, καὶ τὸ ἐκ τῆς Αὐλίδος ἐς Ἴλιον διαπλεῦσαι, παρθένε βασιλικῆς. Ἡ μὲν γὰρ Ἑκάβη τὸ μὴ ἁλῶναι τότε τὴν πόλιν ἐπρίατο

g) Loco cit.
h) De *ſacrif.* T. I. p. 362.

το παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς βοῶν δώδεκα, καὶ πέπλε. *Dii nihil gratis faciunt, quicquid illi faciunt; ſed bona vendunt hominibus; & ab illis emenda ſanitas, forte bucula; divitiæ, bobus quatuor; regnum hecatomba; incolumis a Troja ad Pylum reditus, novem tauris; & ex Aulide in Ilium navigandi facultas, regia puella. Nam Hecuba quidem, ne tunc urbs caperetur, a Minerva bobus duodecim mercata erat, & peplo.* i) (6) Ἱλαςικὰ, vel διαλλακτικὰ, *Sacrificia placamenti*, quæ in calamitate aliqua, ſive publica ſive privata, quam delictis ſeſe ſuis attraxiſſe ſibi exiſtimabant homines, ad iram Deorum placandam adhibebantur. Plena ſunt monumenta Græcorum veterum exemplis. (7) Τὰ ἀπὸ μαντέιας, quæ ab *oraculo*, aut *vate* aliquo injungebantur vel civitatibus integris, vel hominibus etiam ſingularibus. Obvia ſunt hujus etiam generis exempla bene multa apud poetas & hiſtoricos. Non occurret, credo, facile ſacrificiorum ſpe-

i) Homerus *Iliad.* VI. v. 293. ſqq.

ſpecies ulla, quæ ad unam e ſeptem illis claſſibus non poſſit referri. k)

§. XVII.

Sacrificandi ritus, ac (1) Victimæ apparatio.

Jam ritum ſacrificandi ipſum ſi ſpectemus, obſervari in eo poſſunt quatuor. (1) *Victimæ apparatio.* (2) *jugulatio.* (3) *immolatio ipſa*, & (4) *epulatio*, ſacrificio peracto inſtituta. Itaque curandum ante omnia erat, ut, poſtquam accurate explorata fuiſſet, ornatu convenienti inſtrueretur hoſtia. Ornatus vero ille partim in coronis, ſive ſertis, capiti victimæ imponendis, partim in auro conſiſtebat, cornubus boum, arietum cet. inducendo. l) Victimam ſic ornatam ad altare adducebant; quod illis dicebatur non modo προσάγειν τῷ βωμῷ, qua formula Lucianus alicubi uſus eſt, m) ſed etiam παραστῆσαι θύματα vel

k) Jo. Potterus in *Archæol. Gr.* l. II. c. IV. p. 221, ſpecies ſacrificiorum poſuit quatuor; ſed illa quidem partitio rem omnem minime videtur exhaurire.

l) Lucianus de *ſacrif.* T. Opp. I. p. 368. Plutarch. de *orac. defectu* p. 437. Hom. *Odyſſ.* III, 384. 437. alibi. Plin. *Hiſt. nat.* l. XXXIII. c. 3.

m) Loco jam cit.

vel θυσίαν τοῖς βωμοῖς, vel & ſimpliciter παραστῆσαι, n) (ex quo illuſtrarunt viri docti o) verba Apoſtoli: p) Παρακαλῶ ἔν ὑμᾶς cet.) Latini, *ſtatuere ante aras, admovere victimam aris.* Hic igitur *ob oculos Dei*, ut Lucianus loquitur, h. e. e regione ſimulacri adverſi, collocatam καθαρῷ περιήγνισαν ὕδατι, *aqua pura luſtrabant.* q) Porro voluntatem hoſtiæ experiebantur, ut cognoſcerent, libenterne illa adſtaret, mortemque ſubitura eſſet, an reluctaretur. Experiebantur vero partim mola ſalſa, capiti colloque inſperſa, r) partim ducto a fronte usque ad caudam obliquo cultro. s) Interdum & aquam auri infundebant. t) Ad quæ ſi placido vultu adſtaret victima, vel & capite annueret, grata fu-

n) Polyb. in *Excerpt. legat.* p. 1093. Lucian. in *Icaromen.* T. Opp. II. p. 205. Eurip. in *Heracl.* v. 503. Diod. Sic. *Bibl. hiſt.* l. III. p. 205.
o) E. c. Jac. Elsnerus in *Obſervat. ſ.* T. II. p. 54 & nonnulli alii.
p) Rom. XII, 1.
q) Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom.* l. VII. p. 478.
r) Dionyſ. Halic. l. c. Seneca in *Oed.* v. 335.
s) Virgil. *Æn.* XII. v. 173. & ad illum locum Servius. Lucanus *Pharſ.* l. I. ſub finem.
t) Schol. Apollonii Rhodii ad *Argon.* l. I. v. 425.

futura putabatur Diis; ſin minus, improbari. Itaque non ante, quam annuiſſet victima, eam jugulabant. Plutarchus: u) Ἄχρι δὲ νῦν παραφυλάττουσιν ἰσχυρῶς τὸ μὴ σφάττειν, πρὶν ἐπινεῦσαι καταςπενδόμενον. *In hunc usque diem id maximopere obſervant, ne jugulent victimam, niſi annuerit, dum aqua perfunditur.* „Quoties enim victima „reluctabatur, oſtendebat ſe impro„bari," inquit Servius. x) Quidam etiam, dum duceretur victima, obſervabant, quomodo ſeſe gereret. Quod ſi enim fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe invitam altaribus admoveri, & ab altari ſeſe quaſi traheret, amovebatur. y) Tum vini quoque nonnihil inter cornua hoſtiæ effundebatur, uti liquet ex epigrammate quodam Eveni, z) quod ſic Latine reddidit, Ovidius: a)

Ro-

u) *Sympoſ.* l. VIII. p. 729.
x) Ad *Æn.* l. IX. v. 627.
y) Macrob. *Saturn.* l. III. c. 5. Plin. *H. N.* l. VIII. c. 45. Pfeiff. *Ant. Gr.* l. I. c. 24.
z) In *Anthol. Epigr. Gr.* l. I. c. 6. p. 18.
a) *Faſt.* l. I. v. 357. Cf. Virgil. *Æn.* IV. v. 61. & VI. v. 244.

Rode caper vitem, tamen huic, cum ſtabis ad aram,
In tua quod fundi cornua poſſit erit.

Denique pilos nonnullos e fronte hoſtiæ evulſos, ſimul cum molæ ſalſæ parte aliqua, in ignem altaris porriciebant. b) Græcis hæc προθύματα, Latinis *prima* vocabantur *libamina.* c) Hoc modo apparata victima, priusquam cæderetur, preces ad illud, cui offerenda erat, fundebant Numen, (nam *victimas cædi ſine precatione non videbatur referre*, d) ſive legitimum eſſe) orantes illud, velit acceptum ſibi eſſe ſinere ſacrificium, calamitates & mala quævis avertere, ac omnis contra generis bona largiri. e)

§. XVIII.

(2) Jugulatio. His peractis, vecte aliquo ſive clava graviori (σκυτάλη, ῥοπάλῳ,) feriebatur victima, ſi eſſet grandior, a ſacerdotum miniſtris, ſpeciatim a βȣθύταις, ſive

b) Homer. *Od.* III. v. 446. XIV, 430.
c) Ariſtoph. in *Pluto*, v. 660. Virgil. *Æn.* VI. v. 245.
d) Verba ſunt Plinii *Hiſt. nat.* l. XXVIII. c. 2.
e) Dionyſ. Halic. l. c. Hom. *Il.* I. v. 459. *Odyſſ.* III. v. 446.

ſive *victimariis*, ſi qui adeſſent, vel & a κήρυξι, ut procideret. Aliqui vero ſecuri tendines victimæ abſcindebant cervicales. f) Cadentem cultris excipiebant ſuppoſitis, quibus jugulum perſecarent, quod quidem, ſi Diis ſacrificandum eſſet ſuperis, ſurſum vertebatur, cervice reſupinata. Id Homero eſt αὖ ἐρύειν in illo: g)

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,
Αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν.

Sed poſtquam precati ſunt & molas projecerunt,
Cervicem *retro egerunt primum, & jugularunt, & excoriarunt.*

Ad quem locum ſic inter alia commentatus eſt Euſtathius: Εἰ μὲν τοῖς ἄνω Θεοῖς ἔθυον, ἀνακλῶν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον, ὥστε ἀφορᾶν ὡς οὐρανόν. *Superis ſi ſacrificarent, invertere ſolebant cervicem victimæ, ſic ut cælum illa reſpiceret.*

f) Dionyſ. Halic. *Ant. Rom.* p. 478. Apollon. Rhod. *Argon.* l. I. v. 427. Hom. *Odyſſ.* III. v. 449.
g) *Il.* I. v. 459.

ret. Quibus plane gemina ſunt, quæ in *ſcholiis* leguntur *parvis*, niſi quod in his additur: ὡς καὶ αὐτῶν ὄντων ἐν οὐρανῷ, *quippe cum illi etiam* (Dii ſuperi) *degant in cœlo.* Orpheo idem illud eſt, ἀνακλίνειν κεφαλὴν ἐις αἰθέρα δῖαν, in hiſce: h)

Καὶ τότε δὴ κραντῆρα βοῶν περιμυκέα ταῦρον
Σφάζων, ἀνακλίνας κεφαλὴν ἐις αἰθέρα δῖαν.

Et tunc ducem armentorum valde mugientem taurum
Jugulavi, reflectens caput in æthera divum.

Contra vero, ſi Heroibus aut mortuis res ſacra fieret, pronas jugulabant hoſtias, jugulo deorſum verſo. Docent ſcholia modo laudata: Πάλιν δὲ τοῖς Ἥρωσιν, ὡς κατοιχομένοις, ἔντομα ἔθυον ἀποϐλέποντα κάτω ἐις γῆν. *Rurſus vero Heroibus, ut mortuis, jugulabant hoſtias deorſum ſpectantes, terram verſus.* Sanguis vaſe excipiebatur ἀμνίον, Atticis σφάγιον dicto. Homerus: i)

Περ-

h) *Argonaut.* v. 311.
i) *Odyſſ.* III. v. 444.

Περσεὺς δ' ἀμνίον εἶχε.

Perſeus autem vas ſanguini recipiendo *tenebat*

Vbi ſcholiorum minorum auctor: Ἀμνίον· ἐστὶ μὲν τῶν ἅπαξ εἰρημένων ἡ λέξις· σημαίνει δὲ τὸ ἀγγεῖον, ὅπου τὸ αἷμα τοῦ ἱερείου δέχονται· καὶ ἔστι κατὰ τὸ ἔτυμον ἀμένιον, ὅ ἐστι στερητικὸν τοῦ μένους, τουτέστι ψυχῆς. Οἱ Ἀττικοὶ σφάγιον αὐτὸ καλοῦσι. *Ἀμνίον vox eſt ex earum numero, quæ ſemel tantum occurrunt. Significat vero vas illud, quo ſanguinem excipiunt victimæ. Dictum vero eſt quaſi* ἀμένιον, *ſive carens* μένει, i. e. *anima. Attici* σφάγιον *illud vocant.* Tum excoriabatur victima, inteſtiniſque extractis membratim concidebatur. k)

§. XIX.

Victima diſſecta, ſanguis in vas illud, de quo modo dictum eſt, collectus altari undique affundebatur, vel ſaltem aſpergebatur. Lucianus: l) Ὁ δ' ἱερεὺς αὐτὸς ἕστηκεν ἡμαγμένος, καὶ ὥσ- *Sanguis altari affuſus; inferorum in ſacris fovea exceptus.*

k) Hom. *Il.* I. v. 459. 460. *Odyſſ.* III. v. 456. Dionyſ. Halic. l. c.

l) De *ſacrif.* T. I. p. 368.

ὥσπερ ὁ Κύκλωψ ἐκεῖνος, ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων. *Tum ipſe ſacrificus, ſanguine fœdatus, non aliter, quam Cyclops ille, pecudem incidit, inteſtina educit, cor evellit*, ſanguinemque aræ circumfundit. Idem de Diis: m) Τὸ αἷμα πίνουσι τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον. ſanguinem *bibunt*, *qui* aris affunditur. Rurſus alibi: n) Μάλιστα δὲ ἥδονται σιτέμενοι - - καὶ τὸ αἷμα δὲ τῶν ἱερείων, ὃ τοῖς βωμοῖς οἱ θύοντες περιχέουσι. *Maxime vero gaudent Dii veſci* - - *&* ſanguine victimarum, *quem* aris circumfundunt *ſacrificantes*. Orpheus, poſtquam victimam ſe diſſecuiſſe dixerat, addit: o)

Περὶ δ' αἷμα πυρὶ χέον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Circa ignem vero ſanguinem fudi hinc & illinc.

Ex formulis, quibus de actu hoc utuntur ſcriptores modo laudati: περιχέειν, προσχέειν τὸ αἷμα τοῖς βωμοῖς, πυρὶ, colligo, ad latera altaris ſingula, & in par-

m) Paulo antea, p. 366.
n) In *Icaromen.* T. Opp. II. p. 207.
o) *Argonaut.* v. 313.

parte quidem ſuperiori, prope focum altaris,ubi ignis accenſus erat,affundi vel aſpergi conſueviſſe ſanguinem,p) quemadmodum nonnullis Hebræorum in ſacris novimus factitatum. Quod ſi vero ἐπιβώμιοι eſſent hoſtiæ, h. e. *ſuper* ipſum *altare jugulandæ*,q) tum quidem neque affuſione opus erat,neque aſperſione, quum ex ipſa ſanguis pecude in altaris dimanaret ſuperficiem. Inferis, aut mortuorum Manibus deſtinata ſi eſſet victima, curandum erat, ut in ſcrobem, ejus rei cauſſa effoſſam, (Vid. P. I. c. VII. §. XVIII.) efflueret ſanguis ex ipſo hoſtiæ, quæ ſupra ſcrobem illam plerumque mactabatur, jugulo deorſum verſo. Hinc apud Homerum r) Vlyſſes ait:

p) Patet ex his abunde, vehementer falſum eſſe Pfeifferum, quando Superorum in ſacris ſanguinis rationem non admodum fuiſſe habitam, ſibi perſuaſit. *Ant. Gr.* l. I. c. 26. p. 43

q) De quibus erudite egit Gisb. Cuperus *Obſervat.* l. I. p. 99. Vbi ex ritu iſto illud ſimul illuſtratur Virgilii:

Raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

r) *Odyſſ.* XI, 34. Cf. Apollon. *Argon.* l. III. v. 1031. & 1205.

Τὰς δ᾽ ἐπεὶ εὐχωλῇσι λιτῇσί τε ἔθνεα νεκρῶν
Ἐλλισάμην, τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα
Ἐς βόθρον, ῥέε δ᾽ αἷμα κελαινεφές.

Poſtquam votis precibusque gentem mortuorum
Precatus ſum, ſumtasque pecudes jugulavi
Super foſſam; fluebat vero ſanguis niger.

Ovidius, de ſacris loquens Hecatæ & Proſerpinæ factis: s)

Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus
Sacra facit: cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit; & patulas perfundit ſanguine foſſas.

Hac nimirum ratione ſatisfieri putabatur mandato oraculi, t) quod juſſerat:

Νερτερίων κατάθαπτε, καὶ ἐς βόθρον αἷμα ἴαλλε.

In-

s) *Metamorph.* l. VII. v. 243.
t) Apud Euſeb. de *Præp. Evang.* l. IV. p. 145.

Inferorum victimas defodito, & ſanguinem in foveam demittito. Quod ſi necyomantiæ cauſſa, ad umbras evocandas, ſacrificaretur; ſanguis circa foſſam ſpargebatur. Lucianus: u) Βόθρον τε ὠρυξάμεθα, καὶ τὰ μῆλα ἐσφάξαμεν, καὶ τὸ αἷμα περὶ βόθρον ἐσπείσαμεν. *Foveam effodimus, & oves jugulavimus, & ſanguinem circa foveam libavimus.*

§. XX.

Sanguine rite libato, partes victimarum igne altaris adolendæ, caniſtro impoſitæ, ad altare apportabantur, ramis oleagineis, myrteis, vel & alius generis (*Verbenas* x) appellabant Latini) coronatum. Partes, dico, adolendæ. nam holocauſta quidem, uti nos vulgo vocamus, ſive, ut Latini, *ſolidas pecudes*, apud Græcos non moris erat cremari, niſi Inferorum, tanquam omnia vorantium, in ſacris. Quo illud pertinet Virgilii: y) *Tum*

(3) Immolatio ipſa.

u) In *Menippo*, ſ. *Necyomant*. T. I. p. 331.
x) V. Pfeiff. *Ant. Gr.* l. I. c. 34. De frondibus vere oleagineis Pauſan. *Eliac. pr.* c. XV. p. 415.
y) *Æn.* VI. v. 252.

Tum Stygio regi nocturnas incoat aras:
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

Vbi Servius notat, *viſcera* non *exta* h. l. eſſe, ſed *carnes*. *Solida ergo viſcera holocauſtum ſignificare, quod detractis extis aræ ſuperimponebatur.* Nec non illud Senecæ: z)

Vocat inde manes, teque qui manes regis.
- - - *irrigat ſanguis focus:*
Solidasque pecudes *urit.*

Conſtabant autem, quas diximus, partes e *coxis*, μηροῖς, μηϱίοις, quæ præcipue gratæ cenſebantur Diis, omento atque arvina tectis. Imponebantur ſimul, tanquam primitiæ quædam, e membris reliquis ſingulis extisque particulæ crudæ, ut membra Diis omnia viderentur offerri. Homerus: a)

Ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
Μηρὲς τ᾽ ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν,
Δί-

z) In *Oed.* v. 559. 564, 565.
a) *Iliad.* I. v. 459. Cf. ibi Schol. Add. *Odyſſ.* III. v. 456. XIV. v. 427.

Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.

Jugularunt & excoriarunt,
Femoraque exſecuerunt, arvinaque cooperuerunt,
Poſtquam duplicaverant (omentum), *& ſuper ea partes crudas poſuerunt,*

ſcilicet ἀπὸ παντὸς μέρους, ut ait Scholiaſtes, *ex omni* victimæ *parte*, ſive membro. Dionyſius Halicarnaſſeus, b) de ritu ſacrificiorum Græco exponens: καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μερίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν· οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες, ὑφῆπτον. *Poſtea excoriata & diſſecta in partes victima, ex ſingulis extis aliisque membris primitias capiebant, easque Zeæ farina imbutas in caniſtris offerebant ſacrificantibus, qui aris impoſitas ſuccendebant.* Ex σπλάγχνοις, ſive *extis* cor interdum, in partes diſſectum, placentis, quæ præter

b) *Antiqu. Rom.* l. VII. p. 478.

carnes ſuper aram offerebantur, imponebatur. Teſtem habeo Orpheum, qui c)

> Ἀυτὰρ ἐπεὶ, inquit, κραδίην θράυσας ποπάνοισιν ἔθηκα.
>
> *Poſtquam vero cor ſectum placentis impoſui.*

Porro adolendorum ſingula farina conſpergi oportebat ſubtili, ſicuti tum ex modo adducto Dionyſii Halicarnaſſei teſtimonio, tum ex hoc etiam intelligitur Homeri: d)

> Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτε ἀκτῇ.
>
> *Et aliquas quidem partes in ignem projecit, ubi commiſcuiſſet farinæ flore.*

Atque tunc demum igni tradebantur, quem ligna alerent ſciſſa (σχίζαι) atque arida; e. c. ex olea. e) Affundebatur inter adolendum vinum (quibusdam in ſacrificiis oleum, imo lac quoque & mel, v. §. XV.) tum ut pro libamine eſſet, tum ut flamma magis excitaretur: quæ ſi multum exſili-

c) *Argon.* v. 314.
d) *Odyſſ.* XIV. v. 429.
e) Hom. *Il.* I. v. 462. Apollon. Rhod. *Argon.* l. I. v. 405

ſiliret emicaretque, omen interpretabantur bonum. f) Adſpergebantur etiam odores grati, præſertim thura. V. §. XIV. Marinorum vero Numinum in ſacrificiis apparatu adhuc recenſito minime opus erat. Nam in illis quidem hoſtia, ubi vel in littore maris, vel in navi fuiſſet jugulata, in undas projiciebatur integra. Juſſerat hoc quoque oraculum aliquoties jam commemoratum. g)

Ἕυτε δ' ἐπὶ ψαμάθοις ἴῃς, γλαυκὴν ἅλα χέυας,
Κακκεφαλῆς θυσίαζε, καὶ ἐς βαθὺ κῦμα θαλάσσης
Ζῶον ὅλον προΐαλλε. h)

Quan-

---

f) Dionyſ. Halicarn. *A. R.* l. VII. p. 479. Hom. *Il.* I. v. 462. XI. v. 774. quibus locis Homerus οἶνον adhibitum dicit ἄιθοπα, *vinum nigrum*, quod de rubro nigricante videtur intelligendum. Add. Virgil. *Æn.* XI. v. 773. Apollon. Rhod. *Argon.* l. I. v. 435. ſqq.

g) Apud Euſeb. in *Præp. Evang.* p. 146.

h) Hæc verba: ζῶον ὅλον προΐαλλε, in ſubjecta oraculi explicatione minus recte ſic exponi arbitror, ut ſignificent ζῶντα ἀφιέναι εἰς τὰ κύματα, *vivas adhuc ſpirantesque porriciendas in fluctus eſſe* victimas. Eccur enim, ſi vivum relinquendum eſſet animal ſacrificio de-

Quando vero ad arenas iveris maris ſacrificatum, tum quidem hoſtiam, *glauca unda marina perfuſam*,
In caput excuſſam macta, & in profundos fluctus maris
Animal totum projice.

Obſervatum id fuit ab Argonautis, quorum juſſu Jaſon, Tritoni, Deo marino, rem ſacram facturus, ovem

Ἄμα εὐχωλῇσιν ἐς ὕδατα λαιμοτομήσας
Ἧκε κατὰ πρύμνης.

Simul cum votis in aquas, poſtquam jugulavit,
Miſit de puppi, i) ubi eam jugulaverat. k)

§. XXI.

Concentus muſicus & ſaltatio. Vino libato, concentus incoabatur muſicus, ut & Dii, qui voluptatem ex

deſtinatum, diceretur: κακκεφαλῆς θυσίαζε. Itaque ζῶον ὅλον de *animali* potius interpretandum duco *toto*, ante quidem jugulato. Quam interpretationem ipſe etiam uſus comprobat, ut ex loco Apollonii ſtatim afferendo patebit.

i) Apollon. Rhod. *Argon.* l. IV. v. 1601.
k) Ibid. v. 1596.

ex muſica capere credebantur, oble-ctarentur, & jucunditas hilaritasque afferretur iis, qui ſacris intererant. Itaque lyræ vel citharæ pulſabantur, l) tubæ tibiæque, quas propterea *ſacrificas* vocat Seneca, m) Teleſtes ἱερὰς, *ſacras*, n) inflabantur. o) Athenis in ſacris Panathenaicis celebrata cum primis συναυλία fuit, quæ συμφωνία τις ἦν αὐλητῶν συναυλούντων, *concentus erat tibicinum concinentium.* p) Cantabantur etiam, Deorum in honorem, hymni, de quibus capite ſequenti diſſeretur pluribus. Accedebat denique, ad pleniorem hilaritatis ſignificationem, ſaltatio quoque circa aras. Memorabile hac de re Luciani teſtimonium eſt, q) quod afferre non piget. Ἐῶ λέγειν, ὅτι τελετὴν ἀρχαίαν οὐδεμίαν ἔστιν εὑρεῖν, ἄνευ ὀρχήσεως, Ὀρφέως δηλαδὴ, καὶ Μουσαίου, καὶ τῶν τότε ὀρχηστῶν καταστησαμένων αὐτὰς, ὡς τι κάλλι-

στον

l) Macrob. in *Somn. Scip.* l. II. c. 3.
m) In *Agamemn.* v. 580.
n) Apud Athen. *Dipnoſoph.* l. XIV. p. 617.
o) V. Pollucem in *Onomaſt.* l. IV. c. IX. X. & XI. Macrob. l. c.
p) Pollux l. c. c. X. ſegm. 83.
q) De *ſaltat.* T. Opp. I. p. 791. 792.

ϛον, καὶ τοῦτο νομοθετησάντων σὺν ῥυθμῷ καὶ ὀρχήσει μυεῖσθαι. - - - Ἐν Δήλῳ δέ γε οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ, καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίνοντο· παίδων χοροὶ συνελθόντες ἐν αὐλῷ, καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο οἱ ἄριϛοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν. Τὰ γοῦν τοῖς χοροῖς γραφόμενα τούτοις ᾄσματα, ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο, καὶ ἐμπέπληϛο τοῖς τοιούτοις ἡ λύρα. *Omitto dicere, nullas unquam apud veteres celebratas fuiſſe initiationis cærimonias ſine ſaltatione: quippe quas Orpheus, Muſæus, atque optimi id temporis ſaltatores inſtituerunt, ut honeſtiſſimum quiddam; qui hoc etiam ſanxerunt, cum rhythmo & ſaltatione initiandos eſſe homines. - - - Porro in Delo nec ſacrificia ſine ſaltatione peragebantur, & ſine adhibita muſica. Conveniebant puerorum chori cum tibia atque cithara. Tum ſaltare inſtituebant aliqui; optimi vero quique, ex eorum numero delecti, ſaltationem ad cantum accommodabant. Quare cantilenas hiſce choris conſcriptas Hyporchemata vocabant, talibusque lyra impleta fuerat.* Saltatum vero fuiſſe circa aram, indicio

dicio ſunt ea, quæ de Theſeo, a quo ritum illum adſcivere Delii, narrat Plutarchus. r) Ἐκ δὲ τῆς Κρήτης, inquit, ἀποπλέων εἰς Δῆλον κατέσχε, καὶ τῷ Θεῷ θύσας, καὶ ἀναθεὶς τὸ Ἀφροδίσιον, ὃ παρὰ τῆς Ἀριάδνης ἔλαβεν, ἐχόρευσε μετὰ τῶν ἠϊθέων χορείαν. ἣν ἔτι νῦν ἐπιτελεῖν Δηλίους λέγουσι, μίμημα τῶν ἐν τῷ Λαβυρίνθῳ περιόδων καὶ διεξόδων, ἔν τινι ῥυθμῷ παραλλάξεις καὶ ἀνελίξεις ἔχοντι γιγνομένην. Καλεῖται δὲ τὸ γένος τοῦτο τῆς χορείας ὑπὸ Δηλίων γέρανος, ὡς ἱστορεῖ Δικαίαρχος. ἐχόρευσε δὲ περὶ τὸν κερατῶνα βωμὸν, ἐκ κεράτων συνηρμοσμένον εὐωνύμων ἁπάντων. *Solvens ex Creta, Delum appulit, ubi rem divinam fecit Apollini, dedicatoque Veneris ſigno, quod ab Ariadna acceperat, tripudium ſaltavit cum impuberibus, quod hac etiam ætate ferunt Delios ſervare. Simulacrum hoc anfractuum Labyrinthi, & egreſſuum ad certos modos alternis peragitur gyris. Hoc genus ſaltatus dicitur a Deliis, (ut memoriæ prodidit Dicæarchus) Grus. Saltavit autem circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus ſiniſtris compoſita.*

Non-

r) In *Theſeo*, p. 9.

Nonnulla tamen ſacrificia ἄναυλα fuiſſe καὶ ἄχορα, ſive *tibiarum cantu & ſaltatione caruiſſe*, ex Plutarcho obſervat Caſp. Bartholinus. s)

§. XXII.

(4) *Epulatio.* Sacrificio peracto, ex partibus ſacrificalibus reliquis, (ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, & εἰδωλόθυτα dicuntur in N. T.) t) in fruſtra minuta ſectis, diligenterque aſſatis, epulum inſtruebatur, (δαὶς, θοίνη, θαλία) unde convivarentur qui ſacrificium obtulerant, una cum ſacerdotibus amiciſque ad id invitatis. Convivabantur autem vel domi, vel, quod fere uſitatius, in ipſo, uti Paullus vocat, u) εἰδωλείῳ, ſive *templo*, in conclavi, ut videtur, peculiari, uſui huic deſtinato. Homerus: x)

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
Μίςυλλόν τ' ἄρα τἆλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
Ὤπ-

s) De *tibiis veterum* l. II. c. 7. p. 181.
t) Act. XV, 20. 29.
u) 1. Cor. VIII. 10.
x) *Iliad.* I. v. 466. cf. *Odyſſ.* III. 65. XIV. 430. ſqq.

Ὤπτησάν τε περιφραδέως, ἐρύσαντό τε πάντα.
Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνȣ, τετύκοντό τε δαῖτα,
Δαίνυντ᾽. ȣ̓δέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης.

Sed poſtquam femora exuſta ſunt, & viſcera guſtarunt,
Ac minutatim ſecuerunt cetera, & verubus transfixerunt,
Aſſaruntque ſcite, detraxeruntque omnia.
Ceterum ubi ceſſarunt ab opere, apparaveruntque convivium,
Convivati ſunt, neque quidquam animus indiguit cibo æquali.

Sic de Alexandro Magno proditum ab Arriano eſt, y) eum, cum ſacrificium aliquando Diis, quibus conſueverat, feciſſet, epulum inſtrui curaſſe publicum, (θοίνην δημοτελῆ) cui novem convivarum millia adfuerint. Accubuiſſe ipſum pariter, omnesque circa eum Macedonas, deinde Perſas, ac deinceps reliquis e gentibus complures, prout quisque aut dignitate, aut virtute bellica illuſtris eſſet. Idem de

y) De *Expedit. Alex.* p. 288. ed. Gron.

de eodem: z) Τεθυκὼς τοῖς Θεοῖς τάς τε νομιζομένας θυσίας ἐπὶ ξυμφοραῖς, καὶ τινα καὶ ἐκ μαντείας, εὐωχεῖτο ἅμα τοῖς φίλοις, καὶ ἔπινε πόῤῥω τῶν νυκτῶν. *Quum Diis conſuetas ſibi pro felicibus ſucceſſibus hoſtias ſacrificaſſet, nonnullasque ex vatum monitu adjeciſſet, cum amicis epulatus eſt, compotationemque in multam noctem produxit.* Quod ſi vero quis ſacrificiorum, quæ obtulerat, reſidua ad epulum ſacrum non adhiberet, ſed ex venditis lucrum captaret, illiberalis habebatur atque ſordidus, qui Triballorum viveret moribus. a) Cibis ubi repleti eſſent convivæ, vinum illis infundebatur. Libandum vero ex illo erat tribus poculis Jovi Servatori, Bono Genio & Mercurio, quibus aliqui Heroas etiam addunt. b) Id Homero ἐπάρξασθαι δεπάεσσι, *auſpicari poculis* dicitur:

z) Lib. cit. p. 306. ſq.
a) Theophraſt. in *Character. eth.* c. XXIII. Athen. *Dipnoſoph.* l. XV. p. 671.
b) Docet ex Plutarcho veterumque aliis Jo. Saubertus, de *ſacrific.* c. XXVI. p. 693. ſqq. Cf. Er. Schmid. ad Pindari *Iſthm.* p. 112. ſqq.

tur: c) Reſpicitque eandem ad conſuetudinem, imo ad epulas Græcorum ſacras in univerſum, Apoſtolus, d) quando Ὀυ δύνασθε, ait, ποτήριον Κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον δαιμονίων. Ὀυ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* In his enim uti *participem eſſe menſæ dæmoniorum* eſt cibis, ſpeciatim carnibus veſci illis, ex quibus pars magna Diis oblata fuit fictis: ita *poculum bibere dæmoniorum* eſt vinum bibere illud, ex quo Diis libatum fuit non ſuper altare modo, dum adoleretur hoſtia, ſed etiam in convivio. Poſſis tamen ſpecialius etiam *poculum dæmoniorum* de illo ipſo intelligere vini poculo, quod ad libationem modo dictam adhibebatur. Nam ex eo, priuſquàm libatio fieret, convivas ſingulos aliquantulum hauſiſſe, apparere mihi videtur ex hiſce Arriani: e) Καὶ ἀπὸ

c) *Il.* I. v. 471.
d) 1. Corinth. X. v. 21.
e) De *Exped. Alex.* l. VII. p. 288.

τῷ αὐτῷ κρατῆρος αὐτός τε καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἀρυόμενοι, ἔσπενδον τὰς αὐτὰς σπονδὰς, καταρχομένων τῶν τε Ἑλλήνων μάντεων καὶ τῶν μάγων. *Tum ex eodem cratere & rex, & qui circa illum accumbebant, haurientes*, ſive *ſorbentes* aliquid (nam ἀρύεσθαι de eo quoque dicitur, qui ore ſuo aliquid haurit, f) ſorbet, lambit) *libamenta fuderunt eadem, vota nuncupantibus vatibus Græcis atque Magis.* Sed permitto lubens hoc quicquid eſt conjecturæ doctiorum examini & judicio. Porro laudes inter pocula cantabantur Deorum, quibus ſacrificatum erat. Homerus: g)

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν,
Μέλποντες Ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

Illi igitur totum diem cantu Deum placabant,
Pulcrum canentes pæana, pueri Achivorum,

Can-

f) Exemplum hujus ſignificatus apud Ælianum extat, *Hiſt. var.* l. XIII. c. 22.
g) *Iliad.* I. v. 472.

Cantu celebrantes longe jaculantem (Apollinem) : *Ille autem animo delectabatur audiens.*

Arrianus: h) Κατέχει δὲ λόγος, τὲς μεταχόντας τῆς θοίνης πάντας μίαν τε σπονδὴν σπεῖσαι, καὶ ἐπ᾽ αὐτῇ παιανίσαι. *Memorant vero, convivarum, qui epulo huic ſacro interfuere, omnes eandem libationem feciſſe, eundemque pæanem ceciniſſe.* Vino liberaliter hauſto, ludis ſeſe dabant convivæ, illi præſertim talorum. Plato : i) Εισελθόντες δὲ κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας τε τὲς παῖδας, καὶ τὰ περὶ τὰ ἱερεῖα χεδόν τι ἤδη πεποιημένα, ἀςραγαλίζοντάς τε δὴ καὶ κεκοσμημένες ἅπαντας. οἱ μὲν ἔν πολλοὶ ἐν τῇ αὐλῇ ἔπαιζον ἔξω. οἱ δέ τινες τε̃ ἀποδυτηρίε ἐν γωνίᾳ ἠρτίαζον ἀςραγάλοις παμπόλλοις, ἐκ Φορμίσκων τινῶν προαιρέμενοι. τέτοις δὲ περιέςασαν ἄλλοι θεωρε̃ντες. *Ingreſſi juvenes invenimus, qui ſacrificaverant, & ſacra ferme peracta deprehendimus; illos autem comtos calculis taliſque ludentes. Ac plerique quidem in ipſo ludebant veſtibulo; nonnulli*

h) Loco cit.
i) In *Lyſide* p. 107.

nulli vero alii in angulo quodam apodyterii pari impari ludebant, calculos e calathis quibusdam deligentes. Hos ſpectantes alii circumſtabant. Domum e convivio priusquam diſcederetur, cubitumque iretur, nova ſuſcipienda erat ſacrificatio, conjecta in ignem altaris lingua victimæ, quæ ſervata ad hoc fuerat, ſuperfuſoque vino aliquo. Hoc nimirum munere placare ſtudebant convivæ atque venerari cum Deos alios, ſi qua forte abuſi inter pocula linguis ſuis fuiſſent ad maledicendum conviciandumque ſive Diis ipſis, ſive hominibus, tum præſertim Mercurium, qui & eloquentiæ, (quocirca ſacræ ei linguæ erant) & ſomno, quem placidum ſibi contingere optabant, præeſſe putabatur. Mos fuit perantiquus, quippe Homero jam memoratus. Apud hunc enim Minerva, perſonam gerens Mentoris, Neſtori, poſt celebratum δαῖτα θεῶν, *Deorum epulum*, ſic præcipit: k)

'Αλλ'

k) *Odyſſ.* III. v. 332. ad quem locum, præter Scholiaſten minorem, Euſtathius conſulendus

Ἀλλ' ἄγε, τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράαθε δὲ οἶνον,
Ὄφρα Ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα.

Sed agite, ſecate quidem linguas, & miſcete vinum,
Vt Neptuno aliisque immortalibus
Vbi libaverimus, de lecto cogitemus.

Cui præcepto morem gerentes convivæ, l)

Γλώσσας ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιςάμενοι δ' ἐπέλειβον.

Linguas in ignem conjecerunt, ſurgentesque libarunt.

Quod autem Mercurii potiſſimum in honorem crematæ linguæ ſint, Athenæus docet. m) Ἔσπενδον δὲ ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες, καὶ τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο Ἑρμῇ, καὶ οὐχ ὡς ὕςερον Διῒ τελείῳ. δοκεῖ γὰρ Ἑρμῆς ὕπνου προςάτης εἶναι. σπένδουσι δ' αὐτῷ καὶ ἐπὶ ταῖς γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες· προσνέμονται δ' αὐτῷ αἱ γλῶσσαι, διὰ τὴν ἑρμηνείαν. *Libabant*

dus. Cf. Apollon. Rhodium *Argon.* l. I. v. 516. ſqq. ejusque ſchol.

l) *Ibid.* v. 341.

m) *Dipnoſoph.* l. I. p. 16.

antiqui *poſt cœnam*, (præſertim ſacram) *cum cœtus jam diſſolveretur, Mercurio quidem, non, ut poſtea fieri conſuevit, Jovi Teleo. Putatur enim Mercurius ſomni eſſe præſes. Libabant vero ei* vino ſuper linguas (hoſtiarum) affuſo, *e cœna diſcedentes. Mercurio namque ſacræ linguæ ſunt, ob eloquentiam, & orationis perſpicuitatem.* Domum tandem abeuntes, e ſacrificio, præſertim ex libis, rebusque conſecratis aliis nonnihil ſecum referebant, appellantes id ὑγιέιαν, quoniam ad *ſanitatem* putabatur facere. Explicabimus conſuetudinem verbis Caſauboni, n) Heſychii o) & Athenæi p) teſtimoniis nixi. „Moris fuit „apud veteres, ut qui Deorum tem„pla adirent, domum inde aliquid re„ferrent bonæ ſcævæ gratia: puta vel „libi fruſtulum, vel unguenti aliquid, „vel denique frondem virentem. Va„letudini conducere illud quicquid eſ„ſet, quod e loco ſacro ſuſtuliſſent, „publicus fuit populorum Græciæ „er-

n) *Animadverſ. in Athen.* l. III. c. XXIX.
o) Voce ὑγίεια.
p) *Dipnoſoph.* l. III. p. 115.

„error: propterea decermini illi fecerunt nomen ὑγίεια, *ſanitas* - - videtur tamen fuiſſe liberum, vel ibi „ſtatim abſumere, vel diutius ſervare „apud ſe.

§. XXIII.

Expoſitis jam ritibus illis, quos in victimis immolandis comedendisque obſervarunt Græci, de ſacrificantibus quoque (quo nomine offerentes potiſſimum deſigno) aliquid dicendum eſt, ut qualiter illos ſeſe gerere in re divina oportuerit, appareat. Primum igitur, ut veſtibus & coronis induti redimitique eſſent requirebatur convenientibus. Convenientes autem veſtes Superiorum in ſacris albæ erant, Inferorum contra in cærimoniis nigræ. Nam idem plane, qui ſacerdotes, offerentes decebat habitus. De veſtitu ſacris operantium albo ſupra jam expoſitum eſt. q) De atro vero ad teſti- *Offerentium veſtitus & officia.*

 mo-

q) P. II. c. I. §. X. Adde teſtimoniis ibi citatis illa Ovidii, *Metam.* X, v. 431.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres

Illa

monium vocamus Senecam tragicum, qui de viro Plutoni Inferiſque reliquis ſacrificium apparante, r)

Ipſe, ait, *funeſto integit*
Vates (*Sacerdotem* vocaverat paullo ante) *amictu corpus*, *&* *frontem quatit:*
Lugubris imos palla perfundit pedes:
Squalente cultu mœſtus ingreditur ſenex.

Sed & coronis cingere debebant caput rem ſacram facturi. Ἐυανθέστερον γὰρ καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς Θεοῖς στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας. *Magnificentius enim eſt*, *magisque Diis placet*, *coronæ redimiti ſiſint*, *qui ſacrificant*, inquit Athenæus. s) Coronæ autem convenientes eæ reputabantur, quæ ex frondibus arboris, ei, cui ſacrificant-

---

Illa, quibus nivea velatæ corpora veſte,
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Et *Faſt.* IV. v. 619.

Alba decent Cererem: veſtes Cerealibus albas
Sumite. nunc pulli velleris uſus abeſt.

r) In *Oedipo* v. 552.
s) *Dipnoſoph.* l. XV. p. 674.

candum erat, numini peculiariter conſecratæ, eſſent concinnatæ. Hinc in ſacris Jovis atque Cereris corona utendum erat querna, in Veneris & Bacchi, myrtea, in Cybeles, pinea, in Apollinis, laurea, in Herculis populea; t) ſed in illis Inferorum taxea. Seneca de eodem ſacerdote ſene: u)

Mortifera canam taxus adſtringit comam

Applicabantur vero coronæ vel ſummo tantum capiti, ſive vertici, vel fronti ac temporibus, vel denique collo circumponebantur, teſtante Apollonii Scholiaſte. x) Hoc igitur habitu ornatuque templum ingreſſis manus lavandæ erant e χέρνιψι, de quibus mox dicemus, corpusque aſpergendum ex περιῤῥαντηρίῳ, ad principia partis fani ſanctioris poſito. y) Nam ſacra manibus tractare illotis, ſummum erat nefas. Quamob-

t) Vid. Pfeiff. *Ant. Gr.* l. I. c. 34. ubi ex teſtimoniis veterum idoneis ſingula oſtenduntur. Cf. harum *antiquit.* P. II. c. I. §. X.

u) Loco cit. v. 555.

x) Ad *Argonaut.* l. II. v. 159. p. m. 171.

y) V. p. I. c. VI. §. XII.

obrem diligenter præcipit Heſiodus: z)

> Μηδὲ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
> Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
> Ου γάρ τόιγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δε τ' ἀράς.

> *Neque unquam mane Jovi libato vinum nigrum*
> *Manibus illotis, neque aliis Immortalibus.*
> *Neque enim illi exaudiunt, reſpuunt vero etiam preces.*

Hinc vereri ſeſe ait Hector a)

> Χερσὶν ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον.
> *Manibus illotis Jovi libare nigrum vinum.*

Inter ſacra vero ipſa ſilentium ſervare oportebat, vel a verbis ſaltem male ominatis abſtinere, tum eos, pro quibus ſacrificium fiebat, tum ceteros, qui intererant, omnes, ſicuti moniti fuerant a præcone. b)

§. XXIV.

z) *Op. & di.* v. 724. Cf. Dionyſ. Halic. *Ant. Rom.* l. VII. p. 478.

a) Apud Homerum *Il.* VI. v. 266.

b) V. P. II. c. II. §. III.

§. XXIV.

Sacrificiorum inſtrumenta atque vaſa.

Inſtrumenta, atque vaſa, quibus ad ſacrificia ſacrorumque apparatum uſi Græci ſunt, hæc recenſet Julius Pollux: c) Σχίζαι, σφαγίδες, κοπίδες, πελέκεις, ὀβελοὶ, λίκνα, κανᾶ, χέρνιβες. *Ligna fiſſa, cultri, mucrones, bipennes, verua, vanni, gutturnia.* Quibus addi poſſunt περιῤῥαντήρια, σφάγια, ſeu σφαγεῖα, θυμιατήρια & σπονδεῖα. *Aquiminalia, vaſa ſanguini excipiendo inſervientia, acerræ, & vaſa libatoria.* Σχίζαι *ligna fiſſa* ſunt, eaque arida, ex quibus pyra ſtruebatur ſuper altare, ad cremandas partes ſacrificales: d) Σφαγίδες, *cultri mactatorii*, quibus coqui etiam utebantur. e) Romani veteres *ſeceſpitas* dixerunt: f) Κοπίδες, explicante Curtio, g) *gladii leviter curvati, falcibus ſimiles.* Xenophon h) ψιλὰς μαχαίρας, *gladios* vocat *exiles.* Adhibitum videtur hoc cultrorum genus ad ſecandas

c) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 29.
d) V. §. XX.
e) Suid. voce σφαγίδιον.
f) V. Feſtum de *Verb. ſignif.* hac voce.
g) Lib. VIII. c. 14.
h) De *inſtitut. Cyri* l. IV. p. III. coll. cum l. I. p. 5.

das carnes ſacrificales. Πελέκεις, *bipennes* dicuntur, quibus tendines cervicis hoſtiæ, σκυτάλη ſive ῥοπάλῳ percuſſæ, incidebant: i) Ὀβελοὶ, *verua*, ſive ferra in ſummo acuminata, jaculo ſive ſagittæ ſimilia, niſi quod multo esſent longiora, quibus carnes figebant, epuli ſacri cauſſa aſſandas. k) Λίκνα, *vanni* proprie ſunt, ſive vaſa viminea, quibus frumentum ventilatur, panes, bellaria, aliaque id genus ad menſam apportantur; l) Sed in ſacris λίκνα vocantur, in quibus vel primitiæ frugum, vel τὰ μυστικὰ Bacchi, aut Cereris, aut aliorum etiam Numinum geſtantur: Κανᾶ vero *caniſtra*, in quibus flores atque ſpicæ, in pompa Eleuſinia, nobilisſimis a virginibus, quæ propterea Κανηφόροι dicebantur. m) Χέρνιβες, ſive, ut

i) Vid. §. XVIII.
k) Euſtath. ad *Il.* I. f. 136.
l) Pollux l. VI. c. XII. ſegm. 86. Cf. Æliani *Hiſt. var.* l. I. c. 33.
m) De λίκνοις & κανοῖς prolixe diſſerit Spanhemius ad *hymnum Callim in Cererem*, v. 1. 3. & 127. Cf. Commentatores reliquos.

ut Philoxenus vocat, n) χέρνιβα, *gutturnia* ſunt, ex quibus aqua manibus affunditur lavandis. De περιῤῥαντηρίοις non habeo quod addam ſuperius dictis. o) De σφαγίῳ Pollux: p) Σφάγιον, ἐν ᾧ ὑποδέχονται τὸ αἷμα τῶν ἱερείων. Σφάγιον *vas eſt, quo ſanguinem excipiunt victimarum.* Θυμιατήρια *acerræ* ſunt prunis capiendis aptæ. q) Vſi illis videntur ſacerdotes, ſi aliis etiam templi in locis, quam ad aras, odoribus vellent fumificare. Σπονδεῖα, quæ & λοιβεῖα dicta, *vaſa* erant *libatoria*, ex quibus vinum in altare effundebatur pro libamine. Homero dici ſolent δέπα: quæ vox quum de crateribus etiam ſive poculis uſurpetur; conjicere hinc licet, σπονδεῖα poculis fuiſſe ſimilia. Latini *ſimpula* appellabant & *ſimpuvia.* Feſtus: r) *Sim-*

n) In *Gloſſario*, p. 659. ubi χέρνιβον *trulleum* exponitur. Cf. Pollucem l. X. c. XVIII ſegm. 65.

o) P. I. c. VI. §. XII.

p) *Onomaſt.* l. X. c. XXIV. ſegm. 97. Cf. Heſychium & §. hujus cap. XVIII.

q) Pollux l. I. c. I. ſegm. 4.

r) De *Verb. ſignif.* V. *Simpulum. Simpuvii* voce Juvenalis *Sat.* VI. v. 342. & Arnob. *adv. gentes*

Simpulum vas parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur: unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur.

§. XXV.

Tempus ſacrificiorum. Tempus ſacrificandi vel ſtatum erat certumque, ut in ſolennitatibus anniverſariis, aut certo ſaltem tempori adſtrictis, ut neomeniis, Panathenæis cet. vel incertum, ex voluntate pendens vel offerentium, vel eorum, qui ſacrificia imperare poterant aliis. Principes atque locupletiores ſacrificia Diis multo offerebant crebrius, quam privati homines minusque divites. Sic de Alexandro Macedone Arrianus ſcribit, s) quod ſacrificare conſueverit diebus ſingulis. Ratione ſpatii νυχθημέρȣ habita, Diis ſuperis tempore matutino, Inferis vero, imo & mortuis veſpertino, vel & nocturno ſacra ſolebant fieri. t)

§.XXVI.

tes l. VII. p. 235. uſi ſunt. Cf. de inſtrum. vaſisque hoc §. recenſitis Pfeiff. *Ant. Gr.* l. I. c. 35. 36.

s) De *expedit. Alex.* l. VII. p. 307.

t) Obſervat ex Scholiaſte Apollonii Potterus *Ar-*

§. XXVI.

Tandem illud quoque non indignum videtur obſervatu, ſacrificiorum alia *privata* fuiſſe, quæ pro hominibus ſingularibus, aut paucis ſaltem, alia vero *publica*, quæ pro gente, cœtu aut ſocietate fierent integra. Poſterius genus θυσίας κοινὰς, *ſacrificia* vocabant *communia*, u) & ἱερεῖα δημόσια *ſacrificia*, ſive *hoſtias publicas*. De his quale fuerit Athenienſium inſtitutum, juvabit fortaſſis e Xenophonte cognoſcere. x) Θυσίας, δὲ καὶ ἱερὰ, καὶ ἑορτὰς, καὶ τεμένη, γνοὺς ὁ δῆμος, ὅτι οὐχ οἷόν τε ἐςὶν ἑκάςῳ τῶν πενήτων θύειν, καὶ εὐωχεῖσθαι, καὶ κτᾶσθαι ἱερὰ, καὶ πόλιν οἰκεῖν καλὴν καὶ μεγάλην, ἐξεῦρεν ὅτῳ τρόπῳ ἔςαι ταῦτα. Θύουσιν οὖν δημοσίᾳ μὲν ἡ πόλις ἱερεῖα πολλὰ, ἔςι δὲ ὁ δῆμος ὁ εὐωχούμενος, καὶ διαλαγχάνων τὰ ἱερεῖα.

Sacrificia vel privata erant vel publica.

Archæol. Gr. l. II. c. IV. p. 237. Adde illud Virgilii, *Æn.* VI. v. 252.

Tum Stygio regi nocturnas incoat aras.

u) Vſus hac appellatione Ariſtoteles eſt *Polit.* l. VI. c. 8.

x) De *republ. Athen.* p. 696. Cf. quæ de ſacris publicis privatisque Spanhemius obſervavit ad *Callim.* p. 691.

Jam ſacrificia, fana, feſta, lucos & delubra quod attinet, quia populus intelligebat, non poſſe quemvis pauperem ſacrificare, epulari, fana ſua posſidere, civitatem pulcram & amplam incolere: quo pacto hæc quoque fierent, excogitavit. Itaque civitatis ſumtu multæ hoſtiæ publice mactantnr, & populus eſt is qui epulatur, & ſorte victimas inter ſe partitur. Sacrorum, pro cœtu aut ſocietate aliqua factorum, exempla præbent illa τῶν Φρατριῶν aut συνοικιῶν, *curiarum* aut *ſimul cohabitantium*, & Χαλκεῖα quæ dicebantur, *artificum* ſeu *fabrorum.* y)

§. XXIIX.

Primitiæ Sacrificiis *primitias*, (Græcis ἀπαρχὰς, ἄργματα & ἀπάργματα dictas) z) merito jungimus, atque *decimas* (τὴν δεκάτην). Primitias partem vocamus frugum fructuumque, quos meſſuerant collegerantque homines, Numini alicui ideo conſecrari exhiberique ſolitam, ut & fruges ſeſe omnes divinæ debere beneficentiæ, & gratum erga

y) Vid. de illis Spanhem. l. c.
z) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 28.

erga Numen animum profiterentur teſtatumque facerent offerentes. Nam ſic utique decere exiſtimabant Græci veteres, τοῖς Θεοῖς ἀφ᾽ ὧν ἔδωκαν τοῖς ἀνθρώποις ὠφελίμων εἰς τὸν βίον, ἀπαρχὰς ποιεῖσθαι, *ut iis ex rebus, quas ad vitam utiles largiti humano generi eſſent Dii, primitias eis afferrent.* a) Antiquiſſima Græcorum ſacrificia, ſicuti ex iis, quæ de priſca illorum ratione ex Porphyrio §. III. attulimus, conſtare poteſt, ſolis hiſce abſolvebantur primitiis. Placuit vero retinere eas poſtea quoque quam ſacra fieri cœpiſſent ex animalibus. Hinc præceptum de primitiis cum illo, quod ad ſacrificia pertinet cruenta, conjungit Epictetus. b) Σπένδειν δὲ, καὶ θύειν, καὶ ἀπάρχεσθαι, κατὰ τὰ πάτρια, ἑκάστοις προσήκει, καθαρῶς, καὶ μὴ ἐπισεσυρμένως, μηδὲ ἀμελῶς, μηδὲ γλίσχρως, μηδὲ ὑπὲρ δύναμιν. *Libandum autem, & ſacrificandum & offerendæ primitiæ ſunt unicuique ritu patrio, pure, non languide, nec indiligenter, nec illibe-*

a) Verba ſunt Porphyrii de *abſtin.* l. IV. p. 431.
b) *Enchirid.* c. XXXVIII.

raliter, nec ſupra facultates. Conſtabant autem primitiæ ἐκ τῶν δραγμάτων, καὶ τῶν ἀκροδρύων, uti ex Porphyrio diſcimus c) Sunt vero δράγματα *ſpicarum manipuli*, d) ἀκρόδρυα, *fructus arborum* omnis generis. e) Offerri ſolebant poſt finitam meſſem, vindemiam, fructuumque ex arboribus collectionem, maxima quidem cum ſolennitate, adeo ut feſta etiam ejus oblationis cauſſa celebrarentur ſingularia: cujusmodi feſta Θαλύσια erant & Θαργήλια, quæ & nomina ſua ex primitiis (his enim θαλυσίων quoque & θαργηλίων tributæ appellationes ſunt) f) habuerunt. Offerebantur autem Cereri potiſſimum, quæ & fruges credebatur inveniſſe, & curam earum gerere ſingularem; Apollini item & Dianæ. De primitiis Cereri exhibitis clare teſtatur Theocritus, qui g) 'A

c) De *abſtinent.* l. II. p. 186.
d) V. Pollux *Onomaſt.* l. I. c. XII. ſegm. 222. & l. II. c. IV. ſegm. 147.
e) V. Heſych. voce ἀκρόδρυα, & cf. Dion. Petavii *notas in Syneſium*, p. 28.
f) Heſych. voce Θαλύσια & *Etymol. magnum*, V. Θαργήλια. Cf. Meurſii *Græc. fer.* p. 142. ſqq.
g) *Idyllio* VII. v. 31.

Ἁ δ' ὁδὸς, inquit ἅδε θαλύσια· ἦ γαρ ἑταῖροι
Ἀνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι,
Ὄλβω ἀπαρχόμενοι· μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
Ἁ Δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.

Iter vero hoc nobis eſt ad Thalyſia. Sane enim amici
Viri epulum parant Cereri, peplo ornatæ pulcro,
Opum primitias offerentes. Nam ipſis valde pingui menſura
Dea frumento abundantem complevit aream.

Apollini & Dianæ primitias illas, quæ θαργήλια nuncupabantur, conſecrari moris erat: h) mittebanturque eisdem, Apollini præſertim, in Delum inſulam quotannis δεκατηφόροι ἀπαρχαὶ, uti vocat Callimachus, i) καλάμη τε καὶ ἱερὰ δράγματα ἀσταχύων, *decimiferæ primitiæ, culmi*, ſive *ſtipulæ*, (quibus partes hoſtiæ alicujus proſiciæ

 in-

h) Meurſius l. c.

i) Hymno *in Delum* v. 278, 283, 284. Videndus ibi, præter commentatores ceteros, Spanhemius.

involutæ) *& ſacri manipuli ſpicarum,* non ſolum ab inſulis civitatibusque vicinis, verum etiam ab ipſis Hyperboreis. Officio perſolvendi primitias ſiquis deeſſet, irreligioſus cenſebatur. Porphyrius: k) Οἱ μὲν ἄθυτοι φαίνονται γενέσθαι τινὲς, ἐδεμίαν ἀπαρχὴν τῶν ὑπαρχόντων ποιέμενοι τοῖς Θεοῖς. *A ſacris alieni videntur nonnulli, facultatum ſuarum primitias nullas Diis exhibentes.*

§. XXVIII.

Decima. Præterea vero δεκάτην ἀποθύειν, *decimam offerre* l) in officiis numerabatur religionis. Solvebantur autem decimæ vel ex agrorum fructibus, vel ex facultatibus univerſis, vel ex bonis publicatis, vel ex lucro mercatorio, vel ex metallis, vel denique ex rebus hoſti ereptis. (1) Ex *agrorum fructibus.* Ita Xenophon ex agro circa Sciluntem (oppidum hoc erat Eleæ, prope Olympiam, in quo exſul aliquamdiu vixit Xenophon) decimas fructuum ſacris Dianæ faciendis ſeſe impendiſſe, & futuris

k) De *abſtinent.* l. II. p. 131. ſq.
l) Pollux in *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 27.

turis a poſſeſſoribus idem uti fieret, lege ſanxiſſe, ipſe refert. m) Eodem de genere decimas intelligo illas, quas Minervæ, & quinquageſimas, quas ceteris Diis conſecratas Athenis fuiſſe ſcribit Demoſthenes. n) (2) Ex *facultatibus* in univerſum. Tales decimæ erant illæ, quas Piſiſtrati tyranni temporibus Athenienſium ſingulos oportebat pendere, non quidem ut tyrannus inde uſum caperet, ſed ut ſacrificiis publicis, commodis communibus, belloque, ſi quod forte ingrueret, gerendo inſumerentur. o) Perſolvebat enim eas quisque ex ſuo κλήρῳ, quod vocabulum de opibus reditibusque generatim omnibus poteſt accipi. Sic Rhodopis etiam, meretrix celebris, ex opum ſuarum, quas ingentes comparaverat, parte decima verua curavit confici, ad boves torrendos,

m) De *expedit. Cyri*, l. V. p. 350. ſq.
n) Orat. *adv. Timocratem*, p. 477.
o) Ipſe certe Piſiſtratus hiſce uſibus decimas Athenienſium deputari, Soloni confirmat in *epiſtola* ad eundem perſcripta, apud Diog. Laert. in *Solone* p. 36.

eaque Delphos miſit: p) (3) Ex *bonis publicatis.* Apud Athenienſes certe decreto ſingulari conſtitutum fuerat, ut ſi quis damnatus injuriæ populo illatæ fuiſſet, ipſe in Barathrum conjiceretur, bona vero ejus publicarentur, καὶ τῆς Θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον εἶναι *decimamque illorum Minerva acciperet.* q) (4) Ex *lucro*, quod fecerant *mercatores.* Ita Samii e decima quæſtus ingentis, quem ex mercibus Tarteſſo advectis, fecerant, ahenum aliquod magnum & affabre elaboratum conflari curarunt, idque in templo Junonis collocarunt, ſuppoſitis illi coloſſis tribus ſeptenum cubitorum, qui ſuſtinerent. r) (5) Ex *metalli fodinis.* Ita Siphnii ex decima parte pecuniarum, quas ex metallis inſulæ ſuæ (eſt hæc una e Cycladibus) aurariis argentariisque fecerant, theſaurum Delphis, juſſu quidem Apollinis, repoſuerunt, locupletiſſimo cuique parem s). (6), &

p) Herodotus l. II. c. 135.
q) Xenoph. *Hiſt. Gr.* l. I. p. 450.
r) Herodot. l. IV. c. 152.
s) Idem l. III. c. 157. Pauſan. in *Phoc.* c. XI. p. 823.

& omnium quidem maxime, iis ex *rebus*, quæ *captæ* fuiſſent *ab hoſtibus*, ſive fundi eſſent, ſive aurum, argentum, æs aut ejus generis alia. Sic Athenienſes, Lesbo capta, ex fundis in ter mille partes diviſis partes trecentas, adeoque decimas, Diis conſecrarunt. t) Græci univerſi, copiis Perſarum ad Platæas profligatis, decimam e ſpoliis delegerunt, aureumque inde tripodem conflatum in templo Delphorum dedicarunt. u) Tanagræi, in Bœotia, Lacædemoniorum ſocii, victis Athenienſibus Argiviſque, phialam auream Jovi conſecrarunt Olympio, ex parte manubiarum decima confectum. x) Athenienſes ex *pretio*, quo *redemti* ab ipſis fuerant Chalcidenſium & Bœotiorum captivi, parte decima quadrigam fecerunt æneam, eamque Palladi dedicatam in propylæis arcis ſtatuerunt. y)

t) Thucyd. *Hiſt.* l. III. p. 207.
u) Diod. Sic. *Biblioth. hiſt.* l. XI. c. 33. Cf. caput ejusdem libri 16.
x) Pauſan. *Eliac. pr.* c. X. p. 398.
y) Herod. l. V. c. 77. Plura de Græcorum decimis

CAPVT II.

DE PRECIBVS, DIRIS, VOTIS, HYMNIS, ATQVE JVREJVRANDO.

§. I.

Preces quid, & earum nomina.

Poſt ſacrificia officium cultus divini præcipuum in precibus ſitum eſſe putabatur, adeo ut Euthyphron, apud Platonem, a) ſanctitatem omnem in *ſacrificando* conſiſtere dicat & *precando.* Vocamus autem preces orationem, qua Deos precabantur homines, ut mala quidem averterent, bona vero largirentur, b) vel & de bonis conceſſis gratias eiſdem agebant. Nomina hæc ſunt: Ἐυχαὶ, προσευχαὶ, ἔυγματα, δεήσεις, ἱκεσίαι, ἱκετέιαι, αἰτήματα, λιταὶ, ἀχαί. Gra-

mis legi poſſunt in Jo, Seldeni *diſſert. de decimis*, Jo. Clerici *Commentario Pentat.* ſubjuncta. Cf. Potteri *Archaeol. Gr.* l. II. c. IV. p. 246.

a) In *Euthyphr.* p. 53.

b) Xenophon in *Convivio*, p. 887. Πάντες γȢν ἀιτȢνται τȢς Θεȣς τὰ μὲν Φαῦλα ἀποτρέπειν, τἀγαθὰ δὲ διδόναι. *Deos precantur univerſi, ut mala quidem avertant, bona vero largiantur.*

Gratiarum actio vero ἐυχαϱιςία diceebatur.

§. II.

A gratiarum actionibus ſi diſceſſeris, poſſunt preces in claſſes tribui duas. Quædam enim ad mala omnis generis avertenda pertinebant: quæ ſi ad famem ſpeciatim, peſtem & malas tabes depellendas ſpectarent, καθαϱκτικαὶ nuncupabantur. Aliis vero bona a Diis impetrare ſtudebant homines: quæ ſi ad fructus agrorum, pecorumque fœturas augendas maturandasque conciperentur, dici ſolebant ζωοποιοί. c) *Claſſes precum duæ.*

§. III.

Vis & efficacia precibus tribuebatur admirabilis, adeo, ut nihil ſine illis ſuſcipi atque geri proſpere poſſe exiſtimaretur. Jamblichus virtute preces eſſe ait ea, d) ut notitiam rerum divinarum hominibus conciliare valeant, dona invitare a Diis demiſſa, etiam *Precum vis & efficacia.*

c) V. Th. Gale *notas in Jamblichum de myſter.* p. 282.

d) De *myſter.* ſect. V. c. XXVI. ubi pluribus verbis hæc exponuntur.

etiam antequam loquantur homines, omne opus eorum perficere, atque facere, ut in Diis acquieſcant mortales, amicitiam Deorum parere, intellectum illuminare, animam ad divina ſuſcipienda capaciorem reddere, mores divinos amoremque divinum hominibus inſerere, eosdemque cum Deo conjungere. Conſentaneam vero, magna ex parte, huic philoſophi ſententiæ multitudinis etiam fuiſſe opinionem, dubitare facile non poterit, qui ipſum uſum vitæ Græcorum conſideraverit.

§. IV.

Precum occaſiones & tempora.

Itaque nemo facile Græcorum rem aggrediebatur ullam, niſi Numen prius aliquod rite invocaſſet. Plato: e) Πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος Θεὸν ἀεί που καλοῦσι. *Omnes, quibus non plane mens deeſt ſana, in operis cujuslibet vel magni vel parvi exordio Deum invocare ſolent ſemper.* Nam πάντας, ut phraſi

e) In *Timæo* p. 526.

ſiutar Homerica, f) Θεῶν χατέειν ἀνθρώπους, *omnes homines Diis indigere*, neque proſpere quidquam, absque illorum ope, poſſe gerere, antiquiſſima fuit gentis Græcæ opinio. Hinc Neſtor, legationem ad Achillem obiturus, g) Priamus, cadaver filii ab eodem repetiturus, h) Vlyſſes, caſtra Trojanorum exploraturus, i) Telemachus, navigationem Pylum verſus ſuſcepturus k), preces fuderunt ante, quam ad propoſita exſequenda accederent. Et Iſchomachus, vir honeſtus, ſe inſtitutionem uxoris in rebus, quæ ad curam rei familiaris pertinerent, nunquam aggreſſum eſſe profitetur l) prius, quam rem ſacram feciſſet, precatusque eſſet, ut quæ utrique eſſent optima tum ipſe doceret, tum ex ipſo illa diſceret. Sic & in more habebant nautæ, pri-

f) *Odyſſ.* III. v. 48.
g) Hom. *Il.* IX. v. 172.
h) *Il.* XXIV. v. 306. ſqq.
i) *Il.* X. v. 277. ſqq.
k) *Odyſſ.* II. v. 260. ſqq. Cf. Everh. Feithii *Antiqu. Hom.* l. I. c. VII. p. 37.
l) Apud Xenoph. *Memorab.* l. V. de *admin. domeſt.* p. 836.

priusquam e portu ſolverent, a Neptuno; agricolæ ante ſationem a Cerere; ad bellum proficiſcentes a Marte; iter ingredientes ab Apolline & Mercurio, viarum præſidibus; litterum ſtudia tractantes, cum carmen aliquod ſcribere inſtituerent, ab Apolline & Muſis; athletæ, ſortem de certaminis ſocio ducturi, a Jove m) ſucceſſum negociorum felicem, eventumque votis ſuis reſpondentem precari. Præcipue vero in ſacris vel incoandis, vel mediis, vel jam finitis, aut mox finiendis precationem fieri neceſſe erat. Jamblichus: n) *Μέρος τῶν θυσιῶν οὐ τὸ σμικρότατόν ἐστι τὸ τῶν εὐχῶν, συμπληροῖ τε αὐτὰς ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ διὰ τούτων κρατύνεται αὐτῶν, καὶ ἐπιτελεῖται τὸ πᾶν ἔργον. - - - Καὶ ποτὲ μὲν προηγεῖται τῶν θυσιῶν· ποτὲ δ' αὖ μεταξὺ διαλαμβάνει τὴν ἱερουργίαν. ἄλλοτε δ' αὐτὸ τέλος τῶν θυσιῶν ἀποπληροῖ. ἔργον τε οὐδὲν ἱερατικὸν ἄνευ τῶν ἐν ταῖς εὐχαῖς ἱκετειῶν γίνεται.* *Preces magna pars ſunt ſacrificiorum, & inprimis ea perficiunt*

m) Lucianus in *Hermot.* T. Opp. I. p. 536.
n) De *myſter.* ſect. V. c. 26.

unt, roburque & conſummationem inde habet totum eorum opus. - - - Precatio aliquando ſacrificia præcedit, aliquando media intervenit, aliquando finem complet ſacrificandi. Opus vero nullum in ſacris absque orationis interceſſione usquam efficitur. Porro mane etiam ac veſperi precibus datam fuiſſe operam, hæc Platonis arguunt: o) Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούειν τέ ἐστι καὶ ὁρᾷν Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων, ἐν ξυμφοραῖς παντοίαις ἐχομένων, καὶ ἐν εὐπραγίαις. *Quotidie, in ortu & occaſu ſolis & lunæ, Græcos atque Barbaros audire eſt & videre, Diis ſupplicantes eosque adorantes, tam adverſis in rebus, quam in ſecundis.* Denique ante prandium quoque cœnamque preces recitandæ erant; ſicuti finitis illis hymnus cantandus. Qua de re præceptum extat ſingulare Diotogenis Pythagorici. p) Καλῶς δὲ καὶ τὸ τὸν Θεὸν ἐν

o) De *legibus* l. X. p. 665.
p) Citat ex Stobæo Pfeifferus *Antiqu.* Gr. l. IV. c. 37.

ἐν ἀρχῇ τῦ δείπνυ καὶ τῦ ἀρίϛυ ἐπικαλεῖσθαι· ὐχ ὡς δεόμενον τινὸς τῶν τοιύτων· ἀλλ᾽ εἰς τὸ μνασθέντα κατακοσμηθῆναι τὰν ψυχάν. *Bene ſit etiam, ut Deus initio & cœnæ & prandii invocetur: non quaſi opus ille habeat talium aliquo, ſed ut quisque Dei recordans animo ſit compoſito.* Obſervatum id a Naucratitis, qui, referente Athenæo, q) in Apollinis Comæi panegyri, veſtibus induti candidis, poſtquam in lectis ſeſe compoſuerant, in genua aſſurrexere, & una cum ſacro præcone, qui preces recitaret patrias conſuetasque, libarunt. De hymno vero poſt prandium cœnamve cantato, ex hiſce Xenophontis verbis liquida res eſt: r) Ὡς δὲ ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ ἔσπείσαντο, καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον Συρακύσιος ἄνθρωπος. *Menſis tandem ablatis, ac libationibus pæaneque abſolutis, Syracuſanus quidam ad comeſſationem accedit.*

§. V.

Precum formulæ. Formulas precum facile judicatu eſt

q) *Dipnoſoph.* l. IV. p. 149.
r) In *Convivio* p. 874.

eſt tempori, rei præſenti, orantium conditioni atque ſtatui fuiſſe accommodatas, adeoque varias ac diverſas. Generatim ſolebant petere, ut faverent Dii, ut ſervarent, ut opem ferrent. Eximia eſt, Platone etiam judice, s) illa', qua poëta aliquis, pro amicis inſipientibus, & quæ ipſis minime conducerent petentibus, uſus eſt formula:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις
καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδε, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν
Κελεύει.

O Jupiter rex, optima quidem nobis, & precantibus & non precantibus,
Tribue; mala autem poſcentibus quoque abeſſe
Jube.

Nervoſior etiam illa Apollonii Tyanenſis precatio: Ω Θεοὶ, δοίητε μοὶ τὰ ὀφειλόμενα. *O Dii, quæ mihi conveniunt date.* t) Breviloquentiæ Laconicæ con-

s) In *Alcibiade* II. p. 40.
t) Philoſtr. in *Vita Apollonii* l. IV, c. 40. p. 181.

conveniens ea erat oratio, qua Deos precabantur Lacedæmonii, *τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς διδόναι*, *ut pulcra* ſive *honeſta ſibi tribuerent cum bonis*. u) Cui precationi hoc etiam ſolebant addere: *τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι*, *ut ferre poſſent injurias*. x) Diſciplinam Stoicam formula ſapit illa, quam præſcribit Epictetus: y) Ἐπὶ παντὸς προχείρως εὐκτέον ταῦτα.

Ἄγε δή με, ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ ἡ πεπρωμένη,
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος,
Ὡς ἕψομαι σπουδαῖος ἠδὲ ἄοκνος,
Ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλω, οὐχ ἧττον ἕψομαι.

In quovis incepto ſic precandum eſt:
Duc me, o Jupiter, Tuque, Fatum,
Quocunque veſtro deſtinatus ſum numine,
Vt ſequar ſedulus & impiger,
Quod ſi vero nolim (ſequi), *nihilominus tamen ſequar.* z)

For-

u) Plato in *Alcibiade II.* p. 42.
x) Plutarch. in *Inſtitut. Lacon.* p. 238. ſq.
y) *Enchirid.* c. LXXVII.
z) Formulas precum alias, infinitas propemodum, apud poëtas reperire eſt, ex quibus nonnullas collegerunt Jo. Phil. Pfeifferus, *Ant*

Formulæ precum aliquæ, inprimis *αἱ καθαρκτικαί*, (V. §. II.) in templis publice deſcriptæ viſebantur. a)

§. VI.

Quemadmodum ad ſacra alia, ita ad preces quoque accedere debebat nemo, niſi qui corpore, vel manibus ſaltem, eſſet lotus, veſtibusque indutus puris. Clemens Alexandrinus: b) Ταύτῃ τοι λελουμένους φασὶ δεῖν ἐπὶ τὰς ἱεροποιΐας, καὶ τὰς εὐχὰς ἰέναι, καθαροὺς καὶ λαμπροὺς· καὶ τοῦτο μὲν συμβόλου χάριν γίνεσθαι, τὸ ἔξωθεν κεκοσμῆσθαί τε καὶ ἡγνίσθαι. *Hac ratione dicunt, oportere nos ablutos ad ſacrificia & preces ire, puros & ſplendidos,* (pura candidaque veſte amictos) *& hoc quidem fieri ſymboli ſignive gratia, eſſe ſcilicet extrinſecus ornatum & emundatum.* Hinc Penelope c)

Precatoris manus lavandæ, veſtesque puræ induendæ.

 Ὑδρη-

Ant. Gr. l. I. c. VI. & Matth. Broverius de Niedek, de *populorum vet. ac recent. adorationibus.*

a) Obſervavit ex Proclo Th. Gale in *notis ad Jamblich.* p. 282.

b) *Strom.* l. IV. p. 531.

c) Apud Hom. *Odyſſ.* IV, v. 759.

Ὑδρηναμένη, καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα,
Εἰς ὑπερῷ' ἀνέβαινε - - ἠρᾶτο δ' Ἀθήνῃ.

Lota, puriſque corpori veſtibus indutis
In cœnaculum aſcendit, - - ſupplicavitque Minervæ.

Et Telemachus d)

Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ.

Manus poſtquam laviſſet e cano mari, ſupplicavit Palladi.

§. VII.

Animus ad preces intendendus. Porro nec obiter defungendum precandi officio erat, ſed animus ad preces unice intendendus. Diligenter id præcepit Pythagoras: e) Προσκυνεῖν δὲ μὴ ἐκ παρέργου τοὺς Θεοὺς, ἀλλ' οἴκοθεν ἐπὶ τοῦτο ὡρμημένους. *Deos obiter, ac quaſi aliud agendo, ne adores, ſed domo animo accedas ad id prorſus intento.* Item: Οὐδὲ πάρεργον οὔτε εἰσιτέον εἰς ἱερὸν, οὔτε προσκυνητέον τὸ παράπαν. *Per-*

d) *Odyſſ.* II, v. 261.
e) Apud Porphyr. in *Vita Pythag.* p. 23. edit. Kittershuſ. & apud Jamblich. c. XXIII.

Perfunctorie neque in templum eundum eſt, neque adorandum omnino.

§. IIX.

Voce precantes clara uti voluerunt Pythagoræi, non quod, uti Clementi videtur Alexandrino, f) exiſtimarent, Deum non poſſe exaudire eos, qui tacite loquerentur, ſed quod juſtas vellent eſſe preces, quas non vereretur quis fundere, multis eas ſcientibus. Geſtus precantium tales erant, ut de ſumma erga Deos reverentia teſtarentur. Nam (1) manum dextram ori admotam deoſculabantur: quo ſigno magnam veteres prodere ſolebant venerationem. Lucianus: g) Ἰνδοὶ προσεύχονται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν. *Indi ſolem precantur, non quemadmodum nos manum deoſculati perfectam precationem eſſe putamus.* Idem: h) Καὶ τὴν χεῖρα τῷ ςόματι προσαγαγόντος, οὐδὲν ἀλλ' ἢ προσκυνεῖν ὑπελάμβανον. *Quum ma-*

Precantium vox atque geſtus.

f) *Strom.* l. IV. p. 543.
g) De *ſaltat.* T. Opp. I. p. 792.
h) In *encomio Demoſth.* T. I. p. 707.

manum ille ori admoveret, non aliud illum agere, quam Deum orare ſuſpicabar. Interdum & ipſius Dei, ſive ſimulacri, manum dextram exoſculabantur. Rurſus teſtatur Lucianus: i) Ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν Θεὸν, φιλήσας μόνον τὴν αὐτȣ̃ δεξιάν. *Pauper vero Deum, ejus tantummodo dextram oſculatus, propitium reddit.* Actum utrumvis verbo προσκυνεῖν deſignabant Græci, quod proprie *exoſculari* eſt. k) Aliqui etiam genua pedesve ſimulacri tangebant aut complectebantur, dum ſiniſtra manu ramos tenerent ἱκετηρίας. l) (2) Vel erecto corpore, vel genubus orabant flexis, ὀρθοὶ τὸ κρεῖττον ἐθεράπευον, ἢ ἐπὶ γόνατα πεσόντες, ut Philoſtratus m) & Plutarchus n) loquuntur. Nonnunquam & in terram proſtrati. Ovidius: o)

Vt templi tetigere gradus, procumbit uterque

Pro-

i) De *ſacrif.* T. I. p. 368.
k) V. Jo. Henr. Schulzii diſſert. ſingul. de *verbo* προσκυνεῖν.
l) Attigimus jam morem p. I. c. VII. §. XIV.
m) In *vita Apollonii* l. VI, c. 4.
n) In *Charact. eth.* c. XVII.
o) *Metamorph.* l. I. v. 375.

Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.

(3) Manus cœlum verſus attollebant expandebantque. Ariſtoteles, vel quisquis auctor eſt libri de *Mundo*: p) Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes homines manus in cœlum inter precandum tollimus.* Factitatum id jam ab antiquiſſimis fuiſſe, complura indicant Homeri loca. Sic e. c. Priamus ait: q)

Ἐσθλὸν γὰρ Διῒ χεῖρας ἀνασχέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ.

Bonum enim, Jovi manus elevare, ſi forte miſerebitur.

Et Helena in oratione ad Junonem: r)

Αἰτούμεθ', ὀρθὰς ὠλένας πρὸς οὐρανὸν
Ῥιπτοῦνθ', ἵν' οἰκεῖς ἀστέρων ποικίλματα.

Precamur, recta brachia ad cœlum
Iactantes, ubi habitas in varia ſede aſtrorum.

Vſi vero geſtu eodem, quo quidem De-

p) Cap. VI.
q) *Il.* XXIV, v. 301. cf. v. 306. *Il.* III, v. 318. XV, v. 369. & 371.
r) Apud Euripid in *Helena.* v. 1101.

Deorum ad ſedem, puta cœlum, manus protendebantur, Diique inde, ad opem ferendam, quaſi devocari videbantur, recentiores quoque ſunt. Sane enim Lucianus s) Ἡμεῖς δὲ, inquit, τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωϛον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες χεῖρας εἰς ȣ̓ρανὸν ἐκτείναντες, τȣ́τῳ εὐχαριϛήσομεν. *Nos vero illum Athenis ignotum inventum adorantes, & manus in cœlum tendentes, gratias illi agemus.* Marinos ad Deos preces qui funderent, mare verſus manus expandebant; t) demittebant vero, imo pedibus manibusve terram pulſabant Inferorum opem implorantes, ad audiendum illos excitaturi. Feciſſe hoc Cleanthem, Cicero, & matrem Meleagri, Homerus refert. Cicero: u) *Tum Cleanthem, cum pede terram percuſſiſſet, verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe:*

Audiſne hæc, Amphiarae, ſub terram abdite?

Ho-

s) In fine *Philopatr.* T. Opp. II. p. 780.
t) Hoc geſtu Achilles precatur Thetidem matrem, *Iliad.* l. v. 350. cf. Virgil. *Æn.* V, v. 233.
u) *Tuſcul. quæſt.* l. II. p. m. 1127.

Homerus: x)

Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλόια,
Κικλήσκυσ᾽ Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
Πρόχνυ καθεζομένη.

Multum autem & terram almam manibus verberabat,
Invocans Plutonem, & horrendam Proſerpinam,
In genua conſidens.

§. IX.

Precaturi ſolenniter ad templa adibant.

Denique ſolenniter oraturi ad templa ſe recipiebant: quod qui facerent dicebantur προσιέναι Θεοῖς, vel πρὸς τὺς Θεὺς, πρόσοδον ποιεῖσθαι πρὸς τὺς Θεὺς, προσφεύγειν Θεοῖς, *adire Deos, ad Deos confugere.*y) Nempe in fanis, propter ſigna illic conſtituta, magis præſentes credebantur Dii, preceſque exaudire facilius, quam alibi. Ad quam conſuetudiuem opinionemque reſpiciens

x) *Iliad.* IX, v. 564. Cf. Potterum *Archæol. Gr.* l. II. c. V, ubi de precandi & ſupplicandi ritibus copioſius exponitur. Adde Pfeifferum *Ant. Gr.* l. I. c. 6.

y) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſeq. 25.

Heſychius, z) Ναὸς, inquit, οἶκος, ἔνθα Θεὸς προσκυνεῖται. *Templum domus eſt, ubi Deus adoratur.* Hinc mulieres Trojanæ, Palladem, ut afflictis Trojanorum rebus ſuccurreret, exoraturæ, ad templum ejus, in ſumma arce, ſolenni pompa ſeſe conferunt, peplum ſecum afferentes pretioſum, ut dono aliquo favorem Deæ ſibi conciliarent. a) Imitari eas voluiſſe mulieres videntur Romanæ, quæ, quum a portis urbis prope abeſſet Hannibal, περιπορευόμεναι τὰς ναὰς, ἱκέτευον τὰς Θεὰς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη, *templa obeuntes, ſupplicarunt Diis, ædiumque ſacrarum pavimenta crinibus paſſis mundarunt.* Is namque illis mos erat, a Græcis, ut videtur, adſcitus, quoties in aliquo inſigniore & graviore periculo patria verſaretur, teſtante Polybio. b)

§. X.

---

z) Voce Ναός.
a) Apud Hom. *Il.* VI, v. 297. ſeqq. Cf. Virgil. *Aen.* II, v. 483.
b) *Hiſtor.* l. IX, c. 6. Cf. Everh. Feithii *Antiqu. Homer.* l. I. c. VII, p. 41.

§. X.

Diras, ἀρὰς, καταρὰς, exſecrationes vocabant, quibus mala ingentia imprecabantur iis, qui hoc iſtudve vel acturi eſſent, vel egiſſent, Cujusmodi imprecationum exempla occurrunt paſſim apud poetas & hiſtoricos, e. c. Homerum, Sophoclem, Euripidem, Lycophronem, c) & Plutarchum, qui Athenienſes ſanxiſſe narrat, d) ut omnes ſacerdotes, tam feminæ, quam viri diris devoverent Alcibiadem, myſteriorum Cereris profanatarum accuſatum. Efficaciſſimæ autem, iisque, adverſus quos effuſæ ſuſceptæque eſſent, exitioſiſſimæ cenſebantur tales imprecationes, ſive devotiones, præſertim ſi a parentibus, regibus, ſacerdotibus, vatibus, aut hominibus ſacris aliis fuiſſent pronunciatæ peractæque. Sic ἀτεκνίαν ſuam Phœnix parentis ſui diris ipſe tribuit. Ait enim: e) *Diræ.*

Πα-

c) In *Caſſandra* v. 164. Ad quem locum vid. quæ commentatus eſt Potterus. Cf. hujus *Archæol. Gr.* l. II. c. V. p. 253

d) In *Alcibiade*, p. 202.

e) Apud Hom. *Jl.* IX, v. 453.

Πατὴρ δ' ἐμὸς --
Πολλὰ κατηρᾶτο, ϛυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς,
Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν,
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. Θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαρὰς,
Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.

Pater meus
Multa imprecatus eſt, horrendasque invocavit Diras,
Ne unquam genibus ſuis imponeretur dilectus filius,
Ex me genitus. Dii autem ratas fecerunt imprecationes.
Jupiterque infernus, & horrenda Proſerpina.

Idem poſtea Meleagrum periiſſe dicit f), propter diras, quas mater, fraternæ cædis cauſſa, ipſi fuiſſet imprecata. Illa enim Plutonem & Proſerpinam invocaverat,

Παιδὶ δόμεν θάνατον. τῆς δ' ἠεροφοῖτις Ἐρινὺς
Ἔκλυεν ἐξ Ἐρέβευσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα.

Vt

f) *Jl.* IX, v. 562. ſeqq.

Vt filio darent mortem; eam vero per tenebras vagans Erinnys
Exaudiverat ex Erebo, cor habens implacabile.

Itaque *diris*, ut ait Plinius, g) *defigi deprecationibus nemo non metuebat.* Tolli tamen dirarum putabatur vis, ſi certis cærimoniis ſacrorum adminiſtri reſecrarent homines, qui devoti fuerant. Quod qui facerent, ἀναλύειν τὴν ἀρὰν, τὰς ἀρὰς ἀφωσιώσασθαι, καὶ ἀναράσασθαι, *diras diſſolvere, expiare & reſecrare* dicebantur. h) Contigit illud Alcibiadi, quippe quem, in urbem revocatum, iidem illi Eumolpidæ ſacerdotes rurſus reſecrare ſunt coacti, qui eum devoverant, pilis illis, in quibus devotio fuerat ſcripta, in mare præcipitatis. i) Ceterum uſitatus devovendi mos Romanis etiam fuit, qui a Græcis eum procul dubio acceperunt. Romanæ igitur devotionis exemplum aliquod inſigni-

g) *Hiſt. nat.* l. XXVIII, c. 2.
h) Pollux in *Onomaſt.* l. V. c. XXVI. ſegm. 130. Plut. in *Alcib.* p. 210.
i) Corn. Nepos in *Alcibiade*, c. VI. Cf. Plutarchum l. c.

ριφυγεῖν μηδένα τῶν ἐνχεθέντων αὐταῖς. Καλῶς δὲ πράσσειν ϗ τὸν χρησάμενον. Ὅθεν οὐκ ἐπὶ τοῖς τυχοῦσιν αὐτὰς οὐδ' ὑπὸ πολλῶν ἀρᾶσθαι. κ. τ. λ. *Has Romani arcanas & vetuſtas devotiones ea præditas vi ferunt, ut nemo adverſus quem conceptæ ſint, evitare illas queat, nec bene cedant etiam concipientibus eas. Vnde neque qualibet de cauſa has, neque multos imprecari,* cet. Illud vero magis etiam mereri videtur, quod memoretur, Hebræorum quoque genti, aliisque orientis populis, non inſolens fuiſſe dira uti deteſtatione adverſus ſceleratos, hoſtes, & qui contra decretum principis aliquid deliquiſſent. l)

§. XI.

Vota, εὐχαὶ, promiſſiones erant, quibus munera, e. c. victimas, donaria in templis ſuſpendenda aut reponenda, (vid. P. I. c. VII. §. XXIV. ſqq.) Diis ſeſe daturos pollicebantur *Vota.*

l) V. Gen. IX, 25. 26. 27. XLIX, 3, 4. Num. XXII, 5. 6. ſqq. Joh. VI, 26. coll. cum 1. Reg. XVI, 34. 1. Sam. XIV, 24.

tur homines, ut eo facilius id, quod peteretur, impetrarent. Nam Deos quidem nihil gratis dare aut facere, muneribusque moveri maxime, communis fere erat Græcorum opinio, quam ſupra jam commemoravimus. m) Concipiebantur autem vota ab iis potiſſimum, qui rem aliquam magnam, & periculi plenam, volebant aggredi, vel in calamitatem aut diſcrimen adducti jam erant grave. Quod Plinio etiam obſervatum, qui *Tum*, inquit, n) *præcipuus votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt.* Hinc Cloanthus, o) ut ſucceſſum navigationis periculoſæ proſperum exitumque a Diis marinis obtineret optatum, ſic

Divos in vota vocavit:
Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus: extaque ſalſos
Por-

m) Partis hujus c. I. §. XVI, p. 363.
n) *Hiſt. nat.* l. VIII, c. 16.
o) Apud Virgil. *Æn.* V, v. 234.

Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Et matronæ Trojanæ, urbi ſuæ metuentes, hoc Minervæ fecerunt votum: p)

Ὄφρα τοι αὐτίκα νῦν δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ
Ἤνις, ἠκέστας ἱερεύσομεν, αἴκ᾽ ἐλεήσῃς
Ἄστυ τε, καὶ Τρώων ἀλόχους, καὶ νήπια τέκνα.

Statim tibi nunc duodecim boves in templo
Anniculas, jugum nondum paſſas, ſacrificabimus, ſi miſerata fueris
Vrbemque, Trojanorum uxores, & infantes liberos.

Summa vero votorum erat religio, adeo, ut illi, qui accurate non perſolviſſent, iram Deorum vindictamque gravem in ſeſe concitare crederentur. Hinc Achilles peſtem, qua Græcorum affligebatur exercitus, forte ideo ab Apolline immiſſam eſſe ſuſpicatur, quod vota ipſi non eſſent reddita. q)

p) *Iliad.* VI. v.308.
q) Hom. *Il.* I. v.65. Plura habet Feithius *Antiq. Hom.* l. I. c. VII. p.39.

§. XII.

Hymni. *Hymni*, ὕμνοι, ᾠδαὶ, ἀοιδαὶ, ᾄσματα, carmina erant, Deorum in honorem compoſita, quibus res geſtæ eorum & virtutes celebrabantur. Cantari autem ſolebant ad tibiam vel lyram, r) dum vinum libaretur in ſacrificiis, & poſt libationes quoque, iis quidem ſacrorum a miniſtris, qui ὑμνῳδοὶ vocabantur, &, feminæ ſi eſſent, ὑμνήτριαι & ὑμνητρίδες. s) Apud Arcadas pueri ab ipſa infantia ex legibus aſſuefiebant hymnos & pæanes canere, quibus more patrio Heroas atque Deos ſuos gens illa concelebrabat. t) Jam hymni illi cujusmodi fuerint, ex illis licet cognoſcere, quos contexuit Callimachus, nec non ex iis, qui ſub Orphei & Homeri nominibus circumferuntur. Nomina vero hymnis quibusdam de Diis aut Deabus, quibus ſacrati erant, tributa ſunt peculiaria. Sic Apollini dicati qui

r) Schol. Eurip. ad *Phœn.* v. 1036. Photius in *Bibliotb.* Cod. CCXXXIX. p. 985.
s) De quibus V. P. II. c. II. §. VII.
t) Polyb. *Hiſtor.* l. IV. c. 20. Athen. *Dipnoſoph.* l. XIV. p. 626.

qui eſſent hymni, Παιᾶνες dici ſolebant, quia παῖανος cognomine appellabatur Deus ille: quanquam idem vocabulum de cantionibus quoque in omnes Deos fuit adhibitum: u) Vnde παιανίζειν dicti, qui hymnos canerent Deo aut Heroi cuicunque. Hymni in Dianam dicebantur Ὀυπιγγες, vel Ὀυπιγγοι, ex voce Οὖπις, quæ inter Dianæ fuit cognomina. x) Cereri qui canebantur, Ἴουλων & Δημητρουλων nomen ex eo acceperunt, quod Ceres Ἰουλὼ appellaretur, ἀπὸ τῶν οὔλων ſive ἰούλων, de *ſpicarum faſciculis*, qui ex manipulis pluribus eſſent colligati. y) In Bacchum facti, Διθύραμβοι vocabantur propterea, quod ipſe etiam Bacchus audiret Διθύραμβος: z) item Ἰόβακχοι, ab initio carminis Ἰὼ Βάκχε, & Ἰθυφαλλικὰ, ex phallis, qui

u) Pollux in *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 38. Photius *Bibl.* l. c.

x) Pollux l. c. & l. IV. ſegm. 53. Athen. *Dipnoſoph.* l. XIV. p. 619. Callim. hymno *in Dianam* v. 204. ejusque ſchol.

y) Pollux l. c. Athen. l. c. p. 618. & ad eum locum Caſaub.

z) Pollux l. c. Photius l. c.

Bacchi in ſacris circumferebantur. a) Μητρῳακοὶ nuncupabantur, qui in Matrem Deûm compoſiti fuerant hymni. b) Neque vero Cœleſtes tantum, ſed Inferi etiam Dii hymnis honorabantur. Hinc inter hymnos, qui Orpheo tribuuntur, reperimus Plutoni, Proſerpinæ, Eumenidibus, Morti Noctique dicatos: c) memoratque Æſchylus Θεῶν κατὰ γᾶς ὕμνον, *Deorum ſub terra hymnum*, d) & δυσκέλαδον ὕμνον Ἐριννύος, *infauſtum Erinnyos* ſive Eumenidum *hymnum*. e) Cantabantur vero hymni non in ſacris tantum, ſed in conviviis quoque, finito prandio aut cœna, priusquam ad compotationem accederetur. Quod uti jam § IV. loco quodam Xenophontis allato oſtendimus, ita nunc aliquo etiam Platonis confirmabimus. Sic igitur ille: f) Μετὰ ταῦτα, ἔφη, κατακλι-

a) Pollux l. IV. c. VII. ſegm. 53. Athen. l. XIV. p. 622. Photius p. 983. & 986. De phallis vid. quæ annotavimus ad p. 249.
b) Hephæſt. p. 40.
c) Pag. 98, 114, 126, 164, 180. edit. Eſchenb.
d) In *Sept. Theb.* v. 874. Cf. *Perſas* v. 621, 627.
e) In *Sept. Theb.* v. 873.
f) In *Convivio*, p. 316.

κλινέντος τῦ Σωκράτυς, καὶ δειπνήσαντος, καὶ τῶν ἄλλων, σπονδάς τε σφᾶς ποιήσαϑαι, καὶ ἄσαντας τὸν Θεὸν, καὶ τἄλλα τὰ νομιζόμενα, τρέπεσϑαι πρὸς τὸν πότον. *Poſt hæc, inquit* Ariſtodemus, *cum Socrates ſeſe reclinaſſet cœnaſſetque, ac cœnaſſent etiam ceteri, libare illos inſtituiſſe, hymnumque in Deum canere, atque tum, factis etiam, ut mos eſt, quibusdam aliis, ad potum ſeſe convertiſſe.* Tam frequens igitur hymnorum quum eſſet uſus, mirum non eſt, repertos olim in urbibus fuiſſe ſingulis, qui hymnis componendis darent operam: de quibus inter alia Ptolemæus Hephæſtio in *Novis ad variam eruditionem hiſtoriis*, libro tertio, ex inſtituto egerat. g) Vocantur illi apud Ariſtophanem h) τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων, *fabri*, ſive *artifices ingenioſorum hymnorum.*

§. XIII.

Hymnis affinis quodammodo erat *Vlulatus.* ὀλο-

g) Teſtante Photio, qui librum illum Hephæſtionis de *novis* cet. excerpſit in *Biblioth.* Cod. CXC p. 477.

h) In *Equit.* v. 528. Cf. Spanhemii *Obſervat. in hymn. in Jov.* p. 2, 3. 4.

ὀλολυγὴ, ſeu ὀλολυγμὸς, *ululatus.* Sic *clamorem* vocabant *lætum*, i) ſive *fauſtam acclamationem*, quem in ſacris, illis maxime, quæ Minervæ fierent, edebant feminæ, invocantes, ut videtur, Numen formula quadam breviori eaque ſolenni, ſæpius quidem repetita. Quales formulæ in ſacris Apollinis iſtæ erant: Χαῖρε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱὲ, *Salve Jovis & Latonæ fili*, & Ἰὼ, Ἰὼ, Παιὰν, Παιὰν. *Jo, Jo, Pæan, Pæan*; Minervæ autem in cærimoniis, hæc: Χαῖρε Διὸς τέκος αἰγιόχοιο. *Salve nata Jovis ægiochi.* Hinc Ariſtophanes τὸ ὀλολύζειν conjungit cum εὐφημεῖν, quod eſt *linguis favere.* k)

Εὐφημεῖν χρὴ, καὶ μὴ φλαῦρον
Μηδὲν γρύζειν, ἀλλ' ὀλολύζειν.
Favere oportet, & nihil turpe
Quidquam mutire, ſed fauſta acclamare.

§.XIV.

i) Antiquiſſima hæc fuit vocis poteſtas: Sed ſurrogata ei poſtea fuit contraria, ſic ut *clamorem triſtem* ſignificare cœperit.

k) In *Pace*, v. 95. 96. Vid. ibi Flor. Chriſtiani notas. Cf. *Equites*, v. 1324. atque ibi Caſaub. Adde hujus *Animadv. in Athen.* l. VII. c. X. p. 323. & *Commentar.* ad *Theophr. Char.* p. 395. Spanhemii *Obſerv.* ad Callimachi *hymnum in Delum* p. 478. ſqq.

§. XIV.

Quum *jusjurandum* quoque, ὅρκος, invocatio quædam ſit Numinis, qua Deus teſtis appellatur ultorque, erit nobis de illo etiam capite hoc paucis exponendum; ſic ut (1) per quos & quæ, (2) quibus formulis ritibusque, (3) quibus occaſionibus præſtari jusjurandum conſueverit, & (4) quanta ejus fuerit religio oſtendamus. Itaque (1) jurabant non ſolum per Jovem, qui juramentorum ceteroquin habebatur præſes, vocatus propterea ὅρκων ταμίας, *juramentorum cuſtos*, ab Euripide, l) verum etiam per Numina quævis alia, e. c. per Apollinem, Neptunum, Minervam, Themidem, m) uti viris, per Cererem & Proſerpinam, uti feminis Athenienſibus ſolenne erat. Jurabatur etiam non raro per Deum illius, de quo agebatur, negocii, aut ejus, in quo verſabantur homines, loci præſidem; e. c. in re equeſtri per Neptunum, n) quippe ἵππιον, *Deum equeſtrem*; in nun-

Jusjurandum.

l) In *Medea*, v. 169.
m) V. Spanhemii *Obſerv. ad Callim.* p. 88.
n) Ariſtoph. in *Nub.* v. 83.

nundinationibus, per Ἑρμῆν ἀγοραῖον, *Mercurium forenſem.* Nec per Deos ſolum, ſed per homines quoque jurabatur, eosque vel vivos, vel mortuos; item per caput hominis, ut partem corporis præcipuam nobiliſſimamque. o) Denique per res quoque inanimatas jusjurandum concipiebatur; e. c. per aquam Stygiam, quod ipſorummet Deorum juramentum erat maximum graviſſimumque, p) per ſceptrum; q) cet. nec minus per σωτηρίαν, ὑγίειαν, *incolumitatem* & *ſanitatem* cet. (II) Formulæ jurisjurandi tales erant: Νὴ τὸν Δία, νὴ τὸν Ἀπόλλω, νὴ τὸν Ποσειδῶ. *Per Jovem, per Apollinem, per Neptunum*; item Μὰ τοὺς δώδεκα Θεούς, *per duodecim Deos.* Ad ritus quod attinet, tollebantur manus in cœlum, non ſecus, ac in precationibus. r) Graviori in juramento manus altari imponebant. Cognoſcitur ex collocutione Gripi piſca-

o) Hom. hymno in *Mercur.* v. 274. Eurip. in *Helena* v. 841.
p) Hom. *Odyſſ.* V. v. 185. Heſiod. *Theogon.* v. 400.
q) Hom. *Il.* I. v. 234.
r) V. Potterum *Archaeol. Gr.* l. II. c. VI. p. 285.

piſcatoris, & Labracis lenonis apud Plautum: s)

Gr. *Tange aram hanc Veneris.* La. *Tango.*

Gr. *Per Venerem hanc jurandum eſt.* La. *Quid jurem?* Gr. *Quod jubebo.*

La. *Præi verbis quid vis. id quod domi eſt, nunquam ulli ſupplicabo.*

Gr. *Tene aram hanc.* La. *Teneo.* Gr. *Dejura, te mihi argentum daturum.*

Vbi obſervetur velim, repræſentari a Plauto rem tanquam inter Græcos actam, ideoque mores Græcos ab eodem exprimi. Vt vero magis etiam certi eſſe poſſimus de illa Græcorum conſuetudine, hæc faciunt Demoſthenis: t) Τῶν τε παρόντων ἡμῖν καθ' ἕνα πρὸς τὸν βωμὸν ἄγοντες, καὶ ἐξορκίζοντες. *Tum eorum, qui nobis aderant ſingulos ad aram duxerunt, & jurejurando adſtrinxerunt.* Tranſiit mos idem ad Latinos, quorum rex antiquiſſimus, Latinus, foedus cum Ænea jungens, apud Virgilium jurans ait: u)

Tango aras, medioſque ignes & numina teſtor:

 Nul-

s) In *Rudente*, act. V. ſc. 2. v. 46.
t) *Adv. Cononem* p. 731.
u) *Æn.* l. XII. v. 201.

Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet.

Ritus jurandi ſingularis is erat, quo μύδρον σιδήρεον, *maſſam ferream candentem* in mare demergebant jurantes, ſimul profeſſi, eo usque vim ſuam habiturum jusjurandum, donec maſſa illa emergeret. Adhibuere illum Phocæenſes, in Cyrnum conceſſuri, teſte Herodoto. y) Ante enim quam iſtuc trajicerent, ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ ἑωϋτῶν τȣ̃ στόλȣ. Πρὸς δὲ ταύτῃσι καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντισαν· καὶ ὤμοσαν, μὴ πρὶν ἐς Φωκαίην ἥξειν, πρὶν ἢ τὸν μύδρον τȣ̃τον ἀναφῆναι. *Diras atroces imprecati ſunt omnibus ſuæ claſſis, qui illic remanerent. Adhæc ferri maſſam candentem in mare projecerunt, ſeque non prius Phocæam reverſuros jurarunt, quam hæc maſſa emergeret.* Quo reſpiciens Callimachus, dixit: z)

Φω-

y) Lib. I. c. 165.
z) In *Fragm.* ab Anna Fabri collectis, n. XXVIII. & in illis Rich. Bentleii n. CCIX. Servavit verſum Scholiaſtes Sophoclis in *Antigone*, v. 270. ritumque ſimul explicavit. V. *Fragm.* cit. p. 260.

Φωκέιων μέχρις γε μένη μέγας ἐιν ἁλὶ μύδρος.

Dum Phocæenſium magna ferri maſſa manet in mari.

Et Horatius, poſtquam *Phocæorum civitatis profugientis exſecratæ* diſerte meminiſſet: a)

Sed juremus in hæc: Simul imis ſaxa renarint,
Vndis levata, ne redire ſit nefas.

Denique ſub finem jurisjurandi omnis generis bona ſibi obtingere precabantur jurantes, ſi ſancte juraſſent; ſin autem pejeraſſent, perniciem & interitum ſui rerumque ſuarum omnium ipſi ſibi imprecabantur. Quod ut eo clarius perſpiciatur, ac ſimul, quibus verbis concipi jusjurandum ſolenne ſueverit, pateſcat, afferemus ex Demoſthene b) juramentum aliquod integrum, quo homo quidam injurias a Conone ſibi factas, de quibus conqueſtus apud judices fuerat, ivit confirmatum. Illud vero tale eſt: Ὀμνύω τὲς Θεὲς καὶ τὰς Θεὰς ἅπαντας καὶ πάσας, ὑμῶν ἕνεκα, ὦ

a) *Epod.* XVI. v. 17, 25.
b) Orat. *adv. Conon.* p. 733.

ὦ ἄνδρες δικαϛαὶ, καὶ τῶν περιεϛηκότων, ἦ μὴν παθὼν ὑπὸ Κόνωνος ταῦτα, ὧν δικάζομαι, καὶ λαβὼν πληγὰς, καὶ τὸ χεῖλος διακοπεὶς ὅτως, ὥϛε καὶ ῥαφῆναι, καὶ ὑβρισθεὶς τὴν δίκην διώκειν. Καὶ εἰ μὲν εὐορκῶ, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο, καὶ μηδέποτ' αὖθις τοιῦτο μηδὲν πάθοιμι· εἰ δ' ἐπιορκῶ, ἐξώλης ἀπολοίμην αὐτός τε, καὶ εἴ τι μοί ἐϛιν, ἢ μέλλει ἔσεσθαι· ἀλλ' ὀκ ἐπιορκῶ· ὀδ' ἂν Κόνων διαῤῥαγῇ. *Juro per Deos Deasque omnes, veſtra cauſſa, Judices, & coronæ circumſtantis: me omnino a Conone perpeſſum ea quæ conqueror, & accepiſſe plagas, & diſciſſum mihi labrum, ita ut conſuendum fuerit: & contumeliis affectum, hoc judicio illum accuſare. Quod ſi ſancte juro, multa mihi bona eveniant, neque in poſterum quidquam tale accidat. Sin pejero, funditus peream & ipſe, & ſi quid mihi aut eſt, aut futurum eſt. Sed non pejero: etſi Cononi ilia rumperentur.* (III) Sapientiores a jurejurando vel prorſus abſtineri, c) vel non niſi gra-

c) Oſtendit hoc Potterus p. 256. Platonis, Chœrili & Menandri dictis.

graviſſimis de cauſſis dari illud voluerunt. Iſocrates ſic præcipit: d) Ὅρκον ἐπακτὸν πρόσδεχε διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων. ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα Θεὸν ὀμόσῃς, μηδ᾽ ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν, τοῖς δὲ φιλοχρημάτως ἔχειν. *Jusjurandum ſi poſtulabitur, duabus de cauſis dabis: vel ut temetipſum turpi crimine liberes; vel ut amicos e periculis eripias. Pecuniæ vero cauſſa per nullum Deum jurabis, etiamſi liquido id facere poſſis, ne aliis perjurus, aliis avarus videaris.* Ad conſuetudinem vero ſi attendamus, multiplici de cauſſa, occaſionibusque variis, jusjurandum legitime præſtari eſſe ſolitum deprehendemus. Dejerare enim oportebat (1) in ſacris Bacchicis feminas illorum miniſtras, ſe puras eſſe mundasque, rituque patrio Jobacchea celebrare. e) (2) Athletas in ludis Olympicis, priusquam in certamen publicum deſcenderent, ſe decem menſes per-

d) *Orat. ad Demonicum* p. 12. & 13.
e) Demoſth. *Orat. in Nearam* p. 528.

perpetuos exercitationi inſumſiſſe, nihilque in ludis facturos eſſe fraudis: Judices item certaminum, ſe pecuniam nullam eſſe accepturos. f) (3) Fœdus ineuntes, ſe nullo modo fœdus violaturos. Formula utebantur hacce: Ἐμμένω ταῖς ξυνθήκαις, καὶ ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε, δικαίως καὶ ἀδόλως. *Sto his pactionibus, & his fœderibus, juſte, & ſine dolo.* g) Ea occaſione ſacrificium ſolebat fieri, in quo pilos hoſtiæ capiti abſciſſos, inter fœderatos diſtribuebant, h) victimæ fruſtatim conciſæ i) ſegmenta ſic diſponebant, ut tranſiri poſſet per partes medias, vinumque pro more effundebant, ad indicandum, participes fœde-

f) Pauſan. *Eliac. pr.* c. XXIV. p. 441.

g) Thucyd. *Hiſt. l.* V. p. 356. ſq. & 363.

h) Hom. *Il.* III, v. 273. Sophocl. in *Ajace flagellif.* v. 1200.

i) Nata ex hoc ritu phraſis ὅρκια τέμνειν, *juramenta ſecare*, i. e. pactum inire, jurejurando & diviſa victima firmatum. Latinorum formulæ, *percutere fœdus*, *icere*, *ferire*, ex eadem natæ ſunt conſuetudine; cui & Hebræorum (nam huic etiam genti ſolenne fuit eodem ritu fœdus facere, vide Jerem. XXXIV, 18. 19.) כרת ברית, *ſcindere fœdus* ſuam debet originem.

deris eſſe omnes, & ſi quis non ſervarit pactum, eum cum toto ſuo genere exſtirpatum, corpus ejus in partes diſſectum, cerebrumque in terras effuſum iri. k) (4) Magiſtratum adeuntes, judicumque munus ſuſcipientes, ſe leges obſervaturos, munera non ſumturos, l) ſecundum leges & decreta populi & ſenatus quingentornm pronunciaturos, tyrannidem aut paucorum dominatum ſua ſententia non comprobaturos, cet. m) (5) Accuſantes aliquem criminis in judicio, præſertim in Areopago; calumniæ expertem eſſe accuſationem. Id qui jurarent, carnibus inſiſtebant profectis apri, arietis & tauri, rite mactatorum. n) (6) Teſtimonium dicturos, utpote quibus niſi juratis non credebatur.

k) Hom. *Il.* III, v. 292. ſqq. Dictys Cretenſis in *Ephemerid. belli Troj.* l. I. c. 15.

l) Pollux *Onomaſt.* l. VIII, c. IX, ſegm. 86.

m) Jusjurandum Heliaſtarum eſt, cujus, quia nimis longum, initium tantum attulimus. Legi vero integrum poteſt apud Demoſth. *Orat. in Timocratem*, p. 481.

n) Demoſth. *Orat. adv. Ariſtocr.* p. 438.

tur.o) (7) denique eos, qui nomina ſua in album civitatis referri cupiebant, id quod fieri moris erat anno ætatis vigeſimo; ſe arma non dehoneſtaturos, ſocium in acie adſtantem non derelicturos, pro focis & aris ſolos etiam, & cum multis pugnaturos, patriam non turbaturos, nec proditūros cet. p) Dabatur vero præterea nimis ſæpe jusjurandum aliquod temerarium ab hominibus parum religioſis. Inprimis leve vulgus non dubitabat occaſione quavis, & leviſſima quaque de cauſſa jurare, uti in comœdiis videre eſt illis, quibus res Græcorum moresque vulgares & quotidiani repræſentantur. (IV) Jusjurandum ſancte colendum ſervandumque duxit pars Græcorum melior: poſitumque hoc ipſum in probitatis animique religioſi notis fuit, ſi quis & ex veritate juraret, & quod jurejurando eſſet pollicitus, accurate præſtaret; uti contra perjurus profligatæ impietatis improbita-

o) Diog. Laert. in *Xenocr.* p. 257.

p) Juramentum totum expreſſit Pollux *Onomaſt.* l. VIII, c. IX. ſegm. 105. ſq.

tatiſque homo fuit judicatus. Quapropter εὔορκος vocabulum, quo homo proprie notatur *recte jurans, fidemque jurisjurandi præſtans*, de ſancto juſto atque probo; illud vero, ἐπίορκος, *perjuri*, de irreligioſo, injuſto atque improbo quovis uſurpari conſuevit. q) Pejerantes, ſi vel maxime hominum pœnas effugiſſent, certam tamen Numinis vindictam experiri, imo a Furiis corripi exiſtimabatur atque diſcruciari, quæ cujusvis menſis die quinto per terras oberrarent ad plectendos perjuros. r) At nihilo tamen ſecius a Græcorum plerisque ut fidem ſervarent, etiam jurejurando datam, impetrari ægre poterat. s) Vnde *fides Græca* in proverbium abiit. Ipſi Lacedæmonii, licet juſtiſſimi videri vellent, ac privatis in negociis revera etiam eſſent, in publicis tamen ſacramenti religionem parum curabant

q) V. Heſiod. *Op.* & *di.* v. 190. Ariſtoph. in *Pluto* v. 61. & in *Nub.* v. 398. ſqq.
r) Heſiod. *Op.* & *di.* v. 803.
s) Eſt hoc Polybii de Græcis judicium, *Hiſt.* l. VI, c. 54.

bant, adeo ut Lyſander *pueros talis, viros vero* (alius nationis) *juramentis decipi debere* dixerit. t) Nec immerito illos Comicus u) homines vocat,

Οἶσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔτε ὅρκος μένει.

Apud quos neque aræ, neque fides, neque jusjurandum quidquam valeant.

Omnia ſcilicet ex reipublicæ ſuæ utilitate metiebantur Lacedæmonii, nec ſanctum illis erat quidquam, quod huic adverſari videretur x)

CAPUT III.
DE LUSTRATIONIBUS.

§. I.

Luſtratio quid, & ejus nomina. LUſtrationem, ex Græca voce λοῦτρον, eam veteres vocabant aſperſio-

t) Plutarch. in *Apophth. Lacon.* p. 229.
u) In *Acharn.* v. 307.
x) Prolixius de juram. Græc. commentati ſunt Jo. Guil. Stuckius in *ſacr. ſacrificiorumque gentil. deſcript.* f. 90. ſqq. Jo. Nicolai in diatr. de *juramentis Hebr. Gr.* cet. & Jo. Poterus,

ſionem aut lotionem, quæ vel ut ad templa accedi, & ſacra rite obiri poſſent, aut reſponſum aliquod divinum obtineri, vel criminis piandi, vel denique immunditiei, certis actibus contractæ, tollendæ cauſſa ſuſciperetur. Græci vulgo *καθαρισμὸν, ἁγνισμὸν, ἱλασμὸν* & *τελετὴν* appellarunt.

§. II.

Requirebant igitur luſtrationem cauſſæ variæ. Primo enim ad loca ſacra, ſpeciatim ad templa, adiri, non poterat, niſi a luſtratis. Hinc Jon apud Euripidem y) Apollinis miniſtris *Luſtratio ſacrorum & oracul. cauſſa facta.*

Ἀλλ' ὦ Φοῖβε, ait, Δελφοὶ θέραπες,
Τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
Βαίνετε δίνας· καθαραῖς δὲ δρόσοις
Ἀφυδρανάμενοι, στείχετε ναούς.
Sed o Delphici Phœbi miniſtri ad
Caſtaliæ limpidos
Ite vortices, puroque rore (aquis puris)

Ff 2 *Ab-*

terus, qui in hoc argumento explicendo operoſiorem, quam in ceteris, ſeſe præſtitit, *Archæol. Gr.* l. IV. c. 6.

y) In *Jone*, v. 94.

Abluti ite in templum.

Juſtinus Martyr: z) Ἐνήργησαν οἱ δαίμονες, καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελοῦντας. τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερὰ, ἔνθα ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι. *Effecerunt dæmones, ut & ingreſſuri in delubra eorum, & acceſſuri ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, ſe ipſos aquæ adſperſione luſtrarent. Quin ut toto quoque corpore laventur ad templa abituri, priusquam eo veniant, ubi collocati ipſi ſunt, inſtinctu ſuo procurant.* Deinde nec ſacrificium, niſi lotio præceſſiſſet, fieri poterat. Quapropter apud Homerum ſacrificaturi χερνίψασθαι, *manus laviſſe* dicuntur, a) item, ὕδωρ ἐπὶ χεῖρα χεῦαι, *aquam in manum fudiſſe.* b) Et Ægiſthus apud Euripidem c)

Λοῦτρ', inquit, ὡς τάχιστα τοῖς ξένοις τὶς
αἱρέτω,

Ὡς

z) *Apol.* II. *pro Chriſt.* p. 94. 95.
a) *Il.* I. v. 450.
b) *Il.* III. v. 270.
c) In *Electra* v. 791.

Ὡς ἀμφὶ βωμὸν ςῶσι χερνίβων πέλας.
Ἀλλ᾽ εἶπ᾽ Ὀρέςης, ἀρτίως ἡγνίσμεθα
Λȣτροῖσι καθαροῖσι ποταμίων ῥέιθρων ἄπο.
Ει δὲ ξένȣς ἀςοῖσι συνθύειν χρεὼν,
Αἴγισθ᾽, ἕτοιμοι, κȣ̓κ ἀπαρνȣ́μεθ᾽ ἄναξ.

Lavacra quam celerrime quis hoſpitibus afferat,
Vt ad aram ſtent prope malluvia.
Sed ait Oreſtes: Modo luſtrati ſumus
Lavacris puris, ex undis fluvialibus.
Si vero fas eſt, peregrinos ſacrificare cum civibus,
Ægiſthe, parati ſumus, neque, o Rex, hoc recuſamus.

Megadorus apud Plautum: d) *Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacrificem.* Porro precibus etiam operam daturos lavare ſeſe oportebat. Hinc Oedipo oraturo ſic præcipit Chorus apud Sophoclem: e)

Πρῶτον μὲν ἱερὰς ἐξ ἀειῤῥύτȣ χοὰς
Κρήνης ἐνέγκȣ, δι᾽ ὁσίων χειρῶν θίγων.

 Pri-

d) In *Aulul.* act. III. ſc. VI. v. 42.
e) In *Oed. Colon.* v. 460.

Primum ſacram undam ex perenni
Fonte puris manibus affer.

Et Alceſtis apud Euripidem, f) poſtquam,

ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλέσατο, - - στᾶσα πρόσθεν ἑστίας κατηύξατο,

fluviali aqua candidum corpus
Lavit, - - *ſtans ante aras precata eſt*,

Præterea myſteriis initiandi luſtrari debebant. Clemens Alexandrinus: g) Οὐκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ᾽ Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. *Non abs re ergo in myſteriis quoque, quæ fiunt apud Græcos, initium fit ab expiationibus & luſtrationibus, ſicut etiam apud barbaros a lavacro.* Idem: h) Ἐπεὶ καὶ πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων παραδόσεως, καθαρμούς τινας τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιοῦσθαι· ὡς δέον, τὴν ἄθεον ἀποθεμένους δόξαν, ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τρέπεσθαι παράδο-

f) In *Alceſt.* v. 157.
g) *Strom.* l. V. p. 582.
h) *Strom.* l. VII. p. 714. Cf. quæ de ſingulis hiſce jam diximus P. I. c. VI. §. XII. P. II. c. III. §. I. P. III. c. I. §. XXIV. & c. II. §. VI.

ρἀδοσιν. Quandoquidem & ante myſteriorum traditionem luſtrationes quasdam in iis volunt peragi, qui ſunt initiandi myſteriis, utpote quum oporteat, impia depoſita opinione, ad veram converti traditionem. Denique luſtratione opus eſſe credebatur iis quoque, qui oracula Trophonii & Amphiarai eſſent conſulturi. i)

§. III.

Magis autem luſtratione indigere cenſebantur nulli, quam qui cædem commiſiſſent. Anticlides: k) Ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐπόιεν, ὕδατι ἀεννάῳ τὰς χεῖρας ἀπονίπτειν ἐις τȣ̃ μιάσματος κάθαρσιν. *Erat enim mos antiquorum, qui nunc etiam ſervatur, ut qui cædem hominum, vel aliorum animalium commiſiſſent, perenni aqua manus abluerent, ad commiſſi piaculi luſtrationem.* Ac ut eo fortius ad luſtrationem ſuſcipiendam *Luſtratio propter cædem.*

i) Pauſan. in *Bœot.* c. XXXIX. p. 790. & in *Att.* c. XXXIV. p. 84. Cf. Jo. Lomeieri *de vet. gentil. luſtrationibus* ſyntagma c. XVI.
k) Apud Natal. Comitem *Mythol.* l. I. c. X. p. m. 27.

impellerentur cæde inquinati, nemo eos tecto recipiebat ante, quam rite fuiſſent expiati. Accidit id Oreſti, Agamemnonis filio, qui matrem Clytemnæſtram, cum Ægiſtho mœcho repertam, interfecerat, licet haud injuſte interemiſſe judicaretur. Pauſanias: l) Τοῦ δε ἱεροῦ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐστιν οἰκοδόμημα ἔμπροσθεν, Ὀρέστου καλούμενον σκηνή. πρὶν γὰρ ἐπὶ τῷ αἵματι καθαρθῆναι τῆς μητρὸς, Τροιζηνίων οὐδεὶς πρότερον ἤθελεν αὐτὸν οἴκῳ δέξασθαι· καθίσαντες δὲ ἐνταῦθα ἐκάθαιρον, καὶ εἱστίων ἐς ὃ ἀφήγνισαν. *Ante templum Apollinis ædificium quoddam eſt, quod Oreſtis tabernaculum appellant. Prius enim quam materni ſanguinis maculam expiationibus elueret Oreſtes, de Troezeniis nemo eum tecto recipere voluit: ſed in ea ipſa cella illum conſiſtere juſſerunt, ibique qui ei luſtrationi præfuerunt, epulas ei præbuerunt, quantiſper rite expiatus eſt.* Quin tanta fuit averſatio, ut ne alloqui quidem Oreſtem, nondum luſtratum, dignaretur Troezenio-

l) In *Corinth.* c. XXXI. p. 185.

niorum quisquam. De quo ipſe ſic conqueritur Oreſtes, cum Menelao colloquens: m)

Μισȣ́μεθ᾽ ȣ̔́τως, ὥςε μὴ προσεννέπειν.
Με. Ὀυδ᾽ ἥγνισαι σὸν ἅιμα κατὰ νόμȣς χεροῖν;
Ορε. Εκβάλλομαι γὰρ δωμάτων ὅποι μολῶ.

Sic ſum in odio, ut nemo me alloquatur.
Me. *Non purificaſti ab illo ſanguine manus juxta leges?*
Ore. *Ejicior ex omnibus domibus, quo vado.*

Hercules etiam, tum ob liberorum necem, quam furore correptus perpetraverat, tum propter cædes inconſultas alias ritu luſtrali expiari ſe curavit. n) Et quum Neleo, Codri filio, coloniam in navibus ducenti, reſpondiſſent vates, expiari oportere exercitum, tanquam multi ſimul navigarent, qui pollutis ex cæde eſſent manibus; ſimulavit etiam ipſe Neleus,

m) Apud Eurip. in *Oreſte*, v. 428.
n) Apollon. Rhod. *Argon.* l. IV, v. 543. Plutarch. in *Theſeo*, p. 14.

leus, puerum ſe quendam trucidaſſe, & luſtrationis indigere. o) De animalium cæde luſtrationis cærimoniis expianda quod dicit Anticlides, id non de animalibus quibuscunque, ſed de belluis tantum monſtruoſis interemtis accipiendum eſſe exiſtimo. Cujusmodi cædes illa fuit Pythonis ſerpentis, monſtri horrendi, quod jaculis confixit Apollo, qui propterea, ex mandato Jovis, expiari debuit. p) Neque tamen hominum cædes alia, quam juſta aut fortuita, luſtrationis ritu expiari potuit. Nam quæ conſilio injuſteque facta fuerat, morte lui debuit, aut exilio bonorumque publicatione. q) Juſta vero cædes illa e. c. reputabatur, quæ in hoſtibus reipublicæ eſſet commiſſa. Hanc igitur expiatione eluendam eſſe cenſebant Græci. Quamobrem ex prælio qui diſceſſerant, rem ſacram Diis facere non ſuſtinebant prius, quam rite ſe luſtraſſent. Hinc ex prælio re-

o) Ælianus *Hiſt. var.* l. VIII. c. 5.
p) Idem l. III. c. 1.
q) Demoſth. *Orat. adv. Midiam* p. 391.

reverſus Hector ſacrificare noluit nondum luſtratus, dicens: r)

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· ἐδέ πη ἐςὶ κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Manibus illotis Jovi libare nigrum vinum
Vereor: nec ullo modo fas eſt nubes atras cogenti Saturnio
Sanguine, & cruore pulveri ſudorique permiſto inquinatum vota facere.

Eandem mentem Æneæ tribuit Virgilius, s) quippe Anchiſem parentem ſic affato:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosque penates:
Me, bello e tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Cædis fortuitæ luſtratione expiatæ ex-

r) Hom. *Il.* VI. v. 267.
s) *Æn.* II v. 717.

exemplum Apollodorus ſuppeditat, t) qui de Peleo narrat, eum, ad Calydonii apri venationem cum Eurytione, hoſpite tunc ſuo, ſimul egreſſum; quum miſſo in aprum telo Eurytionem feriiſſet, eumque fortuito ictu cecidiſſet, luſtratum fuiſſe ab Acaſto, ad quem ſeſe receperat.

§. IV.

Luſtratio poſt uſum Veneris.

Adſtringi vero luſtrationis lege ii etiam cenſebantur, qui uſum habuiſſent Veneris. Hinc ipſa Venus, poſtquam cum Vulcano concubuiſſet, aqua ſeſe abluit, ex qua lychnis herba nata poſtea eſſe dicebatur. u) Eandem cum Marte congreſſam, Paphumque reverſam, Charites laverunt unxeruntque. x) Cererem quoque, a Vulcano compreſſam, Pauſanias tradit, primum quidem iracunde rem tuliſſe; verum poſtea, placabiliorem factam, in Ladone laviſſe fluvio, atque inde *Luſiæ* cognomen retu-

t) *Biblioth.* l. III. c. XII. §. 2. Cf. Ovid. *Faſt.* l. II. v. 37. ſqq.
u) Athen. *Dipnoſoph.* l. XV. p. 681.
x) Hom. *Il.* VIII. v. 362.

tuliſſe. y) Didiciſſe morem illum videntur Græci ab Ægyptiis, qui, ſi vera refert Clemens Alexandrinus, z) πρῶτοι ἐν ἱεροῖς μίσγεσθαι γυναιξὶν ἐκώλυσαν, μηδ᾽ ἐις ἱερὰ ἐισιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλȣ́τȣς ἐνομοθέτησαν. *Primi in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, & ad ſacra ab uxore illotos adire lege vetuerunt.*

§. V.

Luſtratio funere inquinatorum.

Denique domum, in quo funus eſſet, ingreſſi, aqua adſperſa, ſtatim ab egreſſu, ſeſe luſtrare neceſſe habebant. Quem ad uſum ejusmodi ante ædes vas collocatum erat, aqua luſtrali plenum. Pollux: a) Ὁι ἐπὶ τὴν ὀικίαν τȣ̃ πενθȣ̃ντος ἀφικνȣ́μενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο ὕδατι περιῤῥαινόμενοι. τό δε πρȣ̃κειτο ἐν ἀγγέιῳ κεραμέῳ, ἐξ ἄλλης ὀικίας κεκομισμένον. τὸ δὲ ὄϛρακον ἐκαλεῖτο ἀρδάνιον. *Lugentis in domum qui intraverant, egredientes aqua rigati luſtra-*

y) In *Arcad.* c. XXV. p. 648. Cf. Eurip. in *Jone,* v. 150. Lucianum in *Aſino,* T. Opp. II. p. 81.

z) *Strom.* l. I. p. 306.

a) In *Onomaſt.* l. VIII. c. 7. ſegm. 65. 66. Cf. Caſaub. *Commentar.* ad Theophr. *Char. eth.* p. 339.

ſtrabantur, quæ ante ædes in vaſe appoſita erat fictili, ex alia domo (non funeſta) *allata. Vas vero illud* ἀρδάνιον, rigatorium, *dicebatur.* Ariſtophani idem vas vocatur ὄςρακον. b)

Ὕδατός τε κατάθȣ τȣ̑ςρακον πρὸ τῆς θύρας.

Et aquæ urnam pone pro foribus.

Domeſtici vero defuncti, poſtquam elatum jam eſſet cadaver, juſtaque reddita, expiationis cauſſa ſeſe abluebant. Suidas: c) Ἔθος ἦν, μετὰ τὸ ἐκκομιϑῆναι τὸ σῶμα καθαρμȣ̑ χάριν ἀπολȣ́εσθαι τȣ̀ς οἰκείȣς τȣ̑ τεθνεῶτος. *Moris erat, ut cadavere elato corpus, luſtrationis gratia, abluerent domeſtici defuncti.*

§. VI.

Ad luſtrationem quæ res adhibitæ.

Adhibebatur autem ad luſtrationes vel aqua ſola, vel ſulphur ſimul, ſcilla herba, tæda accenſa, ovum, catulus aut porcellus. Et aqua quidem requirebatur recens, eaque vel ex fonte aliquo, vel

b) In *Concionatr.* v. 1025. Heſychius eam vocem per γάςραν exponit p. 706. De quo vocabulo vide quæ notavimus p. 313.

c) Voce κατολȣ́η. Eadem habet Scholiaſtes Ariſtoph. ad *Nubes*, v. 836.

vel ex vivo flumine, vel & ex mari hauſta. De aqua recenti teſtatur Virgilius: d)

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua.

Idem de fluviali: e)

Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum & monſtrata piacula ducat.

De aqua fontana Sophocles, cujus verba §. II. jam attulimus. Nec minor ſane vis ad purgandum aquæ ineſſe putabatur marinæ: unde hujus quoque in luſtrationibus uſus fuit admodum frequens. Apollonius Rhodius: f)

Τῷ καὶ ἐπιπλομένης ἠοῦς νοτίδεσσι θαλάσσης
Ἐγρομένη πλοκάμους τε καὶ εἵματα φαιδρύνεσκε.

Quare & inſtante aurora liquoribus marinis

Ex-

d) *Æn.* l. VI. v. 635.
e) *Æn.* IV. v. 635. II. v. 719.
f) *Argon.* l. IV. v. 670.

Experrecta capillos, ſimul atque veſtes luſtrabat.

Paullo ante g) dixerat, inveniſſe Argonautas Circen

ἁλὸς νοτίδεσσι κάρη ἐπιφαιδρύνουσαν

maris humiditatibus caput lavantem.

Quod ſi vero ad manus non eſſet unda marina, loco ejus aqua interdum utebantur ſale permixta. Theocritus: h)

Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον· ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισαι)
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Puro vero luſtrate domum i) *ſulphure*
Primum: deinde ſale mixta, (*ut conſuetum eſt*,)
Ramoque virenti coronata, aſpergite pura aqua.

Vno

g) V. 662.
h) *Idyll.* XXIV. v. 94.
i) Nam ædes quoque impuratæ luſtrari ſolebant Sic e. c. Vlyſſis domus luſtrata fuit, ob cædem procerum in ea patratam. *Odyſſ.* XXII. v. 481.

Vno igitur ex hiſce aquarum generibus ſacerdos, vel & femina quædam piatrix, (V. P. II. C. III. §. II.) ope rami vel oleaginei, vel laurei, in aquam intincti, expiandum undique, ter quidem, aſpergebat, niſi forte totum corpus vel manus tantum lavandæ eſſent. Virgilius: k)

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros.

Ovidius: l)

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Atque hoc dicebant Græci περιαγνίζειν, περικαθαίρειν, περιμάττειν. m) De ſulphure luſtrationibus inſerviente ex modo allatis Theocriti & Ovidii locis conſtare jam poteſt. Addimus nunc duo alia, unum Juvenalis, qui n)

k) *Æn.* II. v. 230. Cf. Juven. *Sat.* II. v. 157. ubi *laurus* memoratur *humida*, i. e. aqua luſtrali humectata.
l) *Metam.* VII. v. 261.
m) V. Taubm. ad locum Virg. cit.
n) Loco nota k) cit.

Cuperent, inquit, *luſtrari, ſi qua darentur*
Sulphura cum tædis;

alterum Homeri, ex quo ſimul diſcimus, ſulphure ſic uſos eſſe, ut ex eo in ignem conjecto fumum facerent, cui purificandi vim ineſſe procul dubio fuit creditum. Sic nimirum apud illum Vlyſſes Eurycleæ nutrici: o)

Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Porta ſulphur, anus, malorum medelam, porta etiam mihi ignem,
Vt fumigem domum.

Scillæ uſum ex Theophraſto cognoſcimus, qui de ſuperſtitioſo: p) Καὶ ἱερείας καλέσας, σκίλλῃ ἢ σκύλακι κελεῦσαι αὐτὸν περικαθᾶραι. *Quin etiam piatricibus adſcitis, jubet ſe ſquillæ aut catuli circumlatione purgari.* De tæda ſimul cum ſulphure adhibita teſtatus modo eſt Juvenalis: cui jungi poteſt Lu-

o) *Odyſſ.* l. XXII. v. 481. cf. v. 493.
p) In *Charact. eth.* c. XVII. Cf. ibi Caſaub. qui uſum ſcillæ eundem plurium etiam auctorum teſtimoniis confirmat.

Lucianus, qui θείῳ, inquit, q) καὶ δαδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον, περιελθὼν ἐς τρίς. *Quum ſulphure & face luſtraſſet locum, ter in orbem obambulans.* Inferorum ad cærimonias peragenda ſi eſſet luſtratio, tingi faces ſolebant ſanguine, in foſſam profuſo, tinctæ in ara accendi, & circa expiandum circumferri. Ovidius: r)

Multifidasque faces in foſſa ſanguinis atra
Tingit; & intinctas geminis accendit in aris.
Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Ovorum in luſtrationibus uſurpatorum bis meminit Lucianus, frugalium hominum in victu ὠὰ numerans τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων, *ova ex luſtratione relicta.* s) Meminit etiam Ovidius in illo: t)

Et veniat quæ luſtret anus, lectumque locumque,

 Præ-

q) In *Philopſeude* T. Opp. II. p. 334.
r) *Metamorph.* VII. v. 259.
s) In *Dialogis mort.* dial. Diog. & Pollucis. T. Opp. I. p. 263; & in *Cataplo* p. 427.
t) *Artis amatoriæ* l. II. v. 329.

Præferat & tremula ſulphur &
ova manu.

Porro catuli etiam circa luſtrandos circumferebantur, ſicuti, præter Theophraſtum, u) Plutarchus his docet verbis: x) Τῷ δὲ κυνὶ πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο, καὶ χρῶνταί γε μέχρι νῦν ἔνιοι σφαγίῳ πρὸς τοὺς καθαρμούς. καὶ τῇ Ἑκάτῃ σκυλάκια μετὰ τῶν ἄλλων καθαρσίων ἐκφέρουσι, καὶ περιμάττουσι σκυλακίοις τοὺς ἁγνισμοῦ δεομένους, περισκυλακισμὸν τὸ τοιοῦτο γένος τοῦ καθαρμοῦ καλοῦντες. *Cane in piaculis fere omnes uſi ſunt Græci, utunturque in hunc usque diem eo pro piaculari hoſtia nonnulli: Hecatæque inter alia purgamenta etiam catuli offeruntur, expiandosque catulis undique tangunt, quod luſtrationis genus periſcylaciſmum vocant.* Denique porcellum luſtrationis cauſſa mactatum Apollonius memorat Rhodius: y)

Πρῶτα μὲν ἀτρέπτοιο λυτήριον ἦγε φόνοιο
Τειναμένη καθύπερθε συὸς τέκος, ἧς ἔτι
μαζοὶ

Πλήμ-

u) Loco cit.
x) In *Quæſt. Rom.* p. 280.
y) *Argon.* l. IV. v. 704.

Πλήμμυρον λοχίης ἐκ νηδύος, αἵματι χεῖ-
ρας
Τέγγεν ἐπιτμήγουσα δέρην. αὖτις δὲ καὶ
ἄλλοις
Μείλισσεν χύτλοισι.

*Primum quidem illa immutabilis ex-
piationem cædis
Producens deſuper* fœtum ſuis, *cujus
adhuc ubera
Turgebant recens enixo ex utero, cru-
ore manus
Tinxit, incidens collum. Rurſus au-
tem & aliis
Placabat luſtrationibus.*

Sordes lotione abſterſæ vel in mare projiciebantur, vel in fluvium, vel terra defodiebantur. Homerus: z)

Λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν,
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματα
βάλλον.

*Populos vero Agamemnon luſtrari
juſſit.
Hi autem luſtrabantur, & purga-
menta in mare ejiciebant.*

Nymphæ, quum Rheam, Jovem enixam, aquis purgaſſent luſtralibus, ab-

z) *Il.* I. v. 313.

jecerunt τὰ καθάϱματα in fluvium Lymacem. a) Oreſtis autem in luſtratione terra condita fuere purgamenta: unde laurus poſtea enata ferebatur. b) Ceterum non defuere inter ipſos Græcos, qui luſtrationis ineptias riderent: quo nomine Diphilum & Menandrum Comicos Clemens laudat Alexandrinus, c) verſus eorum ſimul afferens eo ſpectantes.

CAPVT IV.

DE ORACVLIS GENERATIM.

§. I.

Oracula quid, & eorum nomina. Salutem hominum tantopere curæ cordique Diis eſſe priſci crediderunt Græci, ut non modo res eorum providentia ſua regerent, ſed & promti eſſent paratique ad ſignificandum illis, quod ſcitu eſſet neceſſarium

a) Panſan. in *Arcad.* c. XLI. p. 683.

b) Id. in *Corinth.* c. XXXI. p. 185. Cf. Feithium *Ant. Hom.* l. I. c. VI. Plura de luſtrationibus in ſupra jam laudato Lomeieri commentario reperies.

c) *Strom.* l. VII. p. 713. Cf. Jo. Clerici *Fragmenta Menandri* p. 120.

um atque utile, & ad præcipiendum ſuadendumque quæ bona eſſent atque ſalutaria. Nata hinc inter illos opinio ut de divinatione in univerſum, ita etiam de oraculis, quæ ad genus divinandi naturale, ſive artis expers, ſolebant referri. Vocantur autem *oracula* reſponſa Deorum Heroumve, ſive per vates, ſive per inſomnia, ſive per ſortes, ſive modo denique alio ſciſcitantibus conſulentibusque reddita, quibus vel futura prædicebantur, vel voluntas Numinum aut conſilium aliquod aperiebatur. Nomina oraculorum Græca hæc commemorat Julius Pollux: e) Μαντέια, μάντευμα, χρησμολόγιον, λόγιον, φήμη ἐκ Θεῦ, χρησμῳδία, χρησμολογία. Quibus addi poſſunt χρησμὸς, θέσπισμα, θέσφατον. Loca, ubi edebantur ora-

d) Duo nimirum divinationum genera conſtituebant veteres, unum *artificioſum*, alterum *naturale*. Artificioſum vocabant quod *conſtaret partim ex conjectura*, *partim ex obſervatione diuturna*: naturale, *quod animus arriperet*, *aut exciperet extrinſecus ex divinitate*. Qua de re pluribus diſſerit Cicero de *divinat*. l. I. p. m. 1205, 1208. & l. II. p. 1218. & 1221.

e) *Onomaſt*. l. I. c. I. ſegm. 18.

oracula, μαντεῖα dicta ſunt, χρηστήρια & ἀνάκτορα: qui vero conſulebant, Θεοπρόποι appellati ſunt & Θεωροί. f)

§. II.

Oraculorum dignitas & auctoritas.

A Diis ipſis oracula proficiſci pleriſque quum crederetur, maxima illorum dignitas fuit auctoritasque, præſertim apud antiquiores, quos Strabo majori in veneratione divina habuiſſe teſtatur, quam recentiores. g) Et quia bona hominum de oraculis exiſtimatio admodum lucroſa ſacerdotibus, totique antiſtitum miniſtrorumque gregi extitit: mirandum non eſt, illam ſatis diu in animis fuiſſe conſervatam. Duraſſetque eadem fortaſſe diutius, niſi reperti ſubinde inter ſapientiores h) fuiſſent, qui eam

f) Id. loco cit.

g) *Geogr.* l. XVI. p. 1105. Οἱ γε ἀρχαῖοι τὸ παρὰ τῶν Θεῶν ἐπρέσβευον μᾶλλον, καὶ ἐσέμνυνον. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὁ χρηστηριαζόμενος ἦν τότε πολύς. *Antiqui ſane divina majore in honore & veneratione habuerunt. Itaque multi tunc ad oracula proficiſcebantur* cet.

h) In his Cynici cumprimis, Peripatetici atque Epicurei palam ſæpius oracula riſerunt. Nominatim vero Oenomaus quidam, ex cujus ſcri-

am labefactare inſtituerent, divinæque veritatis diſciplina Chriſtiana, latiſſime ſeſe diffundente, patefactæ vis omnem tandem ſuſtuliſſet.

§. III.

Conſulebantur vero oracula majoris potiſſimum momenti in rebus, quæ vel ad Principum perſonas, vel ad reipublicæ pertinerent ſalutem. Privatorum res & negocia domeſtica ad oracula deferebantur rarius, quum leviora judicarentur, quam quæ reſponſis Dii ſuis conſiliisque dignari vellent. Ac pares præterea privatorum pauci iis ferendis erant ſumtibus, qui requirebantur, ſi quis oraculum aliquod clarius vellet conſulere. Illud vero ipſum, quod uſus vulgaris minime eſſent oracula, ad venerationem eorum non parum conferebat, certe impediebat, quo mi-

Oracula quibus in rebus conſulta.

ſcriptis fragmenta varia nobis ſervavit Euſebius *Præp. Ev.* l. IV. & V. oraculorum auctoritatem infringere omni ſtudio allaboravit. V. Ant. v. Dale de *oraculis* p. 329. ſqq. & 340. Cf. Fontenelle *Hiſt. des oracles*, diſſert. I. ch. VII. & VIII.

minus illa vilipenderentur. At ſiquis princeps aut populus expeditionem v. c. aliquam vellet aggredi, ſi novas leges condere, ſi calamitatis alicujus publicæ cauſſam & remedia cognoſcere, tum quidem ad oracula facilis patebat aditus, quorum absque conſilio & approbatione nec quidquam ejus generis ſuſcipi ſolebat, ſtatui, ſanciri, adhiberi. Ita Crœſus, Lydorum rex, bellum Perſis inferre auſus ante non eſt, quam oracula plura conſuluiſſet. i) Athenienſes quum Cherſoneſum colonos vellent mittere, delectos quosdam Delphos deliberatum miſerunt, qui conſulerent Apollinem, quo potiſſimum duce uterentur. k) Lycurgus, Lacedæmoniorum legislator, leges multitudini non prius tradidit, quam cum optimatibus Delphos profectus, Apollinem conſuluiſſet, an Spartæ ſtatus melior feliciorque futurus eſſet, ſi legibus, quas tuliſſet ipſe, pareret. Is vero quum oraculo reſpondiſſet, omnino id ex uſu fo-

i) Herodot. l. I. c. 46. ſqq.
k) Cornel. Nepos in *Miltiade*, c. I.

fore: tum demum eas tradidit, non modo contra leges, ſed etiam pietatem facturos dictitans cives, ſi legibus oraculo Pythio comprobatis non obtemperaſſent. l) Qua in re Lycurgus, uti Strabo exiſtimat, imitari voluit Minoem, Cretenſium regem legislatoremque, qui ipſe etiam a Jove, in cujus antrum deſcendere ſolitus erat, præcepta accepiſſe credebatur, quæ ad homines afferret. m) Thebani, cum civitas ipſorum peſtilentia conflictaretur gravi, Delphos miſerunt conſultum, qua ratione propulſari poſſet malum. Reſponſum fuit: ſi cædem ulciſcerentur Lapi. Perpetraverat autem hanc, quamvis inſcius, Oedipus, qui ſceptrum Thebis tunc tenebat. n)

§. IV.

Oraculorum effata pro veris habita.

Vſum oraculorum illud maxime crebriorem efficiebat, quod pro veriſſimis haberentur vulgo illorum effata, quippe a naturis profecta talibus, quæ

l) Xenoph. in *Lacedæm. Republ.* p. 683.
m) Strabo l. XVI. p. 1105.
n) Vid. Sophocl. in *Oedipo tyr.*

quæ & falli neſcirent ipſæ, & fallere homines nollent. Strabo: o) Ταῦτα γὰρ ὅπως ποτὲ ἀληθείας ἔχει, παρά γε τοῖς ἀνθρώποις ἐπεπίστευτο, καὶ ἐνενόμιστο. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μάντεις ἐτιμῶντο, ὥστε καὶ βασιλείας ἀξιοῦσθαι, ὡς τὰ παρὰ τῶν Θεῶν ἡμῖν ἐκφέροντες παραγγέλματα καὶ ἐπανορθώματα, καὶ ζῶντες καὶ ἀποθανόντες. *Hæc* (oracula) *quam vera fuerint, non diſputo: equidem ab hominibus putabantur & credebantur vera, & propterea divinatores in pretio erant tanto, ut etiam imperio digni judicarentur: ſcilicet qui divina nobis præcepta ac monitus exponerent, & vivi & mortui,* cet. Cicero: p) *Nunquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuiſſet, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, niſi omnis ætas oraculorum iſtorum veritatem eſſet experta.*

§. V.

Offerre autem oportebat oraculum conſulturos non ſolum ſacrificia, verum

o) Loco cit.
p) De *divinat.* l. I. p. 1208.

rum etiam donaria eximia, ut faciles ad reſpondendum redderentur Dii. Accidit hinc, ut templa, oraculis inſtructa, ornatiſſima evaſerint atque opulentiſſima. Plutarchus: q) Ὀυδὲ γε προθυόμενοι καὶ καταςέφοντες ἱερεῖα καὶ κατασπένδοντες, ἐναντία τῷ λόγῳ τȣτῳ πράττομεν. *Præterea noſtræ ratiocinationi hoc non adverſatur, quod antequam oraculum petimus victimam immolamus, coronamus, libamus.* Quocirca Crœſus, Delphici Dei conſilio uſurus, θυσίῃσι μεγάλῃσι τὸν Θεὸν ἱλάσκετο. κτήνεά τε γὰρ τὰ θύσιμα πάντα τριχίλια ἔθυσε, κλίνας τε ἐπιχρύσȣς καὶ ἐπαργύρȣς, καὶ φιάλας χρυσέας, καὶ εἵματα πορφύρεα, καὶ κιθῶνας, νήσας πυρὴν μεγάλην κατέκαιε, ἐλπίζων τὸν Θεὸν μᾶλλον τοῖς τȣ́τοισι ἀνακτήσαθαι. *Sacrificiis ingentibus placandum Deum ſtatuit. Immolavit enim lecta pecora numero ter mille: præterea lectos aureos & argenteos, phialas aureas, & amictus purpureos, ac tunicas ingenti pyra exſtructa concremavit, ſperans, ſeſe aliquanto*

q) De *orac. defectu* p. 437.

to magis his rebus poſſe Deum illum ſibi adjungere, ſive faventem reddere. Tum, juſſis etiam Lydis, ut ex eo quod quisque haberet eidem ſacrificarent Deo, lateres ex auro conflatos CXVII, quorum longiores palmorum ſex, breviores trium eſſent longitudine, craſſitudine palmari, leonis effigiem auream, pateras grandi forma duas, unam auream, alteram argenteam, aquiminaria item duo, aureum argenteumque, pluraque alia Delphos dono miſit Apollini. r)

§. VI.

Cauſſa oraculorum efficiens.

De cauſſa oraculorum efficiente olim jam a philoſophis exiſtimatum fuit varie. Aliqui enim terræ vim & anhelitus, ſpecuum cumprimis exhalationes, mentes hominum ſic afflare & afficere opinati ſunt, ut quaſi temulenti facti oracula funderent: s) Alii Deos ipſos: t) Genios, Deorum miniſtros, & partim quidem bonos par-

r) Herodot. l. I. c. 50. ſqq.
s) Cic. de *divinat.* l. I. p. 1208. & 1213. Plin. *Hiſt. nat.* l. II. c. 93.
t) Jamblich. de *myſter.* ſect. III. c. XI. ſqq.

partim vero malos, alii: u) Alii denique animas humanas, corporum vinculo ſolutas, oraculorum eſſe effectrices, eademque moderari autumarunt. x) Apud nos hodie in cauſſa hac in partes diſceditur duas. Plerique, Doctores cœtus Chriſtiani antiquos ſecuti, oracula ad cacodæmonem referunt, tanquam verum eorundem auctorem atque præſidem; alii contra ad meras ſacerdotum antiſtitumque fraudes atque impoſturas. Ac hujus quidem partis principes poni poſſunt, Th. Hobbeſius, y) Anton. van Dale, z) Bern. Fontenelle, a) Jo. Clericus, b) & Jac. Basnage. c) Equidem horum ſententiam, expenſis

u) Heracleonis hæc fuit ſententia. Plut. de *orac. def.* p. 418. Platonici quædam oracula geniis attribuerunt malis.

x) Plutarch. l. c. p. 431.

y) In *Leviath.* c. XII.

z) In libro de *oraculis ethnic. vet.* Amſtelod. 1704. iterum edito.

a) In *Hiſtorie des oracles.*

b) In *biblioth. choiſ.* T. XIII. p. 179. ſqq.

c) In *Antiquitez Judaiques*, T. II. p. 762. ſqq. ad finem libri. Addi his poteſt Phil. Bonanni, in *Muſæo Kircheriano*, Romæ 1709. fol. edito, p. 78.

ſis omnibus, quæ pro illa allata ſunt & contra eandem diſputata, e. c. a. P. Balto, d) Ge. Hickeſio, e) Mich. Morgues, f) aliisque, conſideratisque diligenter oraculorum locis, miniſtris, modis illa reddendi, rebusque circumſtantibus aliis, viſam mihi eſſe fateor probabiliorem, atque adeo ipſis etiam ſacrarum litterarum effatis congruentiorem.

§. VII.

Jupiter & Apollo, oraculorum moderatores.

Qui oraculorum auctores effectoresque ipſos eſſe credebant Deos, (credebant autem Græcorum plerique) ii moderamen eorum ſupremum Jovi cumprimis attribuere ſolebant & Apollini. Nam Jupiter quidem fatorum libros tenere putabatur, atque ex his Diis quibusdam aliis. Dæmonibusque quæ luberet indicare. Dictus idcirco Homero fuit Πανομφαῖος, g) i. e. uti ſcholia explicant

d) In *Reponſe à l'hiſtoire des oracles*, & in *Suite de la Reponſe*.

e) In *præfat.* libri Balti modo memorati, Anglice recuſi Lond. 1709.

f) In *epiſtola apologet.* ſecunda, ad calcem *Therapeut.* Theodoreti Gallice verſorum.

g) *Iliad.* VIII. v. 250. Cf. ad h. l. Euſtath.

cant parva, πάσης φήμης καὶ κληδόνος αἴτιος καὶ δοτήρ· ὀμφὴ γὰρ ἡ θεία κληδών. *omnis ominis atque divinationis auctor datorque.* Ὀμφὴ *enim vocem notat ſortemve divinam.* Jam ex Jovis patefactione Apollinem præ ceteris futurorum conſequi opinabantur notitiam. Quo illud ſpectat Æſchyli: h)

Ταῦτα γὰρ πατὴρ
Ζεὺς ἐγκαθιεῖ Λοξίᾳ θεσπίσματα.

Hæc enim pater Jupiter
Communicat cum Apolline oracula.

Hac de cauſſa vaticiniorum oraculorumque præſes atque moderator Apollo habebatur.

§. VIII.

Modis oracula reddebantur variis; alia per interpretes, ut Delphica, alia per ipſam Dei, ſeu ſacerdotis potius Deum mentiti vocem, alia per inſomnia, ut illud Trophonii, alia per ſortes ſive teſſeras, ſententiis inſcriptas obſcuris, quarum aliquæ felicitatem, aliæ calamitatem, aut ejus generis *Oracula variis modis reddita.*

h) In *fragm. Sacerdotum* p. 640. edit. Stanl. Cf. Potterum *Archæol. Gr.* l. II. c. VII. p. 269.

alia denunciabant. Tali modo Herculis Buraici in Achaja reſpondebat oraculum, de quo Pauſanias: i) Μαντέιας δὲ ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀςραγάλοις ἐςὶ λαβεῖν. *Oraculi ſortes capiuntur ex tabula per talos.* Sic & Dodonæum oraculum per ſortes interdum conſulebatur, ſicuti ex Ciceronis patet teſtimonio. k) Obſcuriora forte ſi viderentur reſponſa, ea maxime, quæ per inſomnia data eſſent, aut ſortes, interpretes aderant, qui explicarent.

CAPVT V.

DE ORACVLO DODONÆO.

§. I.

Dodonæi oraculi antiquitas & nomen.

ORacula Græciæ celebriora recenſituri primum merito locum *Dodonæo* tribuimus, propter vetuſtatem, qua oracula cetera omnia ſuperavit. Herodotus: l) Τὸ γὰρ δὴ μαντήϊον τῦτο γενόμιςο ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηςηρίων ἔιναι. *Oraculum Dodonæum omnium,*

i) In *Ach.* c. XXV. p. 590.
k) De *divin.* l. I. p. 1213. & l. II. p. 1226.
l) Lib. II. c. 52.

um, quæ apud Græcos ſunt, oraculorum vetuſtiſſimum eſſe exiſtimatur. Sic & Strabo idem oraculum παλαιόν τε vocat καὶ ὀνομαστόν, *vetuſtum ac celebre.* m) Nomen ex *Dodona* habuit, Epiri urbe, quæ, rurſus teſtante Strabone, n) antiquitus ſub Thesprotis fuit, quibus & tragici & Pindarus adjudicent, poſtea vero temporis Moloſſorum cœpta eſt haberi. Nempe ſitum erat oppidum in Thesprotiæ & Moloſſidis confiniis. o) Nomen autem Dodona, quam ad Moloſſidem Epiri Stephanus quoque refert Byzantinus, p) vel ex Dodone accepit fluvio, præter illam labente, quod veroſimile viſum eſt Stephano, q) vel ex viro aut femina quadam clara ejus nominis.

§. II.

Oraculi origo, ſedes, miniſtri.

Fundarunt oraculum Pelasgi, eorum, qui Græciam quondam tenuerunt,

m) *Geogr.* l. VII. p. 498.
n) Libro cit. p. 505.
o) Vid. quæ de Epiro ejusque partibus diximus P. I. c. I. §. III. p. 18.
p) In *Fragm. de Dodona*, a Jac. Gronovio illuſtr. ſtatim in principio.
q) L. c. p. 6.

runt, antiquiſſimi: r) ſicuti Ephorus tradit apud Strabonem, s) & ab hoc etiam Homeri & Heſiodi dictis confirmatur. Occaſionem vero illi conſtituendo femina præbuit ſacerdos, Thebis Ægyptiis a Phœnicibus in Græciam abducta. t) Sedem oraculo nemus præbuit Jovi ſacrum, prope Dodonam: cujus nemoris quercui, vel fago cuidam proceræ inſidentes initio viri, Ἑλλοὶ, vel Σελλοὶ, item Τόμουροι dicti, poſtea vero vetulæ, reſponſa reddebant conſulentibus, u) niſi cum Bœotii conſulerent. nam his quidem viri, ſingulari quadam de cauſſa, oracula ſolebant fundere. x) Feminæ ad hoc miniſterium deſignatæ numero tres erant, y) dicebanturque Πέλειαι & Πελειάδες. z) Quod vocabulum quum Theſſalorum lingua & *vaticinatrices* ſonet, & *columbas nigri-*

r) Vid. P. I. c. I. §. I. & cf. c. II. §. VII.
s) Lib. VII. p. 504.
t) Herod. l. II. c. 54.
u) Id. l. c. p. 505, 506. Cf. Spanhem. ad *Callim.* p. 401.
x) Id. l. X. p. 617.
y) Strab. l. VII. p. 506.
z) Herod. l. II. c. 55. Pauſan. in *Phoc.* c. XII. p. 828.

gricantes ; a) nata hinc eſt fabula, quam & Strabo videtur explodere, b) columbas e quercu Dodonæa reſponſa divina eloqui. Valde credulis ipſam etiam arborem vocem emittere, & oracula reddere perſuadebatur; perſuaderi autem facile poterat, ſi ab acceſſu ad quercum fagumve, in cujus vel cavitate, vel ramis denſis ſeſe abdiderat fatidica, propiori arcerentur conſulentes.

§. III.

Ad exiſtimationem oraculi augendam non parum fons quidam faciebat propinquus, naturæ mirabilis: de quo hæc tradidit Plinius: c) *In Dodone Jovis fons quum ſit gelidus, & immerſas faces exſtinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit: qua de cauſſa* ἀναπαυόμενον *vocant. Mox increſcens ad medium noctis exuberat: ab eo rurſus ſenſim deficit.* Quæ fontis proprietates etſi a cauſſis repeti facile poterant *Fons mirabilis oraculo propinquus.*

Hh 3 na-

a) Euſtath. ad *Odyſſ.* XIV. fol. 545.
b) Lib. VII. p. 505.
c) *Hiſt. nat.* l. II. c. 103.

naturalibus; d) a vulgo tamen, effectuum naturæ ignaro atque ſuperſtitioſo, divinitatis cujusdam attribuebantur operationi, & pro indicio habebantur manifeſto Numinis loca illa inhabitantis. Qua de cauſſa idem fons & *ſacer* reputatus eſt appellatusque. e)

§. IV.

Aes Dodonæum. Venerationis aliquid etiam habuit, imo, ex quorundam ſententia, oraculis quoque reddendis inſerviit *æris Dodonæi* ſonitus. De quo ab auctoribus antiquis traduntur varia, ex quibus quod optimum videtur afferemus ex Stephano, f) Polemonis atque Ariſtidæ, quos Dodonam accurate cognoviſſe dicit, & opera ejus ſingula exacte deſcripſiſſe, auctoritate nixo. Ἐν Δωδώνῃ ϛύλοι δύο παράλληλοι καὶ παρεγγὺς ἀλλήλων, καὶ ἐπὶ μὲν θατέρȣ χαλκίον ἐϛὶν ȣ̓ μέγα, τοῖς δὲ νῦν παραπλήσιον λέβησι, ἐπὶ δὲ θατέρȣ παιδάριον ἐν τῇ δεξιᾷ

d) Vid. Thummigii *Verſuche* cet. p. I. c. 2. ubi de fonte propemodum ſimili, qui reperitur in Polonia, diſſeritur.

e) Pompon. Mela l. II. p. m. 51.

f) *Fragm.* a Gronovio ed. p. 9. ſqq.

δεξιᾷ χειρὶ μαστίγιον ἔχον, οὗ κατὰ τὸ δέξιον μέρος ὁ τὸ λεβήτιον ἔχων κίων ἕστηκεν· ὅτ᾽ ἂν οὖν ἄνεμον συμβῇ πνεῖν, τοὺς τῆς μάστιγος ἱμάντας, χαλκοῦς ὄντας ὁμοίως τοῖς ἀληθινοῖς ἱμᾶσιν, αἰωρουμένους ὑπὸ τοῦ πνεύματος, συνέβαινε ψαύειν τοῦ χαλκίου, καὶ τοῦτο ἀδιαλείπτως ποιεῖν, ἕως ἂν ὁ ἄνεμος διαμένῃ. *Dodonæ duæ ſunt columnæ parallelæ, & ſibi invicem propinquæ: in quarum altera vas eſt æneum non magnum, hodiernis lebetibus aſſimile, in altera vero puerulus, flagellum dextra manu tenens, cujus ad dextram partem columna ſtabat pelvim habens. Vento igitur exorto, flagelli lora ænea, veris loris ſimilia, cum a vento attollebantur, contingebat percutere vas illud æneum, atque hoc ſine intermiſſione facere, quousque ventus perſeveraret.* Quibus plane gemina ſunt, quæ Strabonis epitomator de eodem habet ære, g) niſi quod addat, fuiſſe illud Corcyræorum donarium, flagellum ex triplici conſtitiſſe catena, talosque habuiſſe appenſos. Natum ex hoc æris Dodonæi tinnitu fere perpetuo

g) *Geogr.* l. VII. p. 507.

proverbium fuit: Δωδωναῖον χαλκεῖον, *Dodonæus lebes*, cujus Menander h) meminit, de iis uſurpari ſolitum, qui garrulitate ſua aures aliorum obtunderent. i) Ceterum Strabonis ætate oraculum Dodonæum jam defecerat. k)

CAPVT VI.
DE ORACVLO DELPHICO.

§. I.

Nomen oraculi unde.

CLaritate oracula Græciæ omnia antecelluit Delphicum, ex *Delphorum* urbe, olim *Pytho* dicta, l) nominatum. Sita hæc in Phocidis m) erat mediterraneis, in adſcenſu montis Parnaſſi, fanumque habebat in montis vertice, ubi oraculi ſedes.

§. II.

Origo oraculi.

Inventum traditur oraculum a capris

h) In Comœdia, quæ inſcripta fuit Ἀῤῥηφόροι, *arcana Minervæ ſacra ferentes.* V. *Fragm. Menandri* a Clerico coll. p. 24.

i) Stephanus l. c. p. 9. & 11.

k) Teſtatur ipſe Strabo l. VII. p. 504.

l) Pauſan. in *Phoc.* c. VI. p. 812. & ſcholia in Homerum parva ad *Il.* II. v. 519.

m) Vid. P. I. c. I. §. IV.

pris, centumque jam annis ante bellum Trojanum fuiſſe conſtitutum. Originem talem fuiſſe Plutarchus, n) Diodorus Siculus o) & Pauſanias p) referunt. Terræ hiatus eo fuit loco, ubi poſtea adytum templi Delphici exſtitit. Eum circa capræ paſcentes oberrarunt, quod Delphi tunc nondum colerentur. Ibi frequenter accidit, ut quæcunque propius ad voraginem accedens deſpiceret, mirum in modum exſultaret, & vocem ab uſitata prius diſſonam emitteret. Id paſtor gregis, Coretas, ut inſolens admiratus, quid rei foret exploraturus, acceſſit & ipſe, & deſpectans eodem modo, quo capræ, affectus abiit. Nam iſtæ ut afflatæ divino ſpiritu ſe gerere, hic futuros eventus præcinere. Mox fama per rupis accolas divulgata, quod tam miris modis afficerentur, qui ad ſpecum propius accederent, plures eo loci convenere. Cumque propter rei novitatem periculum facerent omnes, quicunque

n) De *orac. def.* p. 433.
o) *Biblioth. hiſt.* l. XVI. c. 26.
p) Loco cit.

propius adierant, furore divino corripiebantur. Hinc locus ille ceu fatidicus pro miraculo habitus, Terræque oraculum eſſe creditum fuit. Duravit ad tempus ille mos, ut qui divinare vellent, antro propinquantes de futuris alter alteri reſponſarent. Sed cum multi, per exceſſum mentis lymphaticum, in ſpecum deſultarent, omnesque e conſpectu hominum auferrentur; conſultius accolis viſum, ne quis idem periculum incurreret, unum ex omni feminarum ſexu vatem conſecrari, quæ fatidicis poſthac effatis præeſſet, machinamque illi fabricari, qua conſcenſa citra noxam afflatu divino repleri, & conſulentibus vaticinari poſſet.

§. III.

Quibus Numinibus conſecratum fuerit orac.

Principio Telluri (quippe ex cujus ore prodiret anhelitus fatidicus) & Neptuno commune fuiſſe proditum eſt oraculum; Neptunumque interpretem habuiſſe Pyrconem. Neptunus deinde Telluri dicitur parte ſua conceſſiſſe; illam Themidi oraculum totum dono dediſſe; ab ea Apollinem illud

illud accepiſſe, tradita Neptuno, quæ ante Troezenem eſt, Calaurea. q)

§. IV.

Locus oraculi qualis fuerit, licet ex ante dictis jam poſſit intelligi, operæ tamen pretium erit Strabonis & Juſtini verbis aliquanto plenius accuratiusque exponere. Strabo: r) *Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον· ἀναφέρεσθαι δ' ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν· ὑπέρκεισθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν, δεχομένην τὸ πνεῦμα ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα. Oraculum. ipſum ajunt eſſe cavam profunde ſpecum, aditu non admodum lato: ex ea ſpiritum efferri furoris divini efficacem: ſupra oreficium tripodem ſitum ſublimem, quo conſcenſo Pythia ubi ſpiritum exceperit, carmine ſolutaque oratione ſortes ab ea pronunciari.* Juſtinus: s) *In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine pla-*

Locus oraculi qualis.

q) Hæc ita refert Pauſanias in *Phoc.c.*V. p. 809.
r) *Geogr.* l. IX, p. 641.
s) Lib. XXIV, c. 6.

planicies exigua eſt, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet. Ex eo frigidus ſpiritus vi quadam, velut vento, in ſublime expulſus mentes vatum in vecordiam vertit. Spiritum illum frigidum etſi ipſam produxiſſe naturam non ægre forſan quis ſibi perſuadeat; (quis enim e ſpecu profunda anhelitus exhalari miretur frigidiores?) credibile tamen eſt, ſacerdotes miniſtrosque oraculi ceteros, in cavernis ſubterraneis circa ſpecum deliteſcentes, t) vehementiorem, impetuoſiorem, magisque ſonorum ac horribilem reddidiſſe, ope quidem inſtrumentorum, illos ad effectus comparatorum, e. c. follium prægrandium.

§. V.

Tripodis deſcriptio.

Tripus, foramini imminens, machina erat tribus inſtructa pedibus. Diodorus Siculus: u) Ἐιναι δὲ τὴν μηχανὴν τρεῖς ἔχουσαν βάσεις, ἀφ᾽ ὧν αὐτὴν τρίποδα κληθῆναι. σχεδὸν δὲ παντὸς τοῦ κατασκευάσματος ἀπομίμητα γίνεσθαι τοὺς ἔτι καὶ

t) V. quæ ad §. XIV. c. VI. p. I. annotavimus.
u) *Biblioth. hiſt.* l. XVI, c. 26.

καὶ νῦν κατασκευαζομένους χαλκοῦς τρίποδας. *Machinam eſſe dicunt, quæ habeat tres baſes*, *unde* tripodis *illi cognomen obvenit. Omnem vero ejus figuram imitari ferme, quotquot ſunt hodie conflati ex ære tripodes.* Statura tripodem fuiſſe altiori, ex Strabone modo accepimus; ut ita ſcala opus habuiſſe videatur Pythia illum conſcenſura. Jam tripodi huic vas imponebatur æneum, orbiculatum, lebeti ſimile, ac foramine inferne inſtructum, per quod ſpiritus fatidicus e ſpecu intraret, & ad vatem vaſi inſidentem penetraret. Vas illud ὅλμος dicebatur: qua voce, ut ex Nicandro, Athenæo, Heſychio & Philoxeno obſervat Spanhemius, x) ea notari ſolent, quæ figuram habent ſphæricam, ſeu circularem, ut *lapis rotundus*, *pila*, *mortarium*, *poculum*, *cornu* inſtar *cylindri.* Julius Pollux: y) Τὸ δὲ ἐπίθημα τοῦ τρίποδος κύκλον καὶ ὅλμον προσήκει καλεῖν. ἐπεὶ καὶ τοῦ δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ἡ προφῆτις, ὅλμος κα-

x) Ad hymnum Callim. *in Delum* p. 389.
y) *Onomaſt.* l. X, c. XXIII. ſegm. 81.

καλεῖται. *Operculum vero tripodis* circulus *appellari debet &* holmus; *quoniam & Delphici tripodis operculum, cui vates inſidet*, holmus *vocatur*. Interdum tamen ὅλμε vocabulum non ἕδραν tantum, ſive ſedile tripodi incumbens, ſed ipſum quoque ſimul tripodem deſignat. z) Nomine alio idem vas γάστρη vel γάστρα vocabatur: unde Pythia ἐγγαστρίμυθος dicta. a) Copioſiorem tripodis notitiam ſuppeditarunt Jac. Sponius, b) Ez. Spanhemius, c) Andr. Schottus d) & Bern. Montfaucon, e) qui & figuram tripodis, quam in nummis cernere eſt antiquis, expreſſerunt.

§. VI.

Femina oracula reddens. Quod ſi jam reddendum eſſet oraculum, conſcendebat tripodem femina, *Pythia* appellata ex Apolline, cui ex urbe Pytho, ſive Delphorum

z) Spanhem. l. c.
a) V. P. II, c. III. §. III.
b) In *Miſcellan. erud. antiqu.* p. 119.
c) Loco cit.
d) In *nouvelle explication de l'apotheoſe d'Homere.*
e) In *Antiquité expliquée* l. V. p. 2.

rum, Pythii tribuebatur cognomen. Pythiarum prima Phemonoë fuit, oracula verſibus hexametris decantare ſolita, maximamque nominis conſecuta celebritatem. f) Principio una tantum, poſtea, quum magis frequentaretur locus hominum multitudine, duæ Pythiæ, quibus tertia quædam femina adjuncta erat, tanquam ſupernumeraria, ad oracula pronuncianda fuere deſignatæ. Sed imminuta tandem oraculi auctoritate, uſuque paullatim deficiente, unam ſufficere exiſtimatum fuit. g) g) Ad gerendum hocce munus, virgines initio deligebantur, tum quod ſexus cum Diana haberent communionem, naturamque incorruptam, tum quoque quod ſervandis oraculorum ſecretis magis idoneæ viderentur. Sed poſtquam Echecrates quidam Theſſalus, ad oraculum profectus, ex fatidicæ virginis intuitu, propter eximiam ejus venuſta-

f) Strabo l. IX, p. 642. Pauſan. in *Phoc.* c. V. p. 809.

g) Ant. van Dale de *orac.* p. 103. ex Plutarchi teſtimonio.

ſtatem, amore exarſiſſet, raptæque ſtuprum obtuliſſet; impulit facinus hoc Delphos, ut lege ſancita caverent, ne virguncula deinceps, ſed femina quinquagenaria major, virgineo tamen ornatu, ad moris antiqui in vaticinando memoriam, Dei reſponſis præſideret. h)

§. VII.

Quomodo præparata Pythia ad tripodem deducta fuerit.

Ante vero quam tripodem conſcenderet femina, aquam bibebat ex fonte Caſtalio, in aſcenſu fere medio montis Parnaſſi ſito, Muſisque ſacro, cujus aqua fatidicam reddere credebatur mentem bibentis. Lucianus i) νᾶμα ἱερὸν, *laticem* vocat *ſacrum*, item πηγὴν μαντικὴν, *fontem divinationi inſervientem.* Sic enim apud illum Apollo: k) Πῶς, ὦ Μῶμε, δυνατὸν ποιεῖν ταῦτα, μήτε τρίποδος ἡμῖν παρόντος, μήτε θυμιαμάτων, ἢ πηγῆς μαντικῆς, οἵα ἡ Καςαλία

h) Diod. Sic. *Bibl. hiſt.* l. XVI, c. 26. cf. Lucianum de *Aſtrologia* T. I. p. 854.

i) In *bis accuſato* T. II. p. 212. Pauſanias fonti Caſſotidi tribuit, quod Lucianus Caſtalio, in *Phoc.* c. XXIV. p. 859.

k) In *Jove Tragœdo* T. II. p. 144. Cf. ejusd. *diſſertat. cum Heſiodo* T. II. p. 490.

ϛαλία ἐϛὶν; *Qui hæc facere* (futura prædicere) *poſſim, o Mome, cum nec tripodem in præſentia habeam, nec thymiamata, aut divinum fontem, qualis eſt Caſtalius?* Tum laurum quoque manducabat, cujus idem eſſe putabatur effectus. l) Hinc Lucianus Pythiam, oraculum edituram, μασησαμένην τῆς δάφνης, *feminam* appellat, quæ *laurum commanducavit.* m) Suffimenta quoque, ac forte talia, quæ mentem in vertiginem quaſi agerent obturbarentque, ante vaticinationem incenſa fuiſſe, ex modo allatis Luciani verbis poteſt colligi. Hoc facto adytum templi, ubi collocatus tripus, intrabat Pythia, furore jam correpta, deducentibus illam ad tripodem usque antiſtitibus, forte lectis, furentemque regentibus. n) Prodere autem ſeſe ſolebat furor, ſimulatus quidem, & certarum fortaſſis herbarum pharmacorumque aliorum uſu adjutus, colore faciei

l) Vid. P. II. c. III. §. IV.
m) In *bis accuſ.* l. c. Cf. *diſſert. cum Heſ.* l. c. & van Dale p. 130. ſqq.
n) Van Dale p. 137. ſqq.

mutato, motibus oculorum totiusque corporis inſolitis, coma diffluente, ore ſpumante, clamore inconditо, aliisque indiciis. o)

§. VIII.

Tripus coronatus, propheta orac. excipiens, poeta in verſus redigens.

Tripus ipſe coronis ornatus erat laureis, quarum unam capiti ſuo imponebat Pythia. Hinc ex hero ſuo, qui conſultum iverat, ſciſcitatur Cario apud Ariſtophanem: p)

Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν ϛεμμάτων;

Quid igitur Phoebus garriit (vaticinatus eſt) *e coronis* laureis? Pythia holmo inſiſtens voce horribili & indiſtincta eructabat reſponſa Dei, antea quidem per antiſtites ipſi ſuggeſta. Aderat vero propheta, q) ſorte delectus, qui quicquid effutiiſſet femina in litteras referret, & in ordinem redigeret. Aderat etiam poe-

o) Lucianus in *Jove Tragœdo* T. II. p. 145. Cf. P. II. c. III. §. III.

p) In *Pluto* v. 39. Cf. ibi Scholiaſten & commentatores ceteros. Adde Spanhemium ad *hymnum* Callimachi *in Delum* p. 388. ſqq.

q) V. P. II. c. III. §. V.

poeta, qui in verſus cogeret oraculum, ſi proſa oratione edi illud contigiſſet, conſulentibus, poſtquam ſchedæ inſcriptum obſignatumque eſſet, tradendum. Strabo: r) Ἐντείνουσι δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιηταί τινες ὑπουργοῦντες τῷ ἱερῷ. *Poetæ quidam, fani adminiſtri, reſponſa hæc* (proſaica) *in verſus numerosque redigunt.* s).

§. IX.

Non poterat autem tempore oraculum conſuli quovis, ſed initio quidem uno tantum anni menſe, qui dicebatur Βύσιος, quaſi πύσιος, quod eſſe vult Plutarchus a πυνθάνεσθαι, *ſciſcitari.* Iſto nimirum menſe, in ver incidente primum, oraculum primum exortum; die vero ejus ſeptimo Apollo natus eſſe ferebatur. Sed quum incommodum videretur, a conſulentibus omnibus illum exſpectari menſem; placuit antiſtitibus reſponſa menſibus reddi ſingu- *Conſulendi tempus.*

Ii 2 lis

r) *Geogr.* l. IX. p. 642.

s) Idem tradit Plutarchus de *Pythiæ oraculis*, p. 407.

lis, ac uno quidem ſtatoque die. t) Nec alia ſane de cauſſa rariorem conſulendi facultatem dediſſe videntur antiſtites, quam ut auctoritatem oraculo majorem compararent, tempusque lucrarentur reſciſcendi apparandique ea, quæ ad dandum reſponſum congruum viderentur pertinere.

§. X.

Munera a conſulentibus offerenda.

Conſulentium nemo ut ſine muneribus accederet amplis, tum majoris venerationis, tum utilitatis quoque cauſſa (ecquis enim dubitet, factos antiſtites eſſe munerum participes?) fuerat ſancitum. Hinc eſt, quod Cicero fanum Delphicum *donis refertum omnium populorum atque regum* vocare poterat, u) & Juſtinus de eodem ſcribere: x) *Multa ibi & opulenta regum populorumque viſuntur munera; quæque magnificentia ſui reddentium vota, gratam voluntatem, &*

t) Vide Plutarch. in *quæſt. Gr.* p. 292.
u) De *divinat.* l. I. p. 1208.
x) *Hiſtor.* l. XXIV. c. 6 Cf. quæ hac de re dicta jam ſunt c. IV. §. V.

& Deorum reſponſa manifeſtant. Quid mirum igitur, ſi ſæpius attentatum direptumque illud templum fuit, partim a barbaris, partim ab ipſis Græcis, opum ejus cupidis? y)

§. XI.

Præter dona vero ad perpetuam memoriam Apollini dedicanda, & in fano vel ſuſpendenda vel reponenda, victimas quoque adducere oportebat conſulentes, ut ſacrificiis etiam ſibi placarent Apollinem, priusquam reſponſum ab eo peteretur. z) Ad ſacrificia illa capræ potiſſimum adhibebantur, quod per illas detectum primum fuiſſet oraculum. a) Rei ſacræ faciendæ ſacerdotes præerant quinque, Ὅσιοι, *Sancti* appellati, qui multis in rebus aderant Prophetis. b) *Item ſacrificia.*

§. XII.

Diem, quo dandum reſponſum erat *Conſulentes per ſa-*

y) Pauſan. in *Phoc.* c. VII, XIII. & XV. Strabo l. IX. p. 644.
z) V. c. IV. §. V. Cf. van Dale p. 102.
a) Diod. Sic. l. XVI. c. 26.
b) Plutarch. in *quæſt. Gr.* p. 292.

num circumducti.

erat, dum exſpectarent conſulentes, circumduci per fanum ſolebant a περιηγηταῖς, qui ſpectatu maxime digna, & in his donaria cumprimis eisdem oſtendebant, atque unde veniſſent, quid miraculi in hac illave ſtatua accidiſſet, hujusque generis alia enarrabant; eaque occaſione callide ſimul conditionem, ſtatum, negocia & conſilia eorum expiſcabantur. c)

§. XIII.

Iidem in cellam quandam templi ſolenniter deducti.

Vbi tandem illuxiſſet dies exſpectatus, ad templum ſolenniter deducebantur conſulentes, ut in cella quadam advto vicina reſponſum oraculi operirentur, poſtquam quæſtionem ſuam, ſchedulæ breviter inſcriptam obſignatamque, (ſcite tamen reſignare noverant oraculi antiſtites) vel ipſi Pythiæ, vel Prophetarum alicui tradidiſſent, precesque ad Deum juxta adytum fudiſſent. Deducebantur vero lauro coronati, frondesque, vel & coronas laureas, manibus geſtantes, caput vero operti,

c) Plut. de *Pyth. orac.* p. 397. Cf. van Dale p. 92.

ti, ne quid forte mali ominis in oculos incurreret. Accedebat ſonitus tubarum ingens & terribilis, quo impediretur, quo minus vox male ominata auribus accideret. d)

§. XIV.

Qua lingua, & quo orationis genere concepta fuerint oracula.

Concipiebantur oracula lingua non alia, niſi Græca. e) Indignum ſcilicet videbatur, ſi Apollo, Græcæ originis Deus, alio, quam Græco ſermone uteretur. Carmine vero exprimebatur oraculum vel hexametro vel jambico, prouti vel hujus vel illius majorem facultatem poſſideret poëta, cui hoc datum fuerat negocii, ut in verſus numeroſque reſponſum redigeret. Deſierat tamen Apollo verſus facere Pyrrhi jam tum temporibus, cujus ætas in ſeculum ante C. N. III. incidit. f)

d) Sophocl. apud Dalium p. 113. Schol. Ariſtoph. ad *Plutum* v. 39. Philoſtr. in *vita Apollon.* l. VI. c. 10. Plut. de *orac. def.* p. 134. Cf. Plut. in *quæſt. Rom.* p. 266. Juſtinum *Hiſt.* l. XXIV. c. 6.

e) Herodot. l. VIII. c. 135. Plutarch. in *Ariſtid.* p. 330. & de *orac. def.* p. 412. Cf. Cic. de *divinat.* l. II. p. 1231.

f) Cic. l. c. Cf. Plutarchi *commentar. cur nunc Pythia non reddat oracula carmine.*

§. XV.

Reſponſorum obſcuritas & ambiguitas.

Erant vero reſponſa hujus oraculi adeo obſcura & ambigua ut plurimum, ut quomodocunque eveniſſet res, de qua quærebatur, interpretationem ſemper paterentur eventui accommodam. Hinc Momus Apollini apud Lucianum g) Τȣ̃το μὲν ὀρθῶς, ait, ἔλεξας, ὦ Ἄπολλον, ἐπαινέσας τȣ̀ς σαφῶς λέγοντας, ἐι καὶ μὴ πάνυ ποιεῖς σὺ τȣ̃το ἐν τοῖς χρησμοῖς, λοξὸς ὢν, καὶ γριφώδης, καὶ ἐς τὸ μεταίχμιον ἀσφαλῶς ἀποῤῥίπτων τὰ πολλὰ, ὡς τȣ̀ς ἀκȣ́οντας ἄλλȣ δεῖσθαι Πυθίȣ πρὸς τὴν ἐξήγησιν αὐτῶν. *Recte quidem eos laudaſti, Apollo, qui perſpicue loquuntur: quanquam id non admodum in oraculis tuis obſervare ſoles, quæ tu obliqua & intricata reddis, & in mediam intercapedinem tuto projicis plerumque, ut ad eorum expoſitionem auditores alio egeant Pythio.* Mercurius apud eundem: h) Ὁρῶ γȣ̃ν καὶ τὸν Ἀπόλλω γελώμενον ἐπ᾽ ἐνίοις τῶν χρησμῶν. καίτοι ἐπικρυπτȣ́σης τὰ πολλὰ τῆς ἀσφαλείας, ὡς μὴ πάνυ σχολὴν ἄγειν

g) In *Jove tragœdo* T. Op. II. p. 143.
h) L. c. p. 131.

ἄγειν τὰς ἀκόντας ἐξετάζειν τὰ μέτρα. *Apollinem video ob oracula nonnulla derideri; quanquam cautionis cauſa multa obſcuret, ne omnino audientes otio indulgeant, ſed expendant verſus.* Et Heraclitus apud Plutarchum de reſponſis Apollinis ſic pronunciavit: i) Ὁ ἄναξ, ὃ τὸ μαντεῖόν ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς, ὅτε λέγει, ὅτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει. *Rex, cujus oraculum Delphicum eſt, neque clare & aperte rem eloquitur, neque omnino occultat, ſed tantum ſubindicat.* Exempla reſponſorum talium duo Momus affert apud Lucianum. k) Appellari hinc ſuevit Apollo Λοξίας, quam vocem Scholiaſtes Ariſtophanis l) exponit: λοξὴν ἴαν πέμπων, *vocem emittens obliquam.* Nec poterant ſane melius honori ejus, quem jactabant, Dei conſulere oraculi antiſtites, quam ſermonis tenebris atque amphiboliis. Excuſare tamen illas noverant ſpecioſe, dicentes: *impuro purum contrectare ne-*

i) De *Pythiæ oraculis* p. 404.
k) L. c. p. 139.
l) Ad *Plutum* v. 8.

fas, quo ſignificabant, haud eſſe res divinas temere evulgandas, ſed aliquantum occultandas, ut contemtui ne eſſent hominibus profanis. m)

§. XVI.

Reſponſa ſagacioribus ſuſpecta.

Quum igitur effata oraculi talia eſſent, ut eventui cuicunque facile poſſent aptari, ac revera etiam aptarentur; mirum non eſt, fuiſſe illa a ſimplicioribus atque credulis pro veriſſimis habita.n) Sagacioribus tamen ſuſpecta illa ſæpius fuerunt merito, quum non ignorarent, Pythiam, muneribus corruptam, reſponſa interdum ſua conſulentium, vel eorum, a quibus munera acceperat, attemperare deſideriis. Tale quid Demoſthenis ætate contigit, qui propter-

m) Clem. Alexand. *Stromat.* l. V. p. 555.

n) Adde teſtimoniis hanc in rem c. IV. §. IV. allatis hoc Oreſtis dictum, apud Euripidem in *Electra* v. 399.

Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι
Χρησμοί, βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

Apollinis enim rata ſunt
Oracula; mortalium vero divinationem
valere ſino.

Cf. Spanhem. ad *Callim.* p. 398. & 401.

pterea φιλιππίζειν dicebat Pythiam, i. e. *quaſi cum Philippo* Macedonum rege *facere*, quod eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. o) Sic & a Cleomene corruptam fuiſſe Pauſanias teſtatur. p)

§. XVII.

Auctoritas oraculi immutata, ejusdemque interitus.

Quo major autem oraculi hujus olim fuit dignitas auctoritasque, eo magis illud vilipendi tandem cœpit atque ſperni. Ciceronis jam ætate minore illud fuit gloria, quia minus oraculorum veritas excellere putabatur. Imo nihil illo tunc eſſe poſſe contemtius, ipſe pronunciavit Cicero. Strabo etiam ſuo tempore negligi oraculum confirmat. q) Illud autem inde eſſe ajebant aliqui, quod evanuiſſet vetuſtate vis loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. Salſe autem regerit Cicero: *De vino aut ſalſamento putes loqui, quæ*

o) Cic. de *divinat.* l. II. p. 1231.
p) In *Lacon.* c. IV. p. 212. Cf. quæ de Lyſandro Nepos refert in ejus *vita* c. III.
q) *Geogr.* l. IX. p. 641.

quæ evaneſcunt vetuſtate: de vi loci agitur, neque ſolum naturali, ſed etiam divina. Quæ vetuſtas eſt, quæ vim divinam conficere poſſit? cet. r) Mox vero Cicero veram cauſam ſubindicat; videlicet, iſtam vim evanuiſſe, poſtquam homines minus creduli eſſe cœperunt. Neque tamen ante medium circiter ſeculum Chriſtianum IV. omnino ſiluit Pythia, quum a Juliano ejus ſeculi Imperatore, ſuper bello Perſico conſultam eam fuiſſe tradat Theodoretus. s) Minime ergo perpetuum illud fuit ſilentium, quod Neronis ætate ſervare cœpit, poſtquam ille, ut Dio refert Caſſius, t) homines mactavit in os illud, unde ſacer ſpiritus exibat. Ea nimirum re effectum fuiſſe dicebatur, ut remitteret iſte ſpiritus, atque adeo oraculum ſileret.

CAP.

r) L. I. de *divinat.* p. 1208. & l. II. p. 1231. Cf. quæ de oraculis generatim obſervavimus c. IV. §. II.

s) Apud Dalium p. 491.

t) In *Epitome* Xiphilini p. m. 523.

CAPVT VII.

DE

ORACVLO TROPHONII.

§. I.

Nomen huic oraculo ex Trophonio datum fuit, Ergini, vel ut Pauſanias u) & Philoſtratus x) tradunt, Apollinis filio, Agamedis fratre. Qui quum vatem ſeſe gereret, & architectus eſſet inſignis, ædificium ſibi ſtruxit ſubterraneum, prope Lebadiam ſive Lebadeam, Bœotiæ urbem, in finibus Phocidis, & in hoc multum degens futura prædixit conſulentibus. Apollini templum quum exædificaſſet Delphis, ſimul cum fratre Agamede, venerantes Deum utrique petierunt mercedem quidem non parvam operis & laboris ſui, nihil certi, ſed quod eſſet optimum homini. Quibus Apollo ſe id daturum oſtendit poſt ejus diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui ſunt reperti. Quo munere judica-

Trophonius vates, ejus fatum, & poſt mortem honores.

u) In *Bœot.* c. LXXXV.
x) In *vita Apollonii* l. VIII. c. 19

us exponentem Pauſaniam: b) Τὸ δὲ μαντεῖον οἱ Βοιωτοὶ τοῦτο οὐ πεπυσμένοι πρότερον, ἐπ᾽ αἰτίᾳ τοιᾷδε ἔγνωσαν. Θεωροὺς ἀφ᾽ ἑκάστης πόλεως ἄνδρας ἀποστέλλουσιν ἐς Δελφούς. οὐ γὰρ δή σφισιν ἔτος δεύτερον ὗεν ὁ Θεός. τούτοις αἰτοῦσιν ἐπανόρθωμα τοῦ αὐχμοῦ, προσέταξεν ἡ Πυθία, παρὰ Τροφώνιον ἐς Λεβαδείαν ἐλθοῦσιν εὕρασθαι παρὰ ἐκείνου τὸ ἴαμα. ὡς δὲ ἐς τὴν Λεβαδείαν ἐλθόντες οὐκ ἐδύναντο εὑρεῖν τὸ μαντεῖον, ἐνταῦθα τῶν ἐξ Ἀκραιφνίου πόλεως Σάων (ἔτος δὲ ἦν καὶ ἡλικίᾳ τῶν θεωρῶν πρεσβύτατος) εἶδεν ἑσμὸν μελισσῶν, ὅποι ποτ᾽ ἂν ἀποτράπωνται καὶ αὐτοὺς ἕπεσθαι. αὐτίκα δὴ τὰς μελίσσας ἐς τοῦτο ἐσπετομένας ὁρᾷ τῆς γῆς, καὶ συνεισῆλθέ σφισιν ἐς τὸ μαντεῖον. τοῦτον τὸν Σάωνα, καὶ τὴν ἱερουργίαν τὴν καθεστηκυῖαν, καὶ ὁπόσα περὶ τὸ χρηστήριον δρῶσιν ἄλλα, διδαχθῆναι παρὰ τοῦ Τροφωνίου φασί. *Hoc oraculum quum antea prorſus ignoraretur, ex hujusmodi caſu ad Bœotos ejus pervenit notitia. Quum unum & alterum jam annum nullis terra imbribus irrigaretur, e ſingulis civitatibus*

b) In *Bœot.* c. XL.

tibus Delphos miſſi ſunt, qui opem implorarent. His ſiccitatis remedium expoſcentibus, Pythius Apollo imperavit, ut Lebadeam euntes a Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadeam itaque profecti, quum oraculum reperire non poſſent, Saon quidam Acræphnienſis, collegarum natu maximus, quum apum examen conſpexiſſet, quocunque illæ divertiſſent ſequi ſtatuit. Vbi igitur eas ad ſpecum advolantes vidit, & ipſe ſubiens, oraculum quod quærebant, illud eſſe intellexit. Saonem hunc cum ea, quorum cauſa miſſus fuerat, tum ſacrorum omnem ritum, & quæ inter conſulendum fieri fas eſt, edoctum a Trophonio memorant.

§. III.

Oraculi locus, & ad eum deſcendendi modus.

Locum oraculi, modumque eo deſcendendi idem Pauſanias ſic deſcribit: c) Ἔϛι δὲ τὸ μαντεῖον ὑπὲρ τὸ ἄλσος ἐπὶ τȣ̃ ὄρȣς. κρηπὶς μὲν ἐν κύκλῳ περιβέβληται λίθȣ λευκȣ̃, περίοδος δὲ τῆς κρηπῖδος κατὰ ἅλων τὴν ἐλαχίϛην ἐϛίν. ὕψος δὲ ἀποδέȣσι δύο εἶναι πήχεις. ἐφεϛήκασι

c) L. cit. c. XXXIX. p. 791.

σι δὲ ἐπὶ τῇ κρηπῖδι ὀβελοὶ καὶ αὐτοὶ χαλκοῖ, καὶ αἱ συνέχουσαι σφᾶς ζῶναι. διὰ δὲ αὐτῶν θύραι πεποίηνται. τοῦ περιβόλου δ' ἐντὸς, χάσμα γῆς ἐστιν οὐκ αὐτόματον, ἀλλὰ σὺν τέχνῃ καὶ ἁρμονίᾳ πρὸς τὸ ἀκριβέστατον ᾠκοδομημένον. τοῦ δὲ οἰκοδομήματος τούτου τὸ σχῆμα εἴκασται κριβάνῳ. τὸ δὲ εὖρος ἡ διάμετρος αὐτοῦ τέσσαρας παρέχοιτο ἂν, ὡς εἰκάσαι, πήχεις. βάθος δὲ τοῦ οἰκοδομήματος οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο εἰκάζοι τὶς ἐς πλέον ὀκτὼ καθήκειν πηχῶν. κατάβασις δὲ οὐκ ἔστι πεποιημένη σφίσιν ἐς τὸ ἔδαφος. Ἐπειδὰν δὲ ἀνὴρ ἔρχεται παρὰ τὸν Τροφώνιον, κλίμακα αὐτῷ κομίζουσι στενὴν καὶ ἐλαφράν. καταβάντι δέ ἐστιν ὀπὴ μεταξὺ τοῦ τε ἐδάφους καὶ τοῦ οἰκοδομήματος, σπιθαμῶν τὸ εὖρος δύο, τὸ δὲ ὕψος ἐφαίνετο εἶναι σπιθαμῆς. Ὁ οὖν κατιὼν κατακλίνας ἑαυτὸν, ἐς τὸ ἔδαφος, ἔχων μάζας μεμαγμένας μέλιτι προεμβάλλει τε ἐς τὴν ὀπὴν τοὺς πόδας, καὶ αὐτὸς ἐπιχωρεῖ τὰ γόνατά οἱ τῆς ὀπῆς ἐντὸς γενέσθαι προθυμούμενος. τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα αὐτίκα ἐφειλκύσθη τε καὶ τοῖς γόνασιν ἐπέδραμεν, ὥσπερ ποταμῶν ὁ μέγιστος καὶ ὠκύτατος συνδεθέντα ὑπὸ δίνης ἀποκρύψειεν ἄνθρωπον. *Eſt vero oraculum ſupra lu-*

cum in monte, crepido in orbem candido ſaxo circumducta. Crepidinis ambitus eſt inſtar areæ minimæ, altitudine minore quam cubitûm duûm. Erecti ſunt ſuper crepidine obeliſci, tam ipſi quam Zonæ, quibus continentur, ænei. Inter eos media ſunt oſtia. Intra ambitum ſpecus eſt, non natura, ſed arte, & certo proportionis modulo quam ſollertiſſime exciſus. Ejus ſubterraneæ cellulæ forma furno perſimilis: cujus latitudo dimenſa per rectam lineam ab imo ambitu ad ſummum, cubita æquarit plus minus IV. In altum ſubſidit hiatus haud amplius octo fere cubitûm. Nulli vero gradus conſtructi ſunt, qui ingreſſos ad imum ſolum demittant, ſed ad Trophonium deſcenſuri ſcalas admovent anguſtas æque atque habiles. Vbi deſcenſum fuerit, medium inter ſolum & antri teſtudinem cavernula eſt latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrantali. Qui eo penetrarit, humi procumbens, melle ſubactas offas tenens, (ſerpentibus & lemuribus in antro degentibus objiciendas) *pedes prius in cavernulam illam immittit: mox genua properat*

ad

ad pedes adjungere: ſtatim reliquum corpus ad genua contractum, eodem prope modo, quo ſi maximi & concitatiſſimi amnis aquarum vortice correptum fuiſſet, intro abripitur.

§. IV.

Oraculum hoc conſulturis magno opus erat apparatu, eo quidem tendente, ut res agi videretur magna, ſacerdotibus occaſio ſuppeditaretur epulandi crebrius, aliudve lucrum faciendi, fiducia in conſulentibus excitaretur, ac mens eisdem obnubilaretur, quo fraudes minus poſſent animadvertere. Recenſet accurate momenta præparationis ſingula Pauſanias, cui tuto hac in re credas, quoniam ipſe de ſe profitetur, ſe quoque in antrum Trophonii aliquando deſcendiſſe. Eſt vero expoſitio ejus d) hujus fere argumenti. In antrum hoc deſcendere ubi quis ſtatuit, commorandum ei per certum dierum numerum in ædicula quadam eſt, Bono Genio Bonæque *Conſulentium præparatio.*

d) In *Bœot.* c. XXXIX. p. 789. ſqq.

Fortunæ ſacra. Illic degens cum aliis luſtrationum generibus utitur, tum aqua ſeſe abluit Hercynæ fluvii, carnibusque multum veſcitur ſacrificalibus. Nam ſacrificia ab eo facienda ſunt Trophonio, hujusque filiis, Apollini præterea, Saturno, Jovi Regi, Junoni Heniochæ, & Cereri Europæ. Quæ dum apparantur, haruſpex aliquis e victimarum extis, diligenter inſpectis, vaticinatur, acceptusne Trophonio futurus ſit conſultor, nec ne. Ducuntur tamen hæc pro nihilo, ſi vel maxime læta fuerint, niſi exta etiam arietis, ipſa deſcenſus nocte in foveam mactandi, animum Trophonii propitium ſignificaverint. Hoc autem ſi acciderit, bona cum ſpe ad deſcenſum ſeſe comparat conſultor. Itaque ſtatim ad fluvium deducitur Hercynam, abluendus ibi, oleoque perungendus duorum puerorum, annos natorum XIII, quos *Hermas* vocant, opera. Ducitur etiam ad fontes amnis duos, inter ſe proximos, ut ex altero aquam bibat Lethes, ſive *oblivionis*, quo oblivio ei con-

contingat omnium, quæ memoria adhuc tenuit, ex altero vero aquam *Mnemoſynes*, ſive *memoriæ*, quo memoria continere valeat, quæcunque in antro vel ſpectaverit, vel audiverit. Tum ſignum Trophonii, quod Dædalum fabricatum eſſe dicunt, præterque eos, qui oraculum hocce conſulunt, nemini oſtendunt ſacerdotes, veneratus, votisque nuncupatis, ad antrum progreditur, tunicam indutus lineam, ac tæniis incinctus, inductisque in pedes ſoleis popularibus, manibus vero offas tenens melle ſubactas. V. §. III.

§. V.

In antrum ipſum ubi deſcendiſſet conſultor eo, uti dictum ante eſt, modo, varia illi mirabilia ſacrificulorum in antro quadam vicino latentium, e) artibus, tum auribus accidebant, tum oculis ſubjiciebantur, ex quibus futurorum indicium caperet. f) Ea cujusmodi fuerint, *In antro ipſo quid illis contigerit.*

e) Colligi hoc ex eo poteſt, quod de ſpiculatore quodam Demetrii l. c. narrat Pauſanias.
f) Pauſan. l. c. p. 791.

ex Timarchi, qui antrum ſubierat, inque eo duas noctes & unum diem exegerat, apud Plutarchum g) narratione poteſt cognoſci. Viderat is e. c. ſupra ſe inſulas infinitas, molli igne ſplendentes, coloremque ſubinde mutantes, infra ſe hiatum ingentem, tenebricoſum, profundum ac horribilem. Audiverat ex hoc ipſo hiatu infinitos rugitus & gemitus animalium, vagitus infantium, mixtos virorum et mulierum ejulatus, omnis generis ſonos & tumultus; audiverat etiam ſtrepitum quendam ſupra caput circumagitatum, vocemque alloquentis ipſum, & quid cognoſcere cuperet rogantis, cet.

§. VI.

Quomodo inde rurſus aſcenderint.

Spectandi audiendique fine facto, redeundum ex antro conſultori erat ſtatim, ita quidem, ut pedibus antrorſum verſis ſurſum reperet. h) Ex quo ſitu motuque corporis, naturæ contrario, fieri non poterat, quin mens quoque hominis gravius affi-

g) De *Socratis genio*, p. 590. ſq.
h) Pauſan. l. c.

afficeretur, & horroris jam tum plena magis etiam turbaretur, obtuſiorque redderetur. Triſtes eſſe contingebat omnes ex antro reverſos, & quis miretur? Quocirca de iis, qui triſtes tetricique eſſent admodum, proverbio dictum fuit: Ἐν Τροφωνίȣ μεμάντευται. *Trophonii in antro vaticinatus eſt.*

§. VII.

Quid de conſultore porro factum ſit, hoc quoque ſequentem fere in modum exponit Pauſanias: Eſt non procul ab adyto templi, Trophonio ſacri, ſolium, quod Mnemoſynes vocant. In eo hominem ubi collocarunt ſacerdotes, percontantur ex eo, quæcunque viderit audieritque. Ea ubi accepere, ſuis illum reddunt: qui ſublatum in cellam deportant Boni Genii. Bonæque Fortunæ, in qua ante deſcenſum fuerat commoratus. Valde quidem ille terrore attonitus adhuc eſt, mentisque nondum compos; ſed mox tamen ad ſe redit. Tandem in tabulam quandam referri ab eodem oportet quæcunque vel vidit vel audivit, (inter- *A reditu de illis quid factum ſit.*

pretabantur hæc oraculi adminiſtri pro lubitu) eamque tabulam in templo ſuſpendere. Ceterum in hoc non ſecus, ac in Delphico oraculo, ſacerdotum artibus acta fuiſſe omnia pluribus oſtendit Anton. van Dale. i)

CAPVT VIII.

DE AMPHIARAI, COLOPHONIO, BRANCHIDARVM DELIOQVE ORACVLIS.

§. I.

Oraculi Amphiarai origo. Habuerunt præterea Græci oracula plura alia, k) ex quibus de illo præſertim Amphiarai, nec non de Colophonio, Branchidarum, Delioque, quippe fama multum celebratis, breviter ut commentemur, inſtitutum videtur requirere. Itaque ad *Amphiarai* oraculum quod attinet, originem ejus talem fuiſſe perhibent. Amphiaraus Argivus, vir illuſtri genere, & divinandi peritia

i) De *orac.* p. 191. ſqq.

k) Ingens oraculorum, quibus orbis antiquus deludi ſeſe paſſus eſt, fuit numerus. Ant. van Dale ultra CCLX. enumerat, p. 560. ſqq.

tia inſignis, ab Adraſto, Argivorum rege dux deſignatus fuerat cum aliis ad expeditionem Thebanam, quam ſuſcepturi erant Argivi, ad pellendum regno Eteoclem, illud tunc uſurpantem. Eam Amphiaraus expeditionem omni modo devitare ſtuduit, monitus oraculo, fore, ut in illa moreretur. Itaque latibulo quodam ſeſe abdidit, quod præter uxorem cognitum habebat nemo. Proditus vero uxoris, cui Adraſtus frater erat, perfidia, inire expeditionem coactus fuit. Re ad Thebas infeliciter, licet fortiter pugnaſſet Amphiaraus, geſta, aufugere conatus idem dux, terra dehiſcente, ſimul cum curru, equis & auriga Butone, abſorptus eſt, ſtadiis ab urbe Oropo, in Boeotiæ & Atticæ confiniis ſita, XII, eo loco, qui Ἅρμα, *Currus* poſtea vocatus eſt. Oropii Deorum in numerum retulerunt Amphiraum. Eum ſcilicet honorem mereri ipſis videbatur homo, qui divinam ſcientiam in vita oſtendiſſet profeſſusque eſſet, & ex ſomniis imprimis ſcitiſſime divinaſſet.

Oropios ſecuti mox ſunt Græci reliqui, *ſummoque conſenſu ad Amphiaraum decorandum incubuerunt, locum, in quo humatus eſt, in formam conditionemque templi redigendo, atque inde oracula capi inſtituendo.* l) Signum quoque ibi ex candido lapide Amphiarao, (qui divinos honores conſecutus ab inferis rediiſſe ferebatur, & ex fonte quodam vicino in luminis auras aſcendiſſe) fuit poſitum. Narrant ſingula prolixius Pauſanias, m) Strabo, n) Plutarchus, o) Diodorus Siculus, p) Philoſtratus, q) Apollodorus r) & Hyginus. s)

§. II.

Conſulendi modus. Oraculo hoc uſuris ſacrificiis opus erat & abſtinentia. Abſtinere enim eos

l) Verba ſunt Valerii Maximi l. VIII, c. XV. in *Externis*, n. 3.
m) In *Atticis*, c. XXXIV. & in *Corinth.* c. XXIII, locisque aliis
n) *Geogr.* l. IX. p. 612, 619.
o) In *Parallel.* T. Opp. II. p. 307.
p) *Biblioth. hiſt.* l. IV. c. 67.
q) In *Heroic.* p. 680. & in *Icon* l. I. p. 802.
r) *Biblioth.* l. III. c. VI.
s) *Fab.* LXX, LXXI. aliisque

eos oportebat per diem integrum ab omni cibo, per triduum vero a vino, ἵνα διαλαμπέσῃ τῇ ψυχῇ τῶν λόγων σπάσωσι; *ut pellucente anima divina oracula imbiberent.* t) Sacrificare autem, non Amphiarao tantum, ſed Diis etiam Heroibusque ceteris, quibus ara templi Amphiarao exſtructi ſimul conſecrata fuerat, puta Jovi, Apollini, Heroibus eorumque uxoribus, Veſtæ, Mercurio, Amphilochi filiis, Veneri, Jaſoni, Nymphis, Pani, cet. Tum arietem Amphiaro peculiariter immolare, ejusqne pelli detractæ, pharmacis narcoticis ſacerdotum opera procul dubio antea infectæ, per noctem incumbentes inſomnia exſpectare, quæ miniſtri oraculi deinceps, prout viſum ipſis eſſet, exponerent. u) Exemplum aliquod Plutarchus memoriæ prodidit. x)

§. III.

Quod ſi quem oraculi conſilio levari contigiſſet morbo aliquo, eum ar- *Munus Amphiarao a morbo ſanatis oblatum.*

t) Philoſtr. de *vita Apollonii*, l. II. c. XXXVII. p. 90.
u) Pauſan. in *Att.* c. XXXIV. p. 84.
x) De *defectu orac.* p. 412.

argentum aurumve ſignatum, grati animi teſtificandi cauſſa, projicere oportebat in fontem, nomen ex Amphiarao gerentem, unde ille Diis jam adſcriptus emerſiſſe dicebatur, & cujus aquam ne ad ſacros quidem uſus adhiberi fas erat. y) Ecquis vero ſiviſſe credat oraculi antiſtites aurum argentumve, fonte iſto demerſum, perire?

§. IV.

Oraculum Colophonium. Oraculum. *Colophonium* ex Colophone, Joniæ in Aſia minore urbe, nomen habuit. Fuit enim in luco quodam ante iſtam urbem. z) Reddi putabatur ab Apolline, quem Clarium cognominabant ex oppido Claro, Colophoni propinquo, ubi templum ei exſtructum fuerat magnificum. Hoc oraculum qua ratione reſponſa ediderit, Tacitus docet, a) qui *Relegit*, inquit, *Germanicus Aſiam, appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina*

y) Pauſan. l. c.
z) Strabo *Geogr.* l. XIV. p. 951.
a) *Annal.* II: c. 54.

mina illic, ut apud Delphos, ſed certis e familiis, & ferme Mileto accitus ſacerdos, numerum modo conſultantium & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus, hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum & carminum, edit reſponſa verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepit. Confirmat Plinius, b) ſimul obſervans, aquam illam brevioris vitæ cauſſam eſſe bibentibus. *Colophone in Apollinis Clarii ſpecu lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita.* Luculentius vero Jamblichus: c) Τὸ δὴ ἐν Κολοφῶνι μαντεῖον ὁμολογεῖται παρὰ πᾶσι δι᾽ ὕδατος χρηματίζειν. Ἔιναι γὰρ πηγὴν ἐν ὄικῳ καταγέιῳ, καὶ ἐπ᾽ αὐτῆς πίνειν τὸν προφήτην. ἔν τισι δὲ τακταῖς νυξὶν ἱερουργιῶν πολλῶν γενομένων πρότερον, πίοντα δὲ χρησμωδεῖν, οὐκ ἔτ᾽ ὁρώμενον τοῖς παροῦσι θεωροῖς. τὸ μὲν οὖν μαντικὸν ἐκεῖνο τὸ ὕδωρ, αὐτόθεν πρόδηλον. τὸ δὲ πῶς ἐστι τοιοῦτον, οὐκέτ᾽ ἂν, κατὰ τὴν παροιμίαν, πᾶς ἀνὴρ γνοίη. *Eſt in confeſſo apud omnes, quod*

b) *Hiſt. natur.* l. II, c. 103.
c) De *myſter.* ſect. III. c. 11.

πνους μαντικῆς γεγονὼς, ἐν Διδύμοις τῷ χωρίῳ ἔχρα, *cum Apollo ei vaticinandi artem inſpiraſſet, Didymis oracula reddidit,* in templo quidem, Apollini eo in loco dedicato. Addit: Καὶ μέχρι τοῦ νῦν χρηστηρίων Ἑλληνικῶν, ὧν ἴσμεν μετὰ Δελφοὺς κράτιστον ὁμολογεῖται τὸ τῶν Βραγχιδῶν. *Ac hodie inter omnia, quæ novimus, Græcorum oracula, Branchidarum oraculum poſt Delphicum maximum prædicatur.* Herodotus eodem de oraculo: e) Οἱ δε Κυμαῖοι ἔγνωσαν συμβουλῆς πέρι ἐς Θεὸν ἀνῷσαι τὸν ἐν Βραγχίδῃσι. ἦν γὰρ αὐτόθι μαντήϊον ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον, τῷ Ἴωνές τε πάντες, καὶ Αἰολέες ἐώθεσαν χρέεσθαι. ὁ δὲ χῶρος οὗτος ἐστὶ τῆς Μιλεσίης ὑπὲρ Πανόρμου λιμένος. *Cumæi vero, conſilio initio, ſtatuerunt ad Deum apud Branchidas referendum, quid facto opus eſſet. Erat enim illic oraculum pervetuſtum, quo Jones Aeoleſque communiter uti conſueverant.*

§. VI.

Reddebatur oraculum verbis, ut Delphicum, per feminam quandam fati- *Quomodo fuerit redditum.*

e) Lib. I. c. 157.

fatidicam, quæ vel virgam manu teneret divinam, vel axi cuidam inſideret, vel pedes aut limbum aqua ſacri fontis tingeret, vel ipſi huic fonti inſiſteret aut inſideret, ad vapores ejus excipiendos. Strabo: f) τὸ χρηςήριον τȣ̃ Ἄμμωνος ȣ̓χ ὥσπερ ἐν Δελφοῖς καὶ Βραγχίδαις τὰς ἀποθεσπίσεις διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι καὶ συμβόλοις τὸ πλέον. *Ammonis oraculum reſponſa non ut apud Delphos & Branchidas verbis dat, ſed nutu ut plurimum, & ſignis.* Idem mox *fontis* ad oraculum hoc pertinentis, meminit, qui defecerit templo ſpoliato deletoque, ſcaturierit vero denuo, poſtquam Mileſii novum templum ſtruere inſtituiſſent. Sed plenius multo accuratiusque rem exponit Jamblichus: g) Καὶ μὴν ἥγε ἐν Βραγχίδαις γυνὴ χρησμῳδὸς, εἴτε ῥάβδον ἔχȣσα, τὴν πρώτως ὑπὸ Θεȣ̃ τινος παραδοθεῖσαν, πληρȣ̃ται τῆς θείας αὐγῆς, εἴτε ἐπὶ ἄξονος καθημένη προλέγει τὸ μέλλον, εἰ-

f) *Geogr.* l. XVII. p. 1168.

g) De *myſter.* ſect. III. c. 11. Vbi præclara ſunt, quæ de *virga*, ſolenni vaticinantium geſtamine, & de *fonte* illo ſacro annotat Th. Gale.

εἴτε τοὺς πόδας ἢ κράσπεδόν τι τέγγουσα τῷ ὕδατι, ἢ ἐκ τοῦ ὕδατος ἀτμιζομένη δέχεται τὸν θεὸν, ἐξ ἁπάντων τούτων ἐπιτηδεία παρασκευαζομένη πρὸς τὴν ὑποδοχὴν, ἔξωθεν αὐτοῦ μεταλαμβάνει. *Femina quin etiam in Branchidis fatidica, ſive virgam tenens manu, a Deorum aliquo olim traditam, divino ſplendore repletur, ſive ſedens in axe futura canit, ſive pedes aut limbum in aqua tingens, ſive ex aqua vaporem hauriens Deum quoque ſuſcipiat, per omnia hæc parata, & ad ſuſcipiendum inſtructa, Deum extrinſecus admittit.*

§. VII.

Deſtructum fuit oraculum, quando Xerxes, Perſarum rex, templum ejus, (cujus pecunias & donaria omnia ipſi Branchidæ ei tradiderant, eaque propter una cum Xerxe abierant, recepturi ſeſe in quandam Aſiæ interioris, quam a rege impetraverant, regionem, ne pœnas cogerentur dare ſacrilegii & proditionis) ut templa alia omnia, præter Epheſium, incendit. Mox vero inſtauratum fuit, poſtquam Mileſii novum *Deſtructum aliquando fuit, ſed denuo inſtauratum.*

templum, idque longe maximum (nam ambitus ejus vicum aliquem amplitudine æquabat, eratque intus & extra illud ἄλσος πολυτελὲς, *lucus pretioſus*) conſtruxere. Tunc enim fons, reddendis oraculis inſerviens, denuo ſcaturire cœpit. h)

§. VIII.

Oraculum Delium. Oraculum *Delium* in Delo floruit; maris Ægæi inſula, Cycladum media. i) Reddebatur, ut Delphicum, in fano Apollinis ex tripode. Vnde Lucanus: k)

Non tripodas Deli, *non Pythia conſulit antra.*

Et Virgilius, l) de Ænea oraculum hoc conſulente exponens:

Tremere omnia viſa repente,
Liminaque laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina *recluſis.*

Sed

h) Strabo *Geogr.* l. XIV, p. 941, & XVII, p. 1168. Curt. l. VII, c. 5.
i) V. P. I. c. I. §. XII.
k) *Pharſal.* l. VI, v. 641.
l) Æn. l. III, v. 90. Cf. Spanhemii *Obſervat.* ad Callim. *hymnum in Delum* p. 384.

Sed non niſi menſibus æſtivis conſuli poterat oraculum; hibernis enim in Lycia, Aſiæ minoris ad Xanthum fluvium regione, reſpondebat Apollo Delius. Quo illud ſpectat Virgilii: m)

Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo.

Ad quem locum Servius: Hibernam Lyciam *non aſperam* dicit, *ſed aptam biemare cupientibus. ſic enim ſe habet natura regionis. Et bene aliud agens, aliud oſtendit. Nam conſtat Apollinem ſex menſibus biemalibus apud Pataram Lyciæ civitatem dare reſponſa: unde Patareus Apollo dicitur: & ſex æſtivis apud Delum.* Vſum hujus etiam oraculi conſilio Julianum eſſe apoſtatam, contra Perſas profecturum, traditum eſt a Theodoreto. n)

m) *Æn.* l. IV. v. 143.
n) *Hiſt. eccleſ.* l. III. c. 21. Scriptores de oraculis, præter eos, quos data occaſione jam laudavimus, nihil attinet commemorare, quum noti ſatis ſint omnibus. Ecquis enim Bulengerum & Boiſſardum ignorat, quis Claſenium noſtrum, quis Mœbium, Stidzebergium, Morinum, ceteros?

CAPUT IX.
DE DIVINATIONE.

§. I.

Divinationis nomina. Item quid illa, & quotuplex.

AD res futuras prænoſcendas alia etiam divinandi ratione utebantur Græci, quæ neque tempori, neque loco adſtricta erat certo, ut oracula. Vocabant autem hoc genus μαντικὴν, προαγορευτικὴν & θεομαντείαν. o) Latini *divinationem* dixere, quod divûm voluntas ejus beneficio certis ex ſignis cognoſceretur explicareturque, vel quod non ſine impulſu divûm, inſtinctu atque patefactione poſſet exerceri. p) Cicero ſic definiit: q) *Divinatio eſt earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio atque præſenſio.* Idem divinationem in univerſum duplicem facit: *artis* alteram, alteram *naturæ.* r) Ad hanc ſomnia refert; ad illam extorum pecudum, monſtrorum, fulgurum inter-

o) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 6. & 19.
p) Voſſius in *Etymol. linguæ lat.* p. 185.
q) L. I. de *divinat.* p. 1205.
r) V. not. ad §. I. C. IV.

terpretationem, augurumque, aſtrologorum atque ſortium prædictionem. Vtramque vim habere maximam, Græcorum Romanorumque pleriſque fuit creditum.

§. II.

Οἰωνιστική, ſive auguria & auſpicia.

Genera divinationis apud gentes ſuperſtitioſas tam multa, tamque varia erant conſtituta, ut ultra centum enumerare potuerit Jo. Alb. Fabricius, s) quorum partem maximam Græci invenerunt uſurparuntque. Nos præcipuorum tantum rationem habituri, primo in his loco ponimus τὴν οἰωνιστικήν. Eſt quidem Græcis οἰωνιστικὴ nomen generis, quod complectitur omnia, non ex fatidico & furioſo impetu nata, ſed arte ex obviis & antegreſſis ſignis, cauſſisque qualibuscunque excuſa monita & præſagia, t) verbo, divinationem artificialem omnem. Adhiberi tamen

s) In *Bibliograph. antiquar.* c. XII. p. 416. ſqq. quo loco & ſcriptores ſimul laudat, ſingulis de generibus commentatos.

t) Peucerus de *divinat. generibus* fol. 5. c. 2. edit. Serveſt.

ſpeciatim ſolet, de divinatione, quæ ex *avibus* fit, harumque cumprimis cantu & volatu. Huic generi permultum tribuebant Græci propterea, quod aves crederent notitiam habere non modo conſiliorum, quæ inter ſe agitarent Dii, quippe quorum ſedi volatu ſuo appropinquarent, ſed actionum etiam humanarum fere omnium, quum ubivis locorum circumvolitantes, ex alto eas obſervare facile poſſent. Quod occaſionem dedit proverbio:

Ὀυδεὶς ὄιδε, πλὴν ἔι τις ὄρνις.

Nemo novit, niſi forte avis quæpiam. u) Habebantur vero in divinatione hac partes dextræ pro fauſtis, ſiniſtræ pro infauſtis, h. e. ea omina, quæ ab ortu cantu volatuque ſuo oſtendebant aves, auſpicata interpretabantur artis periti, ὀιωνοσκόποι, item ὀρνιθομάντεις, ὀιωνιϛαὶ, ὀιωνοθέται, & ὀιωνοπόλοι dicti, quæ vero ab oppoſita parte, inauſpicata. Stabant nempe augures Græci, dum omina obſervarent, facie ſepten-

u) V. *Collect. adag.* p. 547. & Ariſtoph. in *Avibus* v. 600. ſqq. & v. 717. ſqq.

ſeptentrionem reſpiciente, manu dextra orienti, ſiniſtra occidenti ſoli obverſa. x) Ex quo factum, ut orientis plaga *dextræ* nomen acceperit, ac omina fauſta *dextra* dicta fuerint, infauſta vero *ſiniſtra*. Porro aves vel natura ſua, vel volandi ratione, vel ex cantu auſpicatæ, (αἴσιοι, αἴσιμοι, ἐναίσιμοι, ὅδιοι & σύνεδροι) aut inauſpicatæ (ἐξώλαιμοι, ἀποθύμιοι & ἀεικέλιοι) cenſebantur. Ita v. c. columba & cygnus aves erant boni ominis; hirundines, corvi, corices & noctuæ mali: quanquam Athenis noctuæ victoriam resque proſperas ominari cenſebantur, quum Minervæ, Numini urbis tutelari, ſacræ eſſent. Aves omnis generis circumvolitantes rem

 por-

x) Homer. *Iliad.* l. XII. v. 239.

Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Sive ad dextram vadant aves *ad auroram ſolemve,*
Sive ad ſiniſtram ad occaſum obſcurum.

Cf. ibi Schol. Ratio cur dignior cenſeretur plaga orientalis, inde ſolet repeti, quod ſolis cœlique motum ab ortu incipere animadverterent. V. Plutarch. de *placitis philoſ.* p. 888.

portendebant optimam. Sic & aquilam alis plaudentem, & a dextra ad ſiniſtram volitantem omen feliciſſimum, accipitrem vero, maxime ſi prædam rapiens conſpiceretur, infelix; vultures, quos, ut aves rariores, cumprimis ſollicite obſervabant, modo fauſtum, modo infauſtum; gallorum cantum bonæ rei indicem interpretabantur. Neque vero ex avibus ſolum, ſed & ex inſectis; v. c. formicis, apibus, & locuſtis; quin & ex quadrupedibus; v. c. ex apro & lepore, quid futurum eſſet divinabant. De quibus ſingulis latius ex auctoribus antiquis exponentes conſulas Everh. Feithium, y) Fr. Rouſium z) & Jo. Potterum. a)

§. III.

Divinatio ex ſomniis. Porro ex *ſomniis* etiam divinabatur. Somniorum vero, quæ *divinationem*, ut Macrobius loquitur, b) *apportarent* genus conſtituebatur triplex.

y) *Antiqu. Homer.* l. I. c. 16.
z) *Archæol. Att.* l. VII. p. II. & l. II. c. 6.
a) *Archæol. Græc.* l. II. c. VII. p. 314. ſqq.
b) In *Somn. Scip.* l. I. c. 3.

plex. Primum χρηματισμὸν, *oraculum* dixere Græci, cum in ſomniis parens, vel alia ſancta graviſque perſona ſeu ſacerdos, vel etiam Deus aliquis aperte eventurum quid, aut non eventurum, faciendum vitandumve denunciabat. c) Cujusmodi Agamemnonis fuit ſomnium, quod Homerus enarrat. d) Secundum ὅραμα erat, ſive *viſio*, quando rerum futurarum imagines clare exhibebantur dormientibus, ſive cum id quis videbat, quod eodem modo, quo apparuerat, eventurum erat. e) Tale fuit Alexandri M. ſomnium, Valerio Maximo commemoratum, f) nec non illud Croeſi, Herodoto expoſitum. g) Tertium ὄνειρος, *ſomnium*, quo res eventuræ ſymbolo aliquo ſignificabantur. h) Ita v. c.

 Aſtya-

c) Macrob. l. c.
d) *Iliad.* l. II. in princip.
e) Macrob. l. c.
f) L. I. c. VII. in *externis* n. 2.
g) L. I. c. 34.
h) Macrobius l. c. *Somnium* (ὄνειρος) *proprie vocatur, quod tegit figuris, & velut ambagibus, non niſi interpretatione intelligendam ſigni-*

Aſtyages, Medorum rex, per ſomnum vidit ex naturalibus filiæ, quam unicam habebat, vitem enatam, cujus palmite tota Aſia obumbraretur. Quod quidem ſomnium ita harioli interpretati ſunt, ut nepotem Aſtyagi ex filia futurum dixerint, cujus magnitudo prænuntietur, regnique ei (Aſtyagi) amiſſionem portendi. i) Poſtremum hocce genus ſi cuiquam obtigiſſet, adiri ſolebant ſomniorum interpretes, k) ὀνειροκρίται dicti, ὀνειράτων, ὑποκριταὶ, ὀνειροσκόποι & ὀνειροπόλοι; quorum quidem ars & peritia omnis hæc erat: Cum ſomnium, quod ominoſum videretur, vel ipſi vel alii habuiſſent, ſcribebant id, obſervantes, quomodo eveniret, &, ſi quando poſtmodum hujus ſimile obtigiſſet, exemplo prioris putabant eventurum. Qui ſomnium aliquod triſte viderant, ſacra quæ-

---

ſignificationem rei, quæ demonſtratur. Alii ſomnia, unde divinari poſſet, in claſſes diſtinxere duas, videl. in ὀνείρους θεωρηματικοὺς & ἀλληγορικούς. V. Rouſii *Archæol. Att.* l. VII. p. I. c. 5.

i) Juſtinus l. I. c. 4.

k) V. Theophraſtum in *Charact. eth.* c. XVII.

quædam factitabant, ut omen averterent. Hinc Aeſchylus apud Ariſtophanem l) famulis

'Αλλά μοι, ait, ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Κάλπισι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
Θέρμετε δ' ὕδωρ,
'Ως ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Accendite mihi, famulæ, lychnum,
Et ſitula aquam e flumine afferte.
Et calefacite undam,
Vt ſomnium divinum abluam.

Quod autem ſomniis tantum tribueretur, id inde erat, quia a Deorum aliquo immitti putabantur, ea maxime, quæ homini, nullo cibo potuque gravato, media nocte exhiberentur. m)

§. IV.

'Ιερομαντείαν, vel ἱεροσκοπίαν dicebant *divinationem per ſacrificia.* Divinabatur nempe vel ex victima, dum ad *Divinatio per ſacrificia.*

l) In *Ranis* v. 1375. Cf. Caſaub. ad l. Theophr. cit.

m) Sunt in hoc etiam genere explicando ſatis prolixi Rouſius ac Potterus, *Archæol. Att.* l. VII. p. I. c. 3, 4, 5. *Archæol. Gr.* l. II. c. 13.

ad aras duceretur, percuteretur, jugulareturque; vel ex ejus viſceribus. Quodſi enim non invita ad aram accederet hoſtia, ictum tranquille exciperet, placide procideret, & poſt ſanguinem libere & magna copia effuſum ſine gemitu exſpiraret, Dii judicabantnr propitii; ſin coacta multumque reluctans adducenda eſſet, n) aufugeret, ictui ſe ſubduceret, percuſſa calcitraret, mugitum ederet, ſanguinem ultro non emitteret, atque vehementioris doloris ederet indicia, irati. Porro exta ſolebant inſpici, in quibus ſi integra & ſana eſſent omnia, locus, ordo atque color rite eſſent conſtituti, bonum erat omen. Quodſi vero manca eſſent atque mutila, morboſa, juſto loco & ordine non diſpoſita, colore nativo minime prædita, aut ſi palpitarent atque tremerent, mali quid portendi exiſtimabatur. o) Ex omnibus autem extis hepar cum primis, tanquam partium ominoſarum

rum

n) V. Cap. I. §. XVII.
o) Vid. Senecam in *Oedipo*, v. 367. & 353.

rum præcipuam, p) attente & ſollicite inſpiciebant. Illud enim ſi nitidum eſſet, nativoque ſuo colore ruberet, ſi integrum ſanumque, lobum utrumque haberet perfectum, omnia proſpera ominabantur; ſecus vero ſi eſſet, nil niſi mala. Hinc cum Pithagoras, exta victimarum pro Hephæſtione & Alexandro inſpiciens, jecinora reperiſſet ἄλοβα, μέγα εἶπεν εἶναι χαλεπόν, *magnum dixit portendi malum.* q) Neque minus cordis, fellis, lienis, pulmonumque habebatur ratio. Cor plus ſolito exiguum, nimium palpitans, rugas contrahens, adipe carens, mali res ominis erat. In ceteris integritas læta quævis, defectus vero aliquis fortunam exſpectare jubebat adverſam. r)

§. V.

Πυρομαντείαν, ſive *divinationem per ignem ſacrificiorum* Jo. Potteri verbis *Divinatio per ignem ſacrificiorum, fumum & vinum.*

p) V. P. II. C. III. §. IV. Hinc eſt, quod hepar *divinationis* vocarunt *tripodem.* Philoſtr. in *vita Apoll.* l. VIII. c. 7. p. 350.

q) Arrian. de *expedit. Alex.* l. VII. p. 298.

r) V. Rouſium l. I. p. II. c. I. Potterum l. II. c. XIV.

bis deſcribemus: s) Si flamma o„mnes hoſtiæ partes ſimul rapido „motu correptas conſumſit, quod ut „feliciter ſuccederet, τὰ φρύγανα i. e. „*cremia*, quæ facile incendantur, „aræ imponi ſolebant; iterum, ſi flam„mæ micarent, niterent, nullum „ſtrepitum aut fumum edidiſſent, „ſi ſub forma pyramidali ſurſum ad„ſcendiſſent, nec extinctæ fuiſſent, „donec omnia in cineres fuiſſent re„dacta, pro bonis ominibus credita „ſunt. Viceverſa, ſi ignis ægre ac„cenſus fuiſſet, ſi flammæ diviſæ fu„iſſent, nec omnes victimæ partes „ſimul derepente pervaſiſſent, ſed „ſerpendo & gradatim illas abſum„ſiſſent; rurſus ſi recta non adſcen„diſſent ſed in circulum actæ fuiſ„ſent, aut dextrorſum aut ſiniſtror„ſum aut deorſum deflexiſſent, ſi a „ventis, imbribus aut alio inauſpi„cato caſu extinctæ fuiſſent, ſi præ„ter morem ſolitum crepuiſſent, ſi „tenebroſæ fuiſſent, fumum aut „ſcintillas emiſiſſent, & ante hoſti„am

s) In *Archaeol. Græc.* p. 312. Cf. Rouſi *Archaeol. Att.* l. c.

„am conſumtam reſtinctæ fuiſſent: „Hæc & ſimilia infeliciora omina & „iræ .divinæ indicia cenſebantur,„ t) Vſus hoc divinationis genere, quod formula ἔμπυρα σήματ' ἰδέσθαι *ſigna ignita obſervare* indicat Apollonius Rhodius u), Idmon eſt, de quo idem poeta: x)

Γήθει δὲ σέλας θηεύμενος Ἴδμων
Πάντοσε λαμπόμενον θυέων, ἀπὸ τοῖό τε λιγνὺν
Πορφυρέαις ἑλίκεσσιν ἐναίσιμον ἀΐσσουσαν.
Αἶψα δ' ἀπηλεγέως νόον ἔκφατο Λητοΐδαο.

Gaudebat vero ignem adſpiciens Idmon
Vndique lucentem e ſacrificiis, ab eoque fumum
Rutulis flammis auſpicatum erumpentem.
Mox autem intrepide mentem expoſuit Phœbi.

Conjungi cum hoc genere poteſt καπνομαντεία & οἰνομαντεία, ſive *divinatio*

t) Vid. Sophoclem in *Antigone* v. 1122. Senecam in *Oedipo* v. 309. ſqq.
u) *Argon.* l. I. v. 145.
x) L. c. v. 436.

tio per fumum & per vinum. „Scilicet „in fumi verſatione (recitamus rur„ſus verba Potteri) & diverſa infle„xione, ſi vel altius adſcendiſſet, „vel rectus vel obliquus in turbinem „latus fuiſſet, ſi vel carnem, quæ „comburebatur, vel quid aliud re„doluiſſet, omina quærebant.„ y) Hujus divinationis exemplum apud Senecam exſtat. z) Ad *vinum* quod attinet, ex hujus, in honorem Numinis alicujus effuſi, ſtrepitu omen capiebatur bonum. Euſtathius: a) Ἀμέλει καὶ κατὰ τὸ ἦχος τῶν ἐκπωμάτων ἔσπενδον, τὴν θείαν οἰωνιζόμενοι ἀκοήν. *Diligenter & per aurem vajorum effundebant* (vinum), *divinum augurium captantes.* Interdum vinum libaminis in ignem effundebant, unde, quo major eniteret flamma, eo melius erat omen. Hinc Virgilius b) Cyrenen inducit ita loquentem:

Ocea-

y) Cf. locum Apollonii modo cit.
z) Loco cit.
a) Ad *Odyſſ.* p. 1470. edit. Rom. citante Clerico ad *Geneſ.* XLIV, 5.
b) *Georgic.* IV. v. 381. *ſeqq.* Cf. Jo. Clerici *Commentar.* ad locum *Geneſ.* cit.

Oceano libemus --- ſimul ipſa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque ſorores,
Centum quæ ſylvas, centum quæ flumina ſervant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam,
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, cet.

Quod ſi vero nigreſceret vinum flammæ affuſum, malæ rei habebatur ſignificatio. Idem poeta: c)

Vidit thuricremis cum dona imponeret aris
Horrendum dictu! latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcœnum (mali ominis, niſi forte legendum ſit *obſcurum*) *ſe vertere vina cruorem.*

§. VI.

In κληρομαντέια, ſive *divinatione per ſortes* calculis utebantur, talis, vel & fabis nigris & albis, quas certis notulis di- *Divinatio per ſortes, ϛίχοις & virgas.*

c) *Æn.* IV, v. 453.

diſtinctas, & in vas aliquod conjectas, hinc educebant, ut, quid boni malive portenderetur, cognoſcerent. Interdum talos fatidicos ſuper menſas jaciebant ſacras, d) exiſtimantes, eo, quod prodiret, futurum præſagiri. Scholiaſtes Pindari: e) Ἐιώθασι δὲ διὰ κλήρων μαντέυεσθαι τὸ πρίν. Καὶ ἦσαν ἐπὶ τῶν ἱερῶν τραπεζῶν οἱ ἀστράγαλοι, ὃις ῥίπτοντες ἐμαντέυοντο. ὃιον, ἐὰν βάλλοντός μου τόδε ἀναβῆ, ἀποτελεσθήσεται τόδε. εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἀποτελεσθήσεται. *Conſueverunt veteres per ſortes divinare, talos ſuper menſas ſacras jacientes,* dicentesque *exempli cauſſa: Si, jaciente me, hoc illudve prodierit, perficietur* negocium; *ſin minus, non perficietur.* Ceterum ſortes omnes Mercurio ſacræ erant. Quocirca veteres, teſte Euſtathio, f) ſortibus ceteris unam adjungebant, quam ſortem dicebant Mercurii. Erat ea oleæ folium, ducebaturque, boni ominis cauſſa, omnium pri-

d) De quibus vid. P. I. c. VII. §. XXIII.
e) Ad *Pythion.* Od. IV. f. 208. ed. Francof. 1542.
f) Ad *Odyſſ.* VII. p. 548. ed. Baſ. Cf. Potterum l. II. c. XVI. p. 324. Rouſium l. VII. p. II. c. 3.

prima. Pertinet huc etiam στιχομαντεία, ſive *ars divinandi per verſus.* Inſcribebantur nempe ſchedulis partes quædam ominoſæ carminum fatidicorum, qualia v. c. Sibyllina erant, aut talium, quorum magna cumprimis eſſet auctoritas; v. c. Homericorum. Ex iſtis jam ſchedulis, in vas aliquod conjectis, quæ prima exiret, ea, quid futurum eſſet, ſententia inſcripta, prædicere cenſebatur. g) Nec minus huc referri poteſt ῥαβδομαντεία, ſive *ars divinandi per virgas*, cujus, ex nonnullorum ſententia, Hoſeas etiam meminit h) Propheta. Deſcribit eam Theophylactus, in locum iſtum Hoſeæ ſic inter alia commentatus: *Virgas duas ſtatuentes carmina quædam admurmurant, deinde virgis miniſterio Dæmonum cadentibus conſiderant, quonam utraque cadat, retrorſum an antrorſum, ad lævam aut dextram, ſicque tandem reſponſa dant inſipientibus, virgarum caſu pro ſignis uſi.*

g) Pott. l. c. Rouſ. l. II. c. 2.
h) Cap. IV, 12. Cf. Pott. l. c.

§. VII.

Divinatio per mortuos & umbras.

Νεκυομαντείαν, ſive *divinationem per mortuos* qui profitebantur, (quod genus in Theſſalia potiſſimum frequens erat) ii mortuorum cadavera, infuſo illis ſanguine calido, adhibitisque incantamentis, in vitam revocare ſeſe poſſe jactabant, resque futuras ex eisdem cognoſcere. i) Plerumque vero defunctorum manes frequentiſſima invocatione ciebant; quod ab Vlyſſe factum legimus. k) Ritus in hac excitatione uſitatos Seneca recenſet. l) Affines erant σκιομαντεία & ψυχομαντεία, quibus mortui evocati, forma induti aërea, inſtar umbræ apparere credebantur, ac futura ſignificare. m)

§. VIII.

Divinatio per aquas.

Ὑδρομαντεία, *divinatio* erat *per aquas*: quæ, quoniam in aqua ſæpenu-

i) Exemplum habes apud Lucanum l. VI, p. 168. ſqq. edit. Amſtel ubi Erichtho, anus Theſſala, inducitur mortuum aliquem vitæ reſtituens.
k) *Odyſſ.* XI.
l) In *Oedipo* v. 547. ſqq.
m) Potterus l. II. c. XVIII. p. 336. ſq. Rouſius l. II. c. 6. & l. VII. p. II. c. 1.

numero exercebatur fontana, πηγομαντεία etiam nominata fuit. In hac vel ad motum & mutationes aquæ, vel ad id quod contingeret rei in aquam projectæ, utrum ſcil. ſubſideret, an innataret, n) vel ad imagines rerum, quas aqua, inſpectantibus objiceret, o) attendebant. Interdum & ex ſpeculo in aquam merſo eventum morbi ominabantur. Aliquando ex vorticibus, quos lapilli tres in aquam conjecti efficiebant, rerum prædicebant eventum. p)

§. IX.

Ἀλεκτρυομαντείας, ſive *divinationis per gallum gallinaceum* hæc erat ratio: Viginti quatuor Alphabeti litteris in pulverem vel arenam orbiculatim inſcriptis, impoſitoque tritici aut hordei grano ſingulis, gallus, arte magica incantatus, in circum mittebatur. Hoc facto, quarum litterarum granum ille legeret, obſervabatur. Iſtæ enim litteræ compoſitæ rem, de qua quæſtio erat, aperire cenſebantur. *Divinatio per gallum.*

Mm 3 Hac

n) Pauſan. in *Lacon.* c. XXIII. p. 270.
o) Id. in *Ach.* c. XXI. p. 578.
p) Rouſ. l. VII. p. II. c. I. Potterus l. c.

Hac divinatione uſus fertur Jamblichus, Magus celebris, Valentis Cæſaris ſucceſſorem detecturus. q)

§. X.

Divinatio per cribrum.

Κοσκινομαντεία, ſive *divinatione per cribrum*, cujus mentionem Theocritus injicit, r) tunc potiſſimum ſolebant uti, cum vel furti vel aliorum criminum ſuſpectos detegere vellent. Suſpendebant nempe cribrum filo alligatum: tum Diis rite imploratis, ut ſceleris auctorem indicare vellent, nomina eorum, quos ſuſpectos habebant, recitabant. Quodſi jam ad alicujus nomen cribrum in orbem circumageretur, vel vehementius certe moveretur, facinus ille admiſiſſe putabatur. Atque hoc Luciano dicitur κοσκίνῳ μαντεύεσθαι, *cribro divinare.* s)

CAP,

q) Rouſ. l. II. c. 2. Potterus p. 339.

r) *Odyſſ.* III. v. 31. Cf. Æl *Hiſt. Æn.* l. VIII. c. 5. Cf. Pollucem *Onom.* l. VII, c. 33. ſegm. 188. Rouſiun l. VII. p. II. c. 1.

s) In *Pſeudom.* T. Opp. I. p. 753. Adderem hoc loco nonnulla de ἐγγαστριμύθοις, niſi quantum ſatis videtur expoſitum de illis jam fuiſſet ſupra, P. II. c. III. §. III.

CAPVT X.
DE OMINIBVS.

§. I.

OMina, σύμβολα Græcis appellata, præſagia dicuntur, ex rebus maximam partem, quæ fortuito obviæ ſunt acciduntque, ſine arte, captata. Horum alia ex ſe ipſis capiebant homines, h. e. iis ex rebus, quibus ipſi adficerentur; alia ex rebus externis, quæ ipſos quidem homines non tangebant, ſed ab iis tantum, ut res inſolitæ, fauſtæ aut infauſtæ, obſervabantur. Ad prius genus pertinent 1) *Notæ corpori impreſſæ*, e. c. maculæ. 2) *Repentinæ animorum perturbationes;* v. c. terrores panici, qui mali quid portendere cenſebantur. t) 3) Παλμοὶ, i. e. *palpitationes*, eæque vel oculorum, u) vel cordis, vel alicujus etiam muſculi. 4) Βόμβος, *tinnitus aurium*, qui, ſi in au- *Omina quid, & quibus ex rebus captata.*

t) Exempla reperiuntur paſſim apud hiſtoricos; extat etiam aliquod apud Homerum *Odyſſ.* XX, v. 345. ſqq.

u) V. Theocritum *Idyll.* III. v. 37. & ad illum locum Caſauboni *lectiones* c. V.

re contingeret dextra, omen habebatur bonum. x) 5) Πταρμοὶ, *ſternutamenta*, quibus tantum Græci tribuerunt, ut Numen etiam peculiare, Πταρμὸν dictum, iis præfecerint. Ariſtoteles: y) Τὸν Πταρμὸν Θεὸν ἡγέμεθα εἶναι. *Sternutationem pro Numine reputamus*, h. e. Numen ei ſingulare præeſſe credimus. Judicabantur autem, ut obſervat Theocriti ſcholiaſtes, z) ſternutamentorum alia utilia, ſive fauſta, alia pernicioſa, ſive infauſta, pro temporis, loci, lateris numerique diverſitate. a) Ac nata ſane hinc conſuetudo fuit bene precandi ſternutantibus; acclamabant enim vulgo, imo acclamabat ſibi ſternutans ipſe: Ζῆθι, *vivas*, vel & Ζεῦ σῶσον, *ſerva Jupiter*. b) §. II.

x) Rouſ. l. VII. p. II. c. 2. Potterus l. II. c. XVII. p. 326.

y) *Problemat.* ſect. XXXIII. quæſt. 7.

z) Ad *Idyll.* VII. v. 96. Τῶν πταρμῶν οἱ μὲν εἰσὶν ὠφέλιμοι οἱ δὲ βλαβεροί. *Sternutamentorum alia utilia ſunt, alia vero noxia.* Cf. *Idyll.* XVIII, v. 16.

a) Ariſtot. l. c. *qu.* 11. Cf. Niphum de *augur.* c. VII. Petron. *Satyr.* c. XCVIII, atque ibi commentat. Rouſium *Archæol. Att.* l. VII. p. II. c. 2. Potterum *Archæol. Gr.* l. II. c. 17.

b) Vid. *Anthol. epigr.* l. II. c. XIII. epigr. 11.

§. II.

Ad genus poſterius referri debent 1) ſplendor inſolitus, qui omen habebatur fauſtum. Luce enim proſpera & læta quævis, tenebris vero triſtes caſus ſignificari, perſuaſum uti orientalibus ita Græcis quoque erat. c) 2) Si quid præter morem accideret rebus ſacris, e. c. Deorum ſtatuis, aut victimis, mali quid præſignificari exiſtimabatur. Sic non mediocriter exterriti fuere Meſſenii, quando Dianæ ipſorum æneæ armatæ clypeus ex improviſo exciderat, arietesque, ad aram adducti, incuſſis ad aram connubus, mortui conciderant. d) Similiter, ſi ſudorem ſimulacra emitterent, gemitus ederent, averterent ſeſe, aut in terram prolaberentur, e) omen interpretabantur malum. 3) Si quid præter naturæ ordinem, judicio quidem veterum, rebus accideret aliis, in cœlo aut in terra, inanimatis juxta atque animatis; e. c. *Omina e rebus externis.*

c) Vid. Homer. *Odyſſ.* l. XIX. v. 36.
d) Pauſ. in *Meſſen.* c. XIII. p. 311.
e) V. P. I. c. VII. §. II. & quæ ibi annotavimus.

e. c. ſi cometa appareret, ſi partus ederetur monſtroſus, Deos, naturæ gubernatores, de malis imminentibus homines admonere judicabant. Prodigia hujus generis multa recenſet Virgilius, f) recenſet etiam plura Julius Obſequens. g) 4) Si in via occurriſſet felis vel muſtela, (quæ ſi ad publicum cœtum euntibus facta eſſet obviam, aut transcurriſſet, differri ſolebat conventus in craſtinum) h) item canis, i) quibus & vulpem nonnulli addunt, ſimiam leporemque; aut ſi conſpectus in ædibus fuiſſet ſerpens, k) canis ater alienus, l) homo item inſanus, aut comitiali morbo laborans ubicunque locorum, m) infauſta portendi credebatur.

§. III.

Omina ex verbis. Porro omina quoque capiebant ex

f) *Georgic.* l. I. v. 469. & ſeqq.
g) Libro *de prodigiis*, quem cum annotat. ſuis Jo. Schefferus edidit Amſt. 1679.
h) V. Theophr. in *Charact. eth.* c. XVII. atque ibi Caſaub. Ariſtoph. in *Concion.* v. 287.
i) Plaut. in *Caſin.* a. V. ſc. IV, v. 4.
k) Theophr. l. c.
l) Terent. *Phorm.* a. IV. ſc. IV, v. 25, 26.
m) Theophr. l. c.

ex verbis, appellantes ea κληδόνας & φήμας. Qua de re luculentum eſt Ciceronis teſtimonium: n) *Neque ſolum Deorum voces Pythagoræi obſervaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant, omina*, (hac quidem in re morem Græcorum communem ſecuti). *Quæ majores noſtri, quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis*, quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet, *præfabantur: rebusque divinis, quæ publice fierent*, ut faverent linguis, *imperabatur; inque feriis imperandis*, ut litibus atque jurgiis ſe abſtinerent; *itemque in luſtranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; & cum imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis nominibus qui hoſtias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu conſules obſervant, ut primus miles fiat bono nomine.*

§. IV.

Verba mali quid ſignificantia ſtudioſe vitata.

Itaque omni ſtudio a verbis ſibi cavebant mali quid ſignificantibus,

n) L. I. de *divinat.* p. 1215.

tibus, δυσφήμοις, o) eorumque loco vocabulis utebantur rem emollientibus, vel contrarium etiam ſignificantibus. Helladius: p) Τὸ μὴ λέγειν δύσφημα πᾶσι τοῖς παλαιοῖς μὲν φροντὶς ἦν, μάλιστα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, διὸ καὶ τὸ δεσμωτήριον οἴκημα ἐκάλεν· καὶ τὸν δήμιον, κοινόν· τὰς δε Ερινύας, Εὐμενίδας ἢ σεμνὰς Θεάς. τὸ δὲ μῦσος, ἄγος. τὸ δὲ ὄξος μέλι· καὶ τὴν χολὴν γλυκεῖαν· τὸν δὲ βόρβορον, ὀχετόν. οἱ δὲ γραμματικοὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ ἀντίφρασιν ὀνομάζουσιν. Οἶδα δέ τινας τῶν φιλολόγων, καὶ τὸν πίθηκον ὀνομάζοντας καλλίαν. *Antiqui ſolliciti fuerunt, ne male ominoſa dicerent, maxime vero Athenienſes. Ideo &* δεσμωτήριον, carcerem, οἴκημα *vocabant*; & δήμιον, carnificem, κοινὸν *appellabant*; Ερινύας, *Eumenides vel venerandas Deas*; μῦσος ſceleratum, *vocabant* ἄγος; ὄξος, vinum aceſcens, μέλι nominabant; χολὴν, fel, γλυκεῖαν; βόρβορον, lutum, ὀχετόν.

---

o) Hæc qui proferret, dicebatur βλασφημίαν φθέγξασθαι, *blaſphemiam eloqui*. V. Eurip. in *Jone* v. 1189. ſqq.

p) In *Chreſtom.* p. 22. ed. Meurſ. Cf. Photium *Biblioth.* p. 1594. Heſych. voce κάλλιαι.

τόν. Sed Grammatici *illa per antiphraſin nominant. Novi etiam quosdam Philologos*, qui πίθηκον, ſimiam, *κάλλιας vocarunt.* Idem: q) Κατ᾽ εὐφημισμὸν οἱ Ἀττικοὶ τὸν κλέπτην φιλητὴν λέγουσιν οἱονεὶ μισητόν. ἢ καὶ φιλητὴς ὁ κλέπτης, διότι φιλεῖ λαμβάνειν τὰ ἀλλότρια. *Attici boni ominis gratia furem* φιλητὴν *dicunt, quaſi exoſum: Vel* φιλητὴς fur, *quia* amat accipere *aliena.* Plutarchus: r) Ἃ δ᾽ οὖν νεώτεροι τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι τὰς τῶν πραγμάτων δυσχερείας ὀνόμασι χρηστοῖς καὶ φιλανθρώποις ἐπικαλύπτοντας, ἀστείως ὑποκορίζεσθαι, τὰς μὲν πόρνας, ἑταίρας, τοὺς δὲ φόρους συντάξεις, φυλακὰς δὲ τὰς φρουρὰς τῶν πόλεων, οἴκημα δὲ τὸ δεσμωτήριον καλοῦντας, πρῶτον Σόλωνος ἦν, ὡς ἔοικε, σόφισμα, τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν ὀνομάσαντος. *Quod recentiores ajunt, Athenienſes, aſperitatem rerum benignis & blandis vocabulis contegentes, invidia nominis urbane emollita, ſcorta appellare amicas, tributa deſcriptiones, præſidia*

q) L. c. p. 24.
r) In *Solone*, p. 86.

dia civitatum ſtationes, carcerem cuſtodiam, id primum commentum, ni fallor, fuit Solonis, qui æris alieni condonationem novas tabulas appellavit. Hujusmodi a verbis inter ſacra cum primis ſollicite abſtinendum erat. Quocirca ſub ſacrorum initium, qui intererant a præcone admonebantur, εὐφημεῖν, *ut faverent linguis*, h. e. ut a verbis male ominatis ſibi temperarent. s) Nec ſolebant facile rem alicujus momenti ullam aggredi paullo religioſiores, quin vocem vel formulam aliquam bene ominatam, e. c. Θεὸς, Θεὸς, *Deus*, *Deus*, nobis adſit, εὖ πάθοιμεν, *bene nobis accidat*, ἔσαι μὲν εὖ, *bene eveniet*, t) τῇ τύχῃ, ἀγαθῇ τύχῃ, *Fortunæ*, *Bonæ Fortunæ*, u) inceptis præmitterent.

§. V.

Mos avertendi omina mala.

Omen malum averti poſſe credebatur, periculumque quod oſtenderetur

s) V. P. II. c. II. §. III. & P. III. c. I. §. XXIII.

t) Rouſ. *Archaol. Att.* l. VII, p. II. c. 2. & ex eo Pott. l. II. c. 17.

u) Eſt hæc formula in inſcriptionibus præſertim frequenter obvia. Exempla habentur apud Whelerum in *Itiner.* T. II. p. 423, 467.

retur effugi, ſi vel verbis quis, vel aliquo facto indicaret, ſe omen non accipere, ſed abominari. Verbis quidem, cum diceret: Ἐις κεφαλήν σοι, *In caput tuum*, omen nempe redeat. Re vero aut facto aliquo deteſtabantur, id, quod portendebat malum aliquod, inſectantes. Cum enim vel avis inauſpicata, vel aliud infauſtum animal occurriſſet, periculo ſe defunctos putabant, ſi id lapidibus petiiſſent, & feriiſſent. x) Nam, ut Plinius ait, y) *oſtentorum vires in hominum poteſtate eſſe, ac prout quæque accepta eſſent, ita valere* arbitrabantur. Hominem mente captum aut epilepticum qui conſpexiſſent, ter in ſinum deſpuebant, ſignificantes, ſe exſecrari omen atque deteſtari. z)

§. V.

x) Hæc ita fere diſſerit, & ex ſcriptoribus utriusque linguæ probat Iſ. Caſaubonus, ad Theophr. *Charact. eth.* c. XVII. p. 342. ſqq. Cf. Rouſ. & Pott. ll. cc.

y) *Hiſt. nat.* l. XXVIII, c. 2.

z) V. Theophr. in *Char. eth.* c. XVII. Cf. Theocr. *Idyll.* XX, v. 11.

Omina accepta.

§. VI.

Contra vero ſi quid fauſti ominis accideret audireturve, *omen* ſe *accipere* dicebant, exiſtimantes, hac ratione effici, ut bonum illud, quod eo ſigno oſtenderetur, non poſſet non ipſis obtingere. Sic quum Leutychidem Lacedæmonium obſecraſſet Hegeſiſtratus, Samiorum legatus, ut Samios ab oppreſſione Theomeſtoris tyranni, quem Perſæ illis præfecerant, liberare vellet, ſciſcitatus ex eo eſt Leutychides, *εἴτε κλήδονος εἵνεκε θέλων πυθέσθαι, εἴτε κατὰ συντυχίην Θεοῦ ποιεῦντος, ſive ominis gratia volens audire nomen, ſive caſu id Deo agente,* ut putat Herodotus: a) Quodnam tibi nomen eſt, hoſpes Samie? Et quum ille reſpondiſſet, *Hegeſiſtrato,* (quod *ducem* ſonat *exercitus*) Leutychides δέκομαι, inquit, τὸν οἰωνὸν τὸν Ἡγησιστράτου, *accipio omen, quod eſt in nomine Hegeſiſtrati,* remque illico exſequi aggreſſus eſt. Romanis eundem fuiſſe morem, ex iis patet, quæ de

a) Lib. IX. c. 90.

de L. Paullo, bellum cum rege Perſe geſturo, narrat Cicero. b)

§. VII.

Quemadmodum vero rebus, animalibus, hominibus atque verbis vel bona ineſſe omina putabant Græci, vel mala: ita *dierum* quoque alios *fauſtos* judicabant, alios *infauſtos*. Quam eorum ſententiam ſcite exprimit Heſiodus hoc verſu: c) *Dies etiam vel fauſti vel infauſti.*

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Interdum noverca eſt dies, interdum mater.

Hinc magnam curam in eo collocavit idem poeta, ut dies auſpicatos, ſive cuique negocio feliciter gerendo aptos, diſtingueret ab inauſpicatis. d) Ita v. c. die menſis decimo tertio cavere ſibi vult patrem familias σπέρματος ἄρξαϑαι, *ſementem facere incipiat*, e) triceſimum vero menſis

b) De *divinat.* l. I. p. 1215.
c) *Op.* & *di.* v. 825.
d) Inde a v. 765. ad finem usque libri cit.
e) Verſu 780.

ἀρίϛην

*Ἔργα τ' ἐποπτεύειν ἠδ' ἁρμαλίην δατέαϑαι,

optimum

Ad opera (ſervis in menſem attributa) *inſpicienda*, (expendenda) *demenſumque* (cibum) *dividendum* eſſe exiſtimat. f)

---

f) Verſu 766.

PARS IV.

DE TEMPORIBVS SACRIS.

CAPVT I.

DE TEMPORE IN GENERE, SIVE DE ANNIS, MENSIBVS ET DIEBVS.

§. I.

ANnum Græci veteres ad lunæ curſum conſtituerunt, cum iis, aſtronomiæ adhuc imperitis, facilius eſſet curſum lunæ menſtruum, quam ſolis annuum obſervare. Quoniam vero expedire animadverſum fuit, ut anni iſti ſolis circumactionibus æquarentur: hinc Thales Mileſius cyclum excogitavit, quo lunæ motus motibus ſolis conciliarentur. Is nimirum cum obſervaſſet, menſem lunarem nullum triginta dierum numerum ſuperare; *Anni Græci ratio.*

menſes XII. tricenarios ſtatuit, quibus annus intra dies CCCLX. terminabatur. Tum poſt duos annos lunares triginta dies intercalavit. Quo factum eſt, ut biennium dies ſeptingentos & quinquaginta contineret, longiusque eſſet biennio ſolari viginti diebus. Nec immutavit Solon, ut nonnulli exiſtimant, a) eam anni rationem, redigendo annum ad dies CCCLIV, conſtitutis menſibus alternis XXX & XXIX dierum. Nam hujus quidem legislatoris Attici ætate eandem adhuc valuiſſe, ex illius ad Croeſum oratione, b) qua inter alia annos LXX, menſe intercalari non poſito, conſtare dicit ex diebus viginti quinque millibus, ac ducentis; eorum vero annorum alternis menſe uno auctis, ex viginti ſex millibus ducentis & quinquaginta diebus, rationibus ſubductis liquidum eſt. Neque Græcos etiam poſteriores illam, quam diximus, rationem, ſaltem quod ad numerum dierum anni æqua-

a) Dion. Petavius *diſſ. var.* l. IV, c. 1, 11. & 13. ejusque ſequaces.

b) Herod. l. I, c. 32.

quabilis, dierumque menſium unum conſtituentium attinet, deſeruiſſe, ex eodem Herodoto, c) Ariſtophane d) ejusque Scholiaſte, & Gemino e) cognoſcitur. Quo autem efficeretur, ut cum Solis rationibus melius tempora congruerent, τετραετηρίδα excogitarunt, ſive *cyclum annorum quatuor*, quo anni quatuor, adhibita per intervalla partim menſis integri intercalatione, partim unius aut duorum dierum exemtione, totidem ſolaribus exæquabantur. Poſtea commodior viſa eſt ὀκταετηρὶς, ſive *circuitus annorum octo.* f) Tandem vero Meton Athenienſis, majoris etiam accurationis cauſſa, invenit introduxitque ἐννεαδεκαετηρίδα, ſive *cyclum annorum XIX.* intra quod tempus, ſepties intercalatum, cum luna periodos CCXXXV, ſol autem XIX peregiſſet, uterque eodem die ad idem cœli punctum redibat, quod ante noven-

 de-

c) L. II. c. 4.
d) In *Acharn.* v. 859.
e) *Iſag.* c. VI. Cf. Spanhem. ad *Nubes* Ariſtoph. v. 626.
f) V. Scalig. de *emend. temp.* l. I. p. 20. ſqq.

decim annos occupaverat. g) Ceterum incoabant Attici priſci annum ſuum poſt ſolſtitium hibernum, poſteriores vero, ex Metonis inſtituto, ab illo novilunio, quod ſolſtitium æſtivum proxime ſubſequebatur. Plato: h) Πάσας δὴ τὰς ἀρχὰς, ὁπόσαι τε κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ ὁπόσαι πλείω χρόνον ἄρχουσιν, ἐπειδὰν μέλλῃ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ θερινὰς τροπὰς τῷ ἐπιόντι μηνὶ γίγνεσθαι, ταύτης τῆς ἡμέρας τῇ πρόσθεν πάντας χρὴ τοὺς ἄρχοντας συνελθεῖν εἰς ἓν ἱερόν. *Omnes magiſtratus, tum qui annuum munus gerunt, tum qui longius, unum in templum convenire oportet pridie ejus menſis, a quo annus incipit novus, poſt ſolſtitium æſtivum.*

§. II.

Menſes. Menſes anni ſimplicis XII erant, intercalaris vero XIII, ex diebus conſtantes triginta. Ordo menſium Attico-

g) Vid. Cenſorinum de *die natali* c. XVIII. & cf. Jo. Potterum *Archæol. Græca* l. II. c. XXVI.

h) De *legibus* l. VI. p. 620. Cf. Joſ. Scaligerum de *emendat. temp.* l. I. p. m. 25. quo loco de anni Græci ratione ejusque initio pluribus disſeritur.

corum, ut ex marmore quodam antiquo, quod Sponius i) & Whelerus k) exhibuerunt, intelligitur, talis fuit:

I. *Æſtivi.*

1) Ἑκατομβαιὼν, cujus initium in primum a ſolſtitio æſtivo, quod noſtro contingit Junio, novilunium incidebat. Nomen habet ex hecatombis, circa illud tempus offerri ſolitis.

2) Μεταγειτνιὼν, quo τὰ Μεταγείτνια Apollinis ſacra acta.

3) Βοηδρομιὼν, quo Boedromiorum celebrata eſt ſolemnitas.

II. *Autumnales.*

4) Πυανεψιὼν, ex Pyanepſiis:

5) Μαιμακτηριὼν, ex ſacris Mæmacteriis:

6) Ποσειδεὼν, ex Poſidoniis: l)

III. *Hiberni.*

7) Γαμηλιὼν, ex Gameliis, ſive ſacris Junonis, nuptiarum præſidis:

 8)

i) In *Voyage* T. II. p. 376. ſq. 436. ſq.

k) In *Voyage*. T. II. p. 483. Cf. Ant. van Dale *diſſertat.* VIII. quæ eſt de *Gymnaſiarchis* p. 595. ſqq.

l) Hic menſis, cum annus intercalaris erat, geminabatur, ſic ut eſſent in eo Ποσειδεὼν πρῶτος, & Ποσειδεὼν δεύτερος. V. Ant. van Dale l. c.

8) Ἀνθεστηριὼν, ex Antheſteriis:
9) Ἐλαφηβολιὼν, ex ſacris Elapheboliis:

IV. *Verni.*

10) Μουνυχιὼν, ex ſacris Munychiis:
11) Θαργηλιὼν, ex ſacris Thargeliis:
12) Σκιῤῥοφοριὼν, ex ſacris Scirrophoriis appellatus. m)

§. III.

Menſium partes. Menſem Græci quemvis in tria diſtinxere δεχήμερα, ſive *decadas tres.* Dies ad primam decadem pertinentes μηνὸς ἱσαμένου, ſive *menſis ineuntis*; illas vero mediæ decadis μηνὸς μεσοῦντος, *menſis medii*; tertiæ denique decadis dies μηνὸς φθίνοντος, *menſis exeuntis* appellabant. Qui mos diſtinguendi menſium dies antiquiſſimus eſt, quippe ab Homero n) & Heſiodo

m) Nomina, quibus ceteræ Græcorum nationes, e. c. Macedones, Lacedæmonii, Bœotii, menſes appellarunt, accurate recenſuit Jo. Alb. Fabricius in *Menologio*, p. 42. 44. 51. ſqq.

n) *Odyſſ.* XIV, v. 161.

Τοῦ δ' αὐτοῦ λυκάβαντος ἐλεύσεται ἐνθάδ' Ὀδυσσεὺς,
Τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο
Οἴκαδε νοστήσει.

Hoc autem ipſo anno veniet huc Vlyſſes,

Men-

do o) jam uſurpatus. Quanquam, cum neuter poeta μηνὸς μεσοῦντος, ſive *menſis* meminerit *medii*, illo quidem ævo in duas tantum partes diviſi fuiſſe videntur menſes, ſic ut μὴν ἱςάμενος dies XV, vel & XX priores, φθίνων vero reliquos comprehenderit. Indicium inde licet capere, quod Heſiodus alicubi p) diem memorat decimum tertium τοῦ ἱςαμένου. Tripertiti vero facti ubi fuerant menſes, dicebant v. c. δευτέρα ἱςαμένου, indicantes *diem* menſis *ſecundum*, (nam πρώτη ἱςαμένου dici non ſolebat pro die primo, cum hunc ex nova luna νεομηνίαν, ſive νουμηνίαν nuncuparent) δεκάτη ἱςαμένου pro *decimo* menſis die deſignando.

Menſe quidem inclinante, ineunte vero menſe ſequenti
Domum revertetur.

o) *Op. & di.* v. 798.

Πεφύλαξο δὲ θυμῷ
Τετράδ' ἀλεύασθαι φθίνοντός θ' ἱςαμένου τε
Ἄλγεα θυμοβορεῖν.

Teneto vero memoria
Quarto die ut vites exeuntis & intrantis menſis
Doloribus conficere animum.

p) Libri cit. v. 780.

do. Porro *undecimum* πρώτην μεσȣ̃ντος, vel & πρώτην ἐπὶ δέκα; *vigeſimum* vero εἰκάδα vocabant. At in tertia decade ordo numerandi inverſus erat. Etenim *vigeſima prima* φθίνοντος δεκάτη: *decima exeuntis*: *vigeſima ſecunda* φθίνοντος ἐννάτη, *exeuntis nona* dicebatur, & ſic porro ad diem usque poſtremam, quam Solon q) ἕνην καὶ νέαν, *veterem* & *novam* vocari juſſit propterea, quod cum novilunium, ſive nova lunæ & ſolis conjunctio, illa contingeret, de veteri ac novo lumine participaret. Appellata tamen eadem dies τριακὰς r) quoque fuit, s) & poſtea, in honorem Demetrii Poliorcetæ, t) Δημητριάς.

§. IV.

Dies, eorumque partes. Diem naturalem, h. e. tempus ab oriente ſole ad ſolis occaſum, u) in tres partes diſtinxere Græci antiquiores

q) Plut. in *Solone* p. 92. Cf. Spanhem. ad Ariſtoph. *Nubes* v. 1132.
r) Qua appellatione Heſiodus quoque uſus eſt, *Op. & di.* v. 766.
s) V. Pollux *Onomaſt.* l. I. c. VII. ſegm. 63.
t) Plut. in *Demetr.* p. 894.
u) Cenſorinus de *die natali*, c. XXIII.

res: quarum primam ἠῶ, *auroram, tempus matutinum*, ſecundam μέσον ἦμαρ, *diem medium*, tertiam δείλην, *veſperam* appellarunt. x) Veſperam rurſus diſtinxere in δείλην πρωΐαν, *veſperam maturam*, & δείλην ὀψίαν, *veſperam ſeram.* Δείλη πρωΐα illis erat ἡ μετ' ἄριστον ὥρα, *tempus a prandio*, cum ſol declinare jam inciperet; δείλη ὀψία vero ἡ περὶ δύσιν ἡλίου, y) *tempus circa occaſum ſolis.* Dies civilis, ſive tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur, z) Græcis νυχθήμερον dictum, apud Athenienſes ab occaſu ſolis incipiebat, & in occaſu alio deſinebat. Cenſorinus: a) *Athenienſes civilem diem ſtatuerunt ab occaſu ſolis ad occaſum.* Hoc ſpatium in partes XXIV æquales, quas *horas* vocamus, tandem diviſere Græci, non adeo longe ante Alexandri Magni, ut nonnulli exiſti-

x) His vocabulis diei partes Homerus ſignat paſſim.
y) Heſych. v. δείλη.
z) Cenſorinus l. c.
a) Eodem loco.

ſtimant, b) ætatem. Romanis pariter ea diei civilis partitio recepta fuit ſerius. Cenſorinus: c) *Horarum nomen non minus annos CCC. Romæ ignoratum eſſe, credibile eſt. nam in XII tabulis nusquam nominatas horas invenies, ut in aliis poſtea legibus, ſed* ante meridiem, *eo videlicet, quod partes diei bifariam tum diviſi meridies diſcernebat.*

CAPUT II.
DE FESTIS.

§. I.

Feſta quid, eorum nomina & cauſſa.

FEſtorum nomine conventus denotantur ſolemnes alicujus populi vel civitatis, laboris intermiſſione, ſacrificiis, ludis, choreis aliisque lætitiæ ſignis celebrati. Græcis ἑορταὶ dicuntur & πανηγύρεις. d) Exiſtimat Jo. Potterus, e) nec male quidem, Græcos quadruplici potiſſimum de caus-

b) V. Basnage *Hiſtoire des Juifs* T. III. p. II. c. 10. Cf. Scaligeri *Emendat. temp.* l. I. p. 3. ſqq.
c) Sub finem cap. cit.
d) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 34.
e) *Archaol. Græc.* l. II. c. XIX.

cauſſa conventus tales conſtituiſſe (1) Vt ſacrificando, laudesque celebrando, honos exhiberetur Diis, propter beneficia, vel in homines ſingulares, vel in civitatem gentemve integram collata. (2) Vt omnis generis bona a Diis impetrarentur. (3) Vt memoria recolerentur benefacta virorum fortium ac præſtantium, de republica optime meritorum. (4) Denique, ut laboribus interponeretur requies, animique curis feſſi hilaritate quadam per intervalla recrearentur. Addi poteſt quinto loco: Vt conventibus illis communi utilitati conſuleretur, civiumque ac popularium animi vinculo amicitiæ arctiori conjungerentur. De quo feſtorum uſu præclare hunc in modum diſſerit Strabo: e) Ἡ μὲν ὖν ἐπίνοια ἄυτη τῆς τε τῶν πόλεων κτίσεως, καὶ τῆς τῶν κοινῶν ἱερῶν ἐκτιμήσεως. Καὶ γὰρ κατὰ πόλεις συνήεσαν, καὶ

e) *Geogr.* l. IX. p. 642. Cf. eundem l. X. p. 717. ubi ferias hoc etiam commodi afferre ait, ut animum ἀπὸ τῶν ἀνθρωπικῶν ἀσχολημάτων ἀπάγωσι, καὶ πρὸς τὸ θεῖον τρέπωσι, *ab humanis occupationibus abſtrahant, & ad Deum convertant.*

καὶ κατὰ ἔθνος φυσικῶς κοινωνικοὶ ὄντες· καὶ ἅμα τῆς παρ' ἀλλήλων χρείας χάριν, καὶ εἰς τὰ ἱερὰ τὰ κοινὰ ἀπήντων διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, ἑορτὰς καὶ πανηγύρεις συντελοῦντες. φιλικὸν γὰρ πᾶν τοιοῦτον ἀπὸ τῶν ὁμοτραπέζων ἀρξάμενον, καὶ ὁμοσπόνδων καὶ ὁμοροφίων. ὅσῳ δὲ πλείων καὶ ἐκ πλειόνων ἐπιδημεῖ, τοσῷδε μεῖζον καὶ τὸ ὄφελος ἐνομίζετο. *Hoc ergo modo intelligitur, quomodo & urbes conditæ fuerint, & publica ſacrificia ſuam habuerint exiſtimationem. Etenim & civitates inter ſe, & gentes inter ſe conveniebant, cum natura ad communicationem factæ, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia: iisdemque de cauſſis & ad ſacrificia communia, feſtosque dies & ſolennitates celebrandas coïbant. Ad amicitiam quippe conducit quidquid a menſæ, libationum contuberniique proficiſcitur communitate; quod quanto majus eſt, & quanto per plures pervagatur, tanto etiam majore cum utilitate conjunctum habetur.*

§. II.

Solennitates omnium primæ.

In ſolennitatibus ſacris anniverſariis omnium primæ eæ exſtiterunt; quas

quas agricolæ poſt meſſem egere & vindemiam, oblatis Numini agrorum vinearumque primitiis, inſtitutisque ſimul conviviis ſolennibus, ut a labore ſeſe recrearent. Ariſtoteles: f) Θυσίας τε ποιοῦντες, καὶ περὶ ταύτας συνόδους, τιμάς τε ἀπονέμοντες τοῖς Θεοῖς, καὶ ἑαυτοῖς ἀναπαύσεις πορίζοντες μεθ᾽ ἡδονῆς· αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γενέσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί. μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. *Et qui ſacrificia faciunt, circa eaque conventus, honores Diis exhibent: & ſibi ipſis cum voluptate requiem comparant. Priſca enim ſacrificia & conventus videntur poſt fructuum collectiones, quaſi primitiæ quædam, fieri conſueviſſe. In his enim maxime temporibus otio vacabant.* Poſtea cum incrementa cepiſſet religio, auctusque eſſet Deorum numerus, feſta quoque inſtituta fuere plura, apud Athenienſes præſertim, qui ἦγον μὲν ἑορτὰς διπλασίους, ἢ οἱ ἄλλοι, *feſtos dies duplo plures agebant, quam ceteri Græ-*

Athenis feſta ſumtu celebrata publico.

f) *Ethic. ad Nicomach.* l. VIII. c. II.

Græci, teſte Xenophonte. g) Quo ex auctore h) etiam hoc diſcimus, concelebrari ſueviſſe ſolennitates iſtas ſumtu civitatis publico. Huic autem ferendo ut eo magis par eſſet ærarium, addicebantur ei ſubinde ad hunc uſum bona civium proſcriptorum publicata. i)

§. III.

Feſtum νεμηνίας. Summæ etiam antiquitatis *νεμηνίαι* videntur, ſive *ἱερομηνίαι*, h. e. ſolennitates illæ, quæ quovis agi moris erat novilunio, initio quidem in honorem tantum Lunæ, quam pro Numine venerati ſunt Græci antiquiſſimi, k) poſtea vero Deorum omnium. Plutarchus: l) Καὶ γὰρ Ἕλληνες ἐν τῇ νεμηνίᾳ τοὺς Θεοὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν Ἥρωσι καὶ Δαίμοσιν ἀποδεδώκασι. *Nam Græci etiam in novilunio Diis rem ſacram facientes, proximum ab eo diem Heroibus ac Geniis addixerunt.* Scho-

g) De *Republ. Athenienſ.* p. 700.
h) L. c. p. 696.
i) Potterus l. c.
k) V. P. I. c. IV. §. II.
l) In *quæſt. Rom.* p. 270.

Scholiaſtes Homeri: m) Τὴν νεομηνίαν πάντων τῶν Θεῶν νομίζουσιν εἶναι, ταύτην γὰρ οἱ πρόγονοι τοῖς Θεοῖς ἀνέθεσαν διὰ τὸ πρώτην αὐτὴν εἶναι τοῦ μηνός. *Novilunium Deorum eſſe putant omnium; hoc enim majores Diis conſecrarunt, quod primus eſt menſis dies.* Celebrata vero novilunia fuiſſe ſolenniſſime, Plutarchus n) indicat: Οὐδὲ ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν καὶ τῆς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δεινασταὶ καὶ στύγιον. *Neque Kalendarum & novilunii admonebunt, quam ſacratiſſimam diem fœneratores atram & abominandam faciunt.* Plura de ſolennitate hac habentur apud Meurſium. o)

§. IV.

Feſtorum multitudo, noſtrumque de illorum recenſu propoſitum.

Feſtorum reliquorum tanta fuit multitudo, ut recenſum inire ſingulorum longum admodum futurum eſſet, & ab inſtituto noſtro, quod rerum tantum præcipuarum requirit commemorationem, alienum. Ita-

m) Ad *Odyſſ.* XX. v. 155.
n) De *vit. ære al.* p. 828.
o) In *Græc.fer.* l. V. p. 210. ſeqq.

que quas in nos ſuſcepimus partes expleviſſe forſan videbimur, ſi ea potiſſimum feſta, quæ præ ceteris agi conſueverunt ſolenniter, enumeraverimus. Reliquorum notitia partim, ut alios taceam, ex Jo. Meurſio peti poterit, partim ex Jo. Pottero, qui ambo ſacras Græcorum ſolennitates ea percenſuere diligentia, p) ut vix addi poſſe videatur quidquam, præter obſervationes nonnullas, quas paſſim ſumus adſperſuri.

§. V.

Adonia. Prima igitur *Adoniorum* (Ἀδωνίων, vel Ἀδωνείων) eſto ſolennitas, Adonidis potiſſimum, ex quo nomen conſecuta eſt, ſimul tamen & Veneris, memoriæ ac honori ſacra. q) De Adonide vero hæc fere tradunt mythographi: Adonis filius erat Cinyræ, Aſſyriorum, ſive Syrorum regis, quem

p) Ac Meurſius quidem in *Græcia feriata*, Lugd. Bat. 1619. edita, ac poſtea tomo VII. *Theſ. Gron.* inſerta; Potterus vero in *Archæol. Gr.* l. II. c. XX.

q) Schol. Ariſtoph. in *Pacem* v. 419. Muſæus in *poëm. de Hero & Leandro* v. 43.

quem hic in Cypro inſula, ubi Paphus urbs ab eo fuerat condita, vel ex Metharme uxore, Pygmalionis, Cypriorum regis, filia, vel ex Myrrha filia genuerat: juvenis adeo formoſus, ut ipſa etiam Venus amore ejus caperetur. Huic inter venandum aper tam grave intulit vulnus, ut animam efflarit. Reduxit tamen eum in vitam, rogatu Veneris, caſu hoc intimo affectæ dolore, Proſerpina, hac lege, ut per ſemeſtre anni ſpatium ipſa, per ſemeſtre vero alterum Venus amplexibus ejus frueretur. r) Hujus igitur rei in memoriam, in civitatibus Græciæ plerisque, duo quotannis, æſtate fere media, dies agebantur feſti, quorum prior in ſummo tranſigebatur luctu, ob Adonidis interitum, poſterior contra maximæ lætitiæ cum ſignis, ob ejusdem in vitam reditum. Itaque priori die paſſim per urbem circumferebantur a feminis ſimulacra, mortuis, qui efferrentur, ſimilia, ſummo cum planctu, & cum cantilenis lugubri-

 bus,

r) Apollod. *Biblioth.* l. III. c. XIII, p. 223. ſq. Ovid. *Metamorph.* l. X, v. 299. ſqq.

bus, s) tanquam exſequiæ fierent Adonidi, quem ſimulacra illa repræſentabant. Circumgeſtabantur etiam teſtæ terra oppletæ, unde fœniculum & lactuca progerminarent, in memoriam reclinati in lactucis a Venere Adonidis, ultimum ſpiritum trahentis. Dicebantur teſtæ illæ κῆποι Ἀδώνιδος, *horti Adonidis*, finitaque ferali pompa vel in fontes, vel in mare projiciebantur, ad ſimilitudinem quandam mortis, qua in ipſo ætatis flore exſtinctus fuerat Adonis. t) Inflabantur etiam tibiæ, ſonum edentes lugubrem flebilemque, γίγγραι ex eo appellatæ, quod Phœnicum lingua Adonis nominaretur Gingras. u) Poſtridie autem de Adonide in vitam revocato ſumma oſtendebatur lætitia. x) Admiſſum aliquando ritum

s) Plutarch. in *Alcib.* p. 200, & in *Nicia*, p. 235.
t) Heſych. vocibus Ἀδώνιδος κῆποι. Athenæus *Dipnoſoph.* l. II. p. 69. Philoſtr. in *Vita Apollon.* l. VII, c. XXXII, p. 311. Zenob. *Centur.* I. prov. 49. Euſtath. ad *Il.* XI.
u) Pollux *Onomaſt.* l. IV. c. X. ſegm. 76. & c. XIV. ſegm. 102. Heſychius voce Γιγγρίαι.
x) Macrob. *Saturn.* l. I. c. 21.

tum a Judæorum quoque gente fuiſſe, ex Ezechielis vaticiniis intelligimus. y)

ſ. VI.

Ἀνθεστήρια, quaſi *Floralia* dicas, nomen habuerunt ex coronis *floreis*, quibus feſto hoc ornabantur pueri trimi. z) Incidebat ſolennitatis anniverſariæ, Baccho ſacræ, initium in diem XI menſis Antheſterionis, nomen ex ea conſecuti, qui octavus erat in anno Attico, a) & in menſibus hibernis locum tenebat ſecundum. Agebatur vero per tres dies continuos, quorum quisque nomine appellabatur peculiari. Primus dicebatur Πιθοιγία, b) quoniam eo *dolia* vini novi primum *aperiebantur*, ſacrisque Baccho rite factis bibendi licentia dabatur omnibus, poſitis in medio vini crateribus, a quibus ne *Antheſteria.*

y) Cap. VIII, v. 14.

z) *Etymol. M.* voce Ἀνθεστήρια. Philoſtr. in *Heroic.* c. XI, p. 720.

a) Harpocrat. voce Ἀνθεστηριών.

b) Ita quidem vocabant Attici, Bœotii vero ἡμέραν Ἀγαθοῦ Δαίμονος, *diem Boni Dæmonis.* Plut. *Sympoſ.* l. III, qu. 7. p. 655, & l. VIII. qu. 10. p. 735.

ſervos quidem arcere fas erat. c) Dies alter vocabatur Χόες eò, quia hoc die ex ſuo bibendum cuique erat *congio* (χοΐ). Id ut fieret Demophoon, vel, ut ab aliis traditur, Pandion inſtituerat, Athenarum rex, cavere hac ratione volens, ne vinum ex eodem vaſe haurirent Athenienſes una cum Oreſte, materna cæde inquinato, d) qui Athenas tunc ſeſe receperat, exceptusque a rege fuerat, ut hoſpes. e) Hoc die convivia inter ſe agitabant Athenienſes privatim. Athenæus: f) Ἐν τοῖς Χοῦσὶν εὐωχοῦνται μὲν γὰρ κατ' ἰδίαν, παρέχει δὲ ταῦτα ὁ καλέσας ἐπὶ τὴν ἑστίασιν. *Illis feriis, quas* Χοῦς *appellant, privatim quidem epulantur, præbente cibaria eo, qui ad epulum invitavit.* Certamen etiam bibendi inibatur, ad quod buccinæ ſonitu invitabantur. Certantes inter ſe utri inſiſtebant vini pleno, quem is, qui ad tubæ clangorem

c) Plut. ll. cc. Philoſtr. l. c. Jo. Tzetzes in *Heſiod.* p. 120.

d) V. P. II. c. III. §. II. & P. III. c. III. §. III.

e) Athenæus *Dipnoſoph.* l. X. p. 437. Schol. Ariſtoph. ad *Acharn.* v. 960.

f) *Dipnoſoph.* l. VII. p. 276.

rem prior ebibiſſet congium integrum, præmium ferebat, g) ſimul cum corona ex foliis contexta.h) Eodem die munera mercedemque Athenienſes iis mittebant ſcholarum magiſtris, quos Sophiſtas nuncupabant, qui ipſi etiam familiares ſuos ad hoſpitalem cœnam convocabant. i) Diei denique tertii ſolennitas Χύτροι nominabatur, k) cujus Athenæus etiam meminit. l) Nomen huic ex eo factum, quod χύτραι, ſive *ollæ*, omni ſeminum coctorum genere refertæ, publice circumferebantur, Mercurioque offerebantur, eorum ad exemplum, qui e diluvio evaſerant Deucalioneo, illumque Deum, tanquam mortuorum deductorem, iſto oblationis genere placare ſtuduerant. m) Eodem hocce die, uti feſtis aliis Baccho ſacris, & Panathenæis, certa-

g) Ariſtoph. *Acharn.* v. 999. ſqq. ejusque Schol. Cf. Ælianum *Hiſt. var.* l. II. c. 41, & ad eum Perizon.

h) Suid. vocibus ἀσκὸς Κτησιφῶντος.

i) Athen. l. X. p. 437.

k) Harpocrat. voce χόες & χύτροι.

l) *Dipnoſoph.* l. IV. p. 129, 130.

m) Suid. voc. χύτροι.

mina edebantur poëtarum in theatro, ex quibus qui victor judicatus fuerat, jure civitatis donabatur. n) Peractis Antheſteriorum ſolemnibus, ſervis, quibus vacatio a labore & convivia feſto hoc indulta fuerant, acclamabatur: Θύραζε Κᾶρες, ἐκ ἔτ' Ανθεςήρια. *Foras Cares,* o) *non ſunt amplius Antheſteria.* p)

§. VII.

Apaturia. Ἀπατέρια dicta eſſe vulgo tradunt ἀπὸ τῆς ἀπάτης, ex illo *dolo*, quo uſus fertur Melanthius, Athenienſium rex, erga Xanthum, Thebanorum regem, quocum certamen inierat ſingulare, ut controverſia, inter Atticos & Bœotios de agro Melænio oborta, dirimeretur. Dicitur nempe Melanthius in illa pugna perfidiam exprobraſſe adverſario, tanquam qui contra datam fidem opitulatorem adſciviſſet a tergo adſtantem; ac, dum reſpiceret Xan-

n) Diog. Laert. in *Plat.* p. 220. Plutarch. in *Lycurgo orat.* T. Opp. II. p. 841.
o) Sic vocari moris erat *ſervos*, quia pars eorum magna Cares erant.
p) Heſych. voce θύραζε.

Xanthus, opportunitate ea uſus eſſe ad eum occidendum. g) Magis autem credibile eſt, Ἀπατέρια nomen accepiſſe vel ex eo, quod *patres* feſto hoc *una* convenirent, ut in album, ſive nomenclatorem civitatis referri curarent liberos, quo pacto ἀπατέρια erunt quaſi ὁμοπατόρια; h) vel quod qui quaſi ἀπατόρες adhuc fuerant, nunc certis parentibus, certisque familiis, publicis in tabulis adſcriberentur. i) Agebatur ſolennitas menſe Pyanepſione per dies quatuor, k) vel, ut alii volunt, per dies tantum tres, l) quorum primus, isque vigeſimus ſecundus dicti menſis, vocabatur Δορπία, alter Ἀνάῤῥυσις, tertius Κουρεῶτις, quartus Ἐπίϐδα: quod quidem poſtremum nomen diebus illis omnibus, qui feſtum aliquod ſubſequerentur, commune fuiſſe, nonnulli ex-

 iſti-

g) Harpocrat. & Suid. voc. Ἀπατέρια.
h) Schol. Ariſtoph. ad *Acharn.* v. 146. & ad *Theſmoph.* v. 565.
i) Potterus l. II. c. XX, p. 352.
k) Harpocr. & Heſych. voce Ἀπατέρια.
l) Suid. l. c.

iſtimant. m) Primo die δόρπον, ſive *cœnam* ſolennem inſtituebant ſingulæ φρατρίαι, ſive *curiæ*, n) quæ tres erant numero in unaquaque tribu. o) Ad quem morem duobus locis reſpicit Ariſtophanes, *farcimina* memorans & *carnes ex Apaturiis.* p) Reſpicit etiam Herodotus, q) quando Homerum, quum Apaturiorum feſto Samum appuliſſet, a Samio quodam invitatum, ut idem feſtum una cum Samiis concelebraret, acceſſiſſe refert εἰς τὴν Φρήτρην, *ad aliquod contribulium collegium*, domumque, ubi inſtructum fuerat epulum, ingreſſum, epulatum eſſe μετὰ τῶν φρατόρων, *cum contribulibus.* Ex quibus hoc ſimul cognoſcimus, non in Attica ſolum, verum etiam in regionibus Græcorum aliis acta fuiſſe Apaturia. Secundo die ſacra fiebant Jovi τῷ Φρατρίῳ, & Minervæ. r) Quibus ex ſacris Ἀνάθυσις ap-

m) Meurſ. In *Græc. fer.* l. I. p. 33. Cf. Joach. Kühnii *annot.* ad Polluc. l. I. ſegm. 107.
n) Schol. Ariſtoph. ll. cc.
o) Harpocrat. voce φράτορες.
p) In *Acharn.* & *Theſmoph.* ll. cc.
q) In *vita Homeri*, p. m. 569.
r) Schol. Ariſtoph. l. c.

appellatus fuit dies & Ἀνάῤῥυσις, ἀπὸ τοῦ ἄνω ἐρύειν, q.e. *ſurſum flectere*, ſcil. jugulum victimæ, ut fieri ſolebat in ſacrificiis Superorum. s) Cum victima puerum ſimul, quem in tribules relatum cupiebant, ad aram portabant, atque Diis quaſi ſiſtebant. Andocides: t) Λαβόντες δὲ οἱ προσήκοντες τῇ γυναικὶ τὸ παιδίον, ἦγον ἐπὶ τὸν βωμὸν Ἀπατουρίοις, ἔχοντες ἱερεῖον, καὶ ἐκέλευον κατάρξασθαι τὸν Καλλίαν. *Cognati mulieris, puerulum accipientes ad aram portarunt, ducentes ſimul victimam, Calliamque ſacrificare juſſerunt.* Diei tertio nomen erat Κουρεώτιδι, ἀπὸ τοῦ τοὺς κούρους καὶ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατρίας, *quod eo pueri & puellæ albo tribulium inſcriberentur.* u) Inſcribebantur autem vel eodem anno nati, x) vel trimi aut quadrimi. y) Ante vero quam referrentur liberorum nomina εἰς τὸ κοινὸν γραμματεῖον, *in co-di-*

s) V.P.III.c.I. §.XVIII.
t) Orat. I. quæ eſt de *myſter.* p. m. 235.
u) Schol. Ariſtoph. l. c.
x) *Etymol. M.* voce Ἀπατούρια.
y) Proclus iu *Timæum Plat.*

dicillos communes, ſicuti Iſæus z) vocat, ſive *tabulas publicas*, jusjurandum per ſacra præſtare oportebat parentem, filiolum hunc ſuum ex femina cive natum eſſe legitime. a) Eodem die capilli detondebantur pueris, & ſacrificium ſimul fiebat Dianæ. b) Conſtabat hoc vel ex ove, vel ex capra, quæ φρατὴρ, φράτριος, ſicuti ſacrificium ipſum κούριον, vel κουρεῖον appellabatur. c) Victimam juſti eſſe oportebat ponderis, quod ſi non haberet, acclamabatur a contribulibus: Μεῖον. Quod quia ſæpius, & per luſum quoque, factum eſt, nata hinc eſt conſuetudo vocandi ipſam victimam Μεῖον, & qui eam ducerent, Μειαγωγούς. d) Puellæ etiam die hoc in album tribulium referebantur, ſed non ante, quam ætatem attigiſſent nubilem. Harum cauſſa quod offere-

z) Orat. VI. quæ eſt de *Apollodori heredit.*) p. 487.
a) Iſæus l. c. p. 486. ſq. Cf. *Etymol.* M. l. c.
b) Heſych. voce Κουρεῶτις.
c) Pollux *Onomaſt.* l. III. c. IV. ſegm. 52. & l. VIII. ſegm. 107.
d) Harpocrat. voce Μεῖον. Cf. Pollucem l. c.

rebatur ſacrificium Γαμηλία vocabatur. e)

§. VIII.

Βȣφόνια, quæ & Διϊπόλεια nominata ſunt, f) ex ſolennitatibus fuere antiquiſſimis. g) Sacra illis fiebant Jovi Πολιεῖ in arce Athenarum, h) menſis Scirophorionis die XIV. Hæc ſolennia quum Erechtheo Athenis regnante i) aliquando celebrarentur, accidit, ut bos quidam, ab opera recedens, placentam raperet ſacrificio deſtinatam, partimque devoraret, partim conculcaret. Quod cum vidiſſet Thaulon quidam k) ſacerdos, collegis aſſumtis ſecuri bovem occidit, pœnamque metuens *Buphonia.*

e) Pollux l. VIII. c. IX. ſegm. 107. ubi maſculos quoque εἰς ἡλικίαν προελθόντας, *non ante ætatem adultam*, inſcriptos fuiſſe tribulium albo docet: qui mos ipſius fortaſſis ætate obtinuit.

f) Ælianus *Hiſt. var.* l. VIII. c. 3.

g) Ariſtoph. in *Nub.* v. 980, 981.

h) Porphyr. de *abſtin.* l. II. p. 178. Schol. Ariſtoph. in *Pacem* v. 418. & *Etymol. M.* voce Βȣφόνια.

i) Pauſan. in *Att.* c. XXVIII. p. 70.

k) Porphyrius Diomum vocat l. II. de *abſtin.* p. 136.

tuens iis, qui bovem aratorem interemiſſent, ſtatutam, bipenni abjecta l) aufugit. Hujus igitur facti in memoriam inſtituta eodem feſto ſunt Βȣφόνια, his quidem cærimoniis peragi ſolita: Apponebant in ara Jovis Poliei hordeum tritico permiſtum, m) neque cuſtodes adhibebant. Tum boves e paſcuis circa aram viri circumagebant Κεντριάδαι dicti. Interea virgines quædam aquam attulerant ad acuendam ſecurim cultrumque, quibus bos, qui fruges in ara attigiſſet, percuteretur jugularetur que, fueratque ſecuris acuta ſacerdoti, quem Βȣφόνον appellabant vel Βȣ́τυπον, tradita, culter vero ei, qui nomen gerebat Δαιτρȣ̃. Simulac igitur bos ex frugibus memoratis aliquid cepiſſet, accurrebant Βȣφόνος & Δαιτρὸς ad bovem ſecuri percutiendum jugulandumque. Hoc facto ſacerdotes reliqui bovem excoriabant, ſingulique ex eo aliquid de-

l) Heſych. & Suid. vocibus Βȣφόνια & Θαύλων. Porphyr. l. c. & p. 174.

m) Porphyr. πέλανον καὶ ψαιστὰ appoſita fuiſſe dicit.

deguſtabant, pellem vero bovis conſutam fœno ſuffarciebaut, ut priſtinam bovis ſpeciem mentiretur, aratro quoque appoſito, ac ſi terram vellet proſcindere. Deinde cædis cognitio inſtituta, & ad dicendam cauſſam evocati, qui culpæ affines videbantur. Sed ex his alius in alium culpam transferebat: Virgines ὑδροφόροι in eos, qui ſecurim cultrumque acuiſſent, hi in eum, qui porrexiſſet, atque hic denique in percuſſorem, qui, ut pœnam cædis devitaret, ſtatim ab ictu aufugerat. Itaque de ſecuri habebatur judicium, tanquam quæ cædem perpetraſſet. Quæ ſententiis judicum condemnata, mari demergebatur. n)

§. IX.

Βραυρωνίων ſolennitas quinto quoque anno agitabatur, in honorem quidem Dianæ, quæ *Brauroniæ* cognomen ex pago Atticæ *Braurone*, prope Marathonem ſito, retulerat, quo **Brauronia.**

n) Pauſan. in *Att.* c. XXIV. p. 57. Porphyr. de *abſtin.* l. II. p. 176, ſqq. Ælianus *Hiſt. var.* l. VIII. c. 3.

quo ſtatuam Dianæ Tauricæ transtuliſſe dicebatur Iphigenia. o) Curabant ſacra antiſtites decem, ἱεροποιοὶ dicti, p) agebant vero virgines intra annum ætatis quintum & decimum conſtitutæ, veſtibusque amictæ coloris crocei; quæ ἄρκτοι, *urſæ* vocabantur q) propterea, quod Dianam placare credebantur, quæ, ob interfectam aliquando Phlavidarum in pago *urſam* manſuefactam, irata peſtem Atticæ habitatoribus immiſerat. r) Sacrificium feſto hoc ex capra fiebat Deæ, canebaturque a Rhapſodis ſolenniter Homeri Ilias. s)

§. X.

o) Pauſan. in *Att.* c. XXIII. p. 80. & in *Arcad.* c. XLVI. p. 694.

p) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 107.

q) Ariſtoph. in *Lyſiſtr.* v. 644. ubi femina quædam ait:

Εἶτ' ἀλετρὶς ἦ δεκέτις,
Οὖσα τ' ἀρχηγέτις,
Κατέχουσα κροκωτὸν, ἄρκτος ἦ Βραυρωνίοις.

Deinde decennis quum eſſem, molitrix facta ſum, ad molenda liba ſacra,
Ducisque partes gerens, in pompa ſacra,
Amicta veſte crocea, urſa *eram in Brauroniis.*

r) Herod. l. VI, c. 138. Harpocrat. voce ἀρκτεῦσαι. Suid. voce ἄρκτος.

s) Heſych. voce Βραυρωνίοις.

§. X.

Διαμαϛίγωσις e ſolennitatibus Lacedæmoniorum nobiliſſimis erat, qua adoleſcentes, initio nobiles tantum, poſtea vero ignobiliore loco, imo ex ſervis etiam nati, t) *flagrorum* (μαϛίγων), quibus ad Dianæ Orthiæ aram graviter cædebantur, inter ſe certabant patientia. Concinne de ſolennitate hac, quæ anniverſaria erat, Plutarchus: u) Ὁι παῖδες παρ᾽ αὐτοῖς, ξαινόμενοι μάϛιξι δι᾽ ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τȣ̃ βωμȣ̃ τῆς Ὀρθίας Αρτέμιδος μέχρι θανάτȣ πολλάκις διακαρτερȣ̃σιν, ἱλαροὶ καὶ γαῦροι, ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλλήλȣς, ὅς τις αὐτῶν ἐπὶ πλέον τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος, καὶ ὁ περιγενόμενος, ἐν τοῖς μάλιϛα ἐπίδοξός ἐϛι. Καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα Διαμαϛίγωσις· γίνεται δὲ καθ᾽ ἕκαϛον ἔτος. *Lacedæmone pueri per integrum diem flagellis cæſi, ſæpenumero ad mortem usque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacresque tolerant, atque inter ſe de victoria cer-* *Diamaſtigoſis.*

Antiq.Gr.Sacr. Pp *tant,*

t) Tertull. *ad Martyres*, c. IV. Themiſtius ea *orat.* quæ Βασανιϛὴς, ἢ φιλόσοφος, inſcribitur.
u) In *Inſtitut. Lacon.* p. 239.

tant, in eo poſita, quis diutius magisque perferat verbera: victoremque ſumma conſequitur gloria. Certamen illud flagellatio *dicitur, & quotannis habetur.* Confirmat ſtupendam illam tolerantiam Cicero: x) *Spartæ pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, ut multus e viſceribus ſanguis exeat: nonnunquam etiam, ut, cum ibi eſſem, audiebam ad necem: quorum non modo nemo exclamavit unquam, ſed ne ingemuit quidem.* Idem alibi: y) *Pueri Spartiatæ verberibus lacerati ne ingemiſcunt quidem.* Adſtabant filiis, dum cæderentur, parentes, adhortantes illos, *ut ictus flagellorum fortiter perferrent, & laceros ac ſemianimes rogabant, perſeverarent vulnera præbere vulneribus.* z) Quin imo matres juxta ac patres minitabantur filiis, ſi non ſuſtinuiſſent fortiter plagas. a) Quare mori multi in illo certamine maluerunt, quam cedere tur-

x) *Tuſcul. quæſt.* l. II. p. 1124.
y) *Tuſc. qu.* l. V. p. 1159.
z) Verba ſunt Senecæ de *Provident.* c. IV.
a) Lucianus de *Gymnaſ.* T. Opp. II. p. 296.

turpiter ſuorum in conſpectu. b) Mortui qui eſſent, ii funere publico & capite coronato efferebantur, ſtatuisque cohoneſtabantur. c) Præerat his ſacris femina, ſimulacrum geſtans Dianæ, quæ, ſi remiſſius verberarent cædentes, adeo grave ſibi fieri querebatur ſignum, ut illud amplius ſuſtinere nequiret. d) Inſtitutum fuerat certamen a Lycurgo, Lacedæmoniorum legislatore, mitigare volente oraculi reſponſum, quo juſſi fuerant Spartani aram Dianæ Orthiæ, e Taurica Scytharum apportatæ, ſanguine rigare humano, immolatis ſcilicet victimis humanis; e) ſimul tamen efficere conante *καρτερικωτάτους καὶ παντὸς δεινοῦ κρείττονας εἶναι τοὺς σώζειν μέλλοντας τὴν πατρίδα, ut perſeverantiſſimi omnique malo potiores eſſent, qui patriam eſſent defenſuri.* f)

b) Idem ibid. pag. 297.
c) Statius *Theb.* l. IV, v. 228. Cf. ad eum locum interpr. vet. Lucianus l. c.
d) Pauſan. in *Lacon.* c. XVI. p. 250.
e) Pauſan. l. c. Philoſtr. in *vita Apollonii* l. VI. c. 20.
f) Lucianus l. c.

§. XI.

Diaſia. Διάσια, feſtum uti antiquiſſimum, ita maximum, in honorem Jovis Μειλιχίε, ſive *Placidi*, *Propitii*, celebratum, ſub finem menſis Antheſterionis. Thucydides: g) Ἔςι γὰρ καὶ Ἀθηναίοις Διάσια ἃ καλεῖται, Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίε μεγίςη, ἔξω τῆς πόλεως. *Aguntur apud Athenienſes Diaſia quæ vocantur, feſtum Jovis Milichii maximum, extra urbem.* Compoſitum creditur nomen ex Διὸς & ἄση, quod *ægritudinem* ſonat *animi moleſtiamque*, h) quam fortaſſe difficilia reip. tempora attulerant Atticis, cum feſtum primum inſtitueretur. Hinc etiam σκυθρωποὶ, καὶ μετά τινος συγνότητος, *cum aliquo vultus mœrore* rem ſacram eo faciebant Athenienſes. i) Faciebant vero πανδημεὶ, θύοντες ἐχ ἱερεῖα, *ſacrificantes non victimas*, ut ait Thucydides, k) ſed θύματα ἐπιχώρια, i. e. ex-

g) *Hiſtor.* l. I. p. 83. Cf. p. 82. ubi oraculi etiam effato feſtum hoc prædicatur *maximum*. Cf. Schol. Ariſtoph. ad *Nubes* v. 407. & ad *Equ.* v. 443.

h) *Etymol. M.* voce Διάσια. Cf. Schol. Ariſtoph. l. c.

i) Heſych. voce Διάσια.

k) Loco cit.

explicante Scholiaſte, τινὰ πέμματα εἰς ζώων μορφὴν τετυπωμένα, *placentas quasdam, animalium in formam effictas*, morem ex parte ſervantes antiquum, quo non hoſtiæ, ſed liba Diis offerebantur. Opulentiores tamen ſacrificia etiam ſplendida curaſſe apparari, ex verbis patet Mercurii, quibus ille Jovi apud Lucianum ait: l) Παρ' ᾧ λαμπρῶς εἰώθαμεν ἑορτάζειν τὰ Διάσια. *Apud quem* (Timonem) *ſplendide Jovialia conſuevimus agitare*, ſacrificiis perfruentes lautis. Epula etiam inſtructa in familiis fuiſſe opipara, nundinasque celebratas, ex Ariſtophane m) videtur poſſe colligi. Intermiſſa autem recentiori ætate fuisſe Diaſia per complures annos, ex Luciano intelligitur. n)

§. XII.

Διονύσια, ſive *Bacchanalia*, generaliori nomine Ὄργια dicta, duplicia erant Athenis, ubi ſolennitas hæc majori, quam alibi locorum, cum ap- *Dionyſia, ſive Bacchanalia.*

l) In *Timone* T. Opp. I. p. 71.
m) In *Nubibus* v. 407. & 862.
n) In *Icaromenippo* T. Opp. II. p. 204.

apparatu pompaque agitabatur. Nam & vere celebrabatur ineunte, & auctumno. Verna in menſem incidebant Elaphebolionem, o) qui in menſibus hibernis poſtremus erat, dicebanturque τὰ ἐν ἄστει, ſeu ἀστικὰ: *urbana*, quoniam intra urbem agebantur: quæ cave confundas cum Antheſteriis, quæ & Διονύσια ἀρχαῖα, *Liberalia antiqua* nuncupabantur, de quibus ſupra. Autumnalia menſe fiebant Poſideone medio, noſtro fere reſpondente Octobri, vocabanturque Ληναῖα, *Lenæa*, item τὰ κατ' ἀγρὲς, *ruralia*, quia rure peragebantur eorum ſolemnia. p) Initio ritus Bacchanaliorum pauci fuere ac ſimplices. Plutarchus: q) Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς καὶ ἱλαρῶς. ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματὶς· εἶτα τράγον τὶς εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄῤῥι-

o) Patet hoc ex Thucyd. *Hiſt.* l. V. p. 357. ubi fœdera facta dicit hieme deſinente, ἅμα ἦρι, *& vere ineunte, ſtatim poſt urbana Dionyſia.*

p) Heſych. voce Διονύσια. Cf. Ezech. Spanhemii *Notas in Nubes* Ariſtoph. v. 310. Jac. Palmerii *Exercitat.* p. 505. 617. ſqq.

q) De *cupid. divit.* p. 527.

ἀῤῥιχον ἠκολέθει κομίζων· ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. *Accepta a majoribus Bacchanaliorum ſolennitas antiquitus plebejo more & hilari agebatur. Amphora vini & palmitis ſarmentum geſtabatur: tum aliquis caprum trahebat, ſequebatur alius, calathum ficubus plenum geſtans: Vltimo loco phallus* r) erat. At inferiori ætate mirum in modum auctæ fuere cærimoniæ, multoque ſplendidiores redditæ. Rurſus teſtatur Plutarchus: Ἀλλὰ νῦν ταῦτα παρορᾶται καὶ ἠφάνισαι, χρυσωμάτων περιφερομένων, καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων, καὶ προσωπέιων. *Sed nunc quidem hæc* (antiqua inſtituta) *negliguntur, & obſoleta ſunt, dum interim geſtantur aurea pocula, veſtes precioſæ, bigæ agitantur, perſonatique incedunt.* Enumerabimus breviter ritus præcipuos, quibus tum antiquiori ævo, tum poſtea quoque uti ſolenne fuit Bacchi ſacra celebrantibus. Obſervamus igitur ante omnia, fuiſſe illa nocturno potiſſimum tempore factitata. Profitetur id ipſe Bacchus

r) De *phallo* vide quæ ad p. 249. annotavimus.

chus apud Euripidem, s) rationemque ſimul ſubjungit. Interrogatus enim a Pentheo:

Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς;
Hæc vero ſacra noctune an interdiu perſicis?

reſpondet:

Νύκτωρ τὰ πολλά, σεμνότητ' ἔχει ὁ σκότος.
Noctu plerumque; auguſti enim aliquid habent tenebræ.

Omni tamen ſine lumine rite peragi quum non poſſent; tædas manibus geſtabant lampadasque, cum quibus & templa ingrediebantur, & per urbes agrosque diſcurrebant. Hinc Bacchus Φαυστήριος cognominatur Lycophroni, t) q. d. *Lucernalis*, ἀπὸ τοῦ διὰ φανῶν καὶ λαμπάδων ἐπιτελεῖσθαι τὰ τούτου μυστήρια, *quod ad faces & lampadas ejus perficerentur myſteria*, ut ait Iſ. Tzetzes, Lycophronis interpres. Habitu utebantur ludicro. Nam

s) In *Bacchis* v. 485.
t) In *Alexandra* v. 212. Cf. Pauſan. in *Ach.* c. XXVII. p. 595. Ariſtoph. in *Nub.* v. 606 ejusque Schol. Eurip. in *Bacchis* v. 306.

Nam faciem tegebant larvis, quas e corticibus fieri curaverant excavatis; u) caput ſertis ornabant frondeis, ex fruticibus arboribusve Baccho ſacris, ut hedera, vite, myrto, abiete; x) corpori pelles circumjiciebant hinnulorum; manibus thyrſos geſtabant, ſive haſtas ligneas, frondibus hederaceis pampineisque involutas, quas diligenter quatiebant vibrabantque. y) Hac nimirum ratione exprimere ſtudebant illum habitum, illudque armorum genus, quo uſus ferebatur Bacchus in expeditione ſua Indica. Aliqui etiam Silenum ſimulabant, Panem atque Satyros, Bacchi in eadem expeditione comites ſociosque. Hoc igitur habitu bacchantes, feminæ juxta ac viri, per agros atque montes, præſertim in Lenæis, divagabantur, horrendum in modum clamantes, atque has cumprimis ingeminantes voces, tanquam fauſtam ad Bacchum acclа-

u) Virgil. *Georg.* l. II, v. 385.
x) Eurip. in *Bacchis* v. 77. Ariſtoph. in *Ranis* v. 331. ſqq.
y) Eurip. in *Bacchis*, v. 78 et 240.

clamationem: Ἐυοῖ Σαβοῖ, Ἐυοῖ Βάκχε, ὦ Ἴακχε, Ἰὼ Βάκχε, Ἔυια τὸν Ἔυϊον. z) Porro ridicule ſaltabant, a) ad tympanorum & cymbalorum ſtrepitum, b) fiſtularumque atque tibiarum cantum, c) ad cantilenas item varias, d) ac in univerſum ebriorum inſanientiumque in morem ſeſe gerebant. Præterea pompa etiam ducebatur, in qua caprum quis trahebat, ſacrificio deſtinatum, alii phallos, rurſus alii amphoras vini, alii contra vaſa aquæ plena, pro indicio vini, a Baccho inventi, & aqua diluendi præferebant. e) Phallos Veneris, ad quam uſus vini largior inflam-

z) Eurip. in *Bacchis* paſſim. Ariſtoph. in *Ranis* v. 319. ſqq. Clem. Alex. in *Admonit. ad gentes* p. 9.

a) Lucianus de *ſaltat.* T. Opp. I. p. 794. Τὰ μὲν γὰρ Διονυσιακὰ, καὶ Βακχικὰ, οἶμαί σε μὴ περιμένειν ἐμοῦ ἀκοῦσαι, ὅτι ὄρχησις ἐκεῖνα πάντα ἦν. *Nam ut Dionyſiaca & Bacchica ex me audias, non arbitror te exſpectare, quia tota illa fuerunt ſaltatio.*

b) Eurip. in *Bacchis*, v. 124. 136. Livius l. XXXIX. c. 8.

c) Eurip. l. c. v. 378, 687, 160.

d) Id. v. 124, 136.

e) Pauſan. in *Ach.* c. XXVII. p. 595. Plutarch. de *divit. cupid.* p. 527. & de *Iſide & Oſir.* p. 365. Athenæus *Dipnoſoph.* l. V. p. 198. ſqq.

flammaret, ſymbola, Ἰθύφαλλοι ſequebantur. Sic homines vocabant muliebriter veſtitos, mores imitantes ebriorum, & carmina ſimul cantantes. Intererant quoque pompæ virgines quædam nobiles, κανηφόροι ex eo dictæ, quod *caniſtra geſtarent* aurea, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων ἐτίθεσαν, *omnis generis primitiis*, rebusque aliis ad ſacrificium neceſſariis *referta.* f) Virgines aliæ λικνοφόροι erant, quæ *vannos*, ſeu *ciſtas* in capite *portabant*, in quibus recondita erant τὰ μυστικὰ Bacchi. g) Vanni ſive ciſtæ illæ coronis cinctæ eſſe ſolebant hederaceis, ex quibus ſerpentes, cicures facti, ſubinde prorumpebant, non injucundo ſpectaculo. h) Porro comiſſationibus quoque dabatur opera, atque omne libidinis genus magna cum licentia exercebatur. Qua-

f) Ariſtoph. *Acharn.* v. 241. ejusque Schol. *Lyſiſtr.* v. 1191. ſqq.
g) Athen. *Dipnoſoph.* l. V. p. 298. Demoſth. de *corona* p. 350. Proclus in *Timæum Plat.* p. 124. Harpocrat. voce λικνοφόρος.
h) Vid. Spanhemii *Obſerv.* in *hymnum* Callim. *in Cer.* p. 732. ſqq. Cf. Potterum l. II. c. XX. p. 362.

Quapropter Tacitus genus vitæ ſolutum atque corruptiſſimum cum Bacchanalibus comparat, i) cum *apud Vitellium*, inquit, *omnia indispoſita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam diſciplinæ & caſtris propiora.* Denique ludi etiam edebantur varii, k) Muſicorum item atque poëtarum, Comicorum maxime atque Tragicorum, certamina, in quibus præmium victori decernebatur a judicibus ad id conſtitutis. l) Certabant vero inter ſe poëtæ in Theatro Bacchi. m) Ceterum confundi non debent n) Liberalia Athenienſium hactenus deſcripta cum Διονυσίοις τριετηρικοῖς Thebanorum. o) Nam quum

i) *Hiſtor.* l. II. c. 16. Cf. Livium *Hiſt.* l. XXXIX. c. 15.

k) Schol. Ariſtoph. ad *Acharn.* v. 377, 503.

l) Diog. Laert. in *Plat.* p. 220. Schol. Ariſtoph. ad *Equ.* v. 544. & ad *Acharn.* v. 397.

m) V. P. I. c. II. §. XV.

n) Confudit autem Iſ. Caſaubonus, Liberalia τὰ ἀστικὰ trieterica fuiſſe opinatus, *Animadv. in Athen.* l. VI, c. XV. p. 480. Confudit etiam Lamb. Barlæus, Caſaubonum, ut videtur, incaute ſecutus, in *Annotat.* ad *Timonem* Luciani p. 228.

o) Quorum Ovidius *Metam.* l. VI, v. 587. & Virgilius *Æn.* IV, v. 301. aliique meminere.

quum hæc nonniſi anno quovis tertio, in memoriam quidem ſuſceptæ a Baccho expeditionis Indicæ, cui triennium inſumtum fuiſſe perhibebatur, agerentur, Atticorum Liberalia, verna juxta ac autumnalia, annis celebrabantur ſingulis. p)

§. XIII.

Ἐλευσίνια, ſolemnia ſacratiſſima, quæ & τὰ μυστήρια dicebantur κατ᾽ ἐξοχὴν, q) nominata fuere ex *Eleuſine*, Atticæ oppido, Athenis trium circiter milliarium Germ. intervallo occaſum verſus diſtante, ubi illa ſemel intra quinquennium, in honorem quidem Cereris filiæque ejus Proſerpinæ, agitabantur. Inſtituta dicuntur vel a Cerere ipſa, vel ab Erechtheo rege, vel ab Eumolpo quodam, memoriæ conſecrare volente perpetuæ Cereris in Eleuſiniorum civitatem adventum. Dicebatur enim Dea hæc, quum filiam Proſerpinam facibus accenſis per orbem terrarum noctes *Eleuſinia.*

p) De quo teſtatur diſerte Schol. Ariſtoph. ad *Acharn.* v. 503.

q) Ariſtot. *Rhetor.* l. II. c. 24.

ctes dieſque diu quæſiviſſet, tandemque raptam illam Jovis adjumento a Plutone fuiſſe cognoviſſet, Diis irata cœlum reliquiſſe, mortalique aſſimilata mulieri Eleuſinem contendiſſe, ac primo quidem lapidem, Ἀγέλαστον de mœrore ipſius appellatum, non procul a Callichoro puteo, inſediſſe; inde vero ad Celeum, Eleuſiniorum tunc Regem, profecta, ad illius mulieres introducta eſſe, in quibus anus quædam, cui nomen Jambe, riſum illi excuſſerit. r) Diſtinguebantur vero Eleuſinia in *Majora* & *Minora*, s) quorum hæc Agris, loco Athenarum urbi propinquo, menſe quidem Antheſterione, in honorem Proſerpinæ, illa autem Eleuſine, menſe Boëdromione, in honorem agebantur Ce-

r) Apollod. *Biblioth.* l. I. c. V. §. 1.

s) Minoribus inſtituendis occaſionem dederat Hercules. Nam quum initiari is cuperet myſteriis Eleuſiniis, leges autem peregrinos initiari vetarent, neque tamen id denegare auderent Athenienſes viro de ipſis optime merito, & amico, inſtituerunt ejus in gratiam myſteria minora hisque initiarunt. V. Schol. Lycophr. in *Caſſandr.* v. 1328. & Schol. Ariſtoph. ad *Plut.* v. 846. & 1015.

Cereris. t) Agi vero ſpectarique non poterant niſi ab iis, qui rite eſſent initiati, illis nempe cærimoniis, quas Parte II, c. III, §. I. expoſuimus. Quapropter Athenienſes liberos ſuos adhuc pueros initiari curabant; ſaltem ante mortem ut initiarentur operam dabant ſinguli, quippe exiſtimantes, initiatos tum in hac vita, tum poſt mortem quoque longe feliciores beatioresque fore ceteris. u) Curam horum ſacrorum (quæ capitis pœna interdictum fuerat divulgare, x) & non initiatis manifeſtare) ſupremam ὁ Βασιλεὺς, *Rex* gerebat *ſacrorum*, locum in novem Archontum ordine ſecundum tenens, una cum quatuor Ἐπιμεληταῖς, ſive *Curatoribus myſteriorum.* y) Sacra autem in myſteriis majoribus ἱεροποιοὶ faciebant, numero

t) Steph. Byzant. voce Ἄγρα. Plut. in *Demetr.* p. 900. Schol. Ariſtoph. l. c.

u) Ariſtoph. in *Pace*, v. 374. & in *Ranis*, v. 457. ſqq. Diog. Laert. in *vita Diog. Cyn.* p. 388.

x) Sophocl. *Oed. Col.* v. 1105. Schol. Ariſtoph. ad *Aves* v. 1073.

y) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 90. *Etymol. M.* voce Ἐπιμελητής.

ro quidem decem. z) Celebrabantur Eleuſinia inde a die decimo quinto Boedromionis per dies novem, intra quos quenquam apprehendere, libellum ſupplicem offerre, mulieresque bigis Eleuſinem vehi nefas habebatur, gravique ſub pœna fuerat interdictum. a) Primus dies dicebatur Ἀγυρμὸς, quoniam eo cultores *congregabantur:* b) Secundus Ἅλαδε μύσται, c) quo ut *ad mare* ſe conferrent *myſtæ* jubebantur, ex conjectura Meurſii. Tertio die ſacrificia fiebant Cereri, θύα dicta, ex mullis (τρίγλαις) Aexonicis, qui ceteris præſtare credebantur, nec non e libis, quæ ex hordeo parata eſſent, nato in campo Rhario. d) Quarto die pompa ducebatur ſolennis. Vehebatur nempe curru, cui equi juncti

z) Pollux l. VIII. c. IX. ſegm. 107.
a) Demoſth. *Orat.* contra Midiam p. 409. Andocides *orat. de myſter.* p. 228. Plutarch. in *Lycurgo orat.* p. 842. Ælianus *Hiſt. var.* l. XIII. c. 24.
b) Heſych. hac voce.
c) Id. voce Ἁλαδέ μύσται. Polyænus *Strategem.* l. III. c. 11. Cf. ibi Maasvicii *notas.*
d) Vid. P. I. c. I. §. XI.

cti eſſent albi, e) calathus, rebus refertus myſticis, f) Cereri ſacris, e. c. ſeſamo, malo Punico, libo multis diſtincto umbilicis, micis aliquot ſalis. g) Sequebantur virgines κανηφόροι, vel, ut ab aliis vocantur, κιςοφόροι, *caniſtra* vel *ciſtas* geſtantes, in quibus ſpicæ Cereri, & flores Proſerpinæ ſacrati: caput quidem umbella tegentes, ut ſole ne urerentur. h) Quinto die cum tædis & lampadibus viri juxta ac feminæ diſcurrebant noctu, Cererem repræſentantes, ad lucem tædæ filiam ſuam quærentem, ac inter ſeſe, quis facem accenderet geſtaretque maximam, æmulantes. i) Sextus dies vocabatur Ἴακχος eò, quia Jacchum eo pro-

e) V. Callim. *Hymnum in Cer.* v. 121, & ad eum locum Spanhem. qui falſum eſſe oſtendit Meurſium, quando boum plauſtro vectum fuiſſe dixit calathum.

f) V. Annæ Fabri *annot.* ad hymni Callim. cit. v. 1.

g) Clem. Alex. in *Protrept.* p. 14.

h) Ariſtoph. in *Avibus* v. 1549. ſq. ejusque Schol. ad v. 1508.

i) Theophr. in *Char. eth.* c. IV. cf. ibi Caſaub.

ducebant, k) Jovis atque Cereris filium, qui Cereri, Proſerpinam quærenti, comes adfuiſſe dicebatur. Deportabant nempe ſtatuam Jacchi, myrto coronatam, ex templo ſuo, quod in Ceramico erat, per portam ſacram Eleuſinem usque, per eam viam, quæ Ἱερὰ Ὁδὸς, *ſacra* dicebatur. Deducebant ſignum magno numero myſtæ, ſive initiati, ipſi etiam myrto coronati, cum multo plauſu, cantu, qui ipſe quoque Ἴακχος vocabatur, l) æris tinnitu, & cum choreis. Ad Cephiſſum, qui viam interſecabat, ventum ubi eſſet, in ponte, quo inſtratum erat flumen, aliquantum requieſcebant, ſcommata jacientes varia in prætereuntes. Quæ hinc erat via, Eleuſinem pertinens, Μυστικὴ εἴσοδος, *Aditus* dicebatur *myſticus*; a cujus fine prope quum abeſſent, lavabant ſeſe ex ſcaturigine aliqua Proſerpinæ ſacra, priusquam Eleuſinem ipſam ingrederentur. In hac autem civitate quibus defuncti porro ſint cærimoniis, non eſt

k) Heſych. voce Ἴακχον.
l) Heſych. l. c.

eſt memoriæ proditum. Sacra in urbem Athenarum reducentes, in ſuburbio illo, quod ex *ficu* quadam *ſacra* Ἱερὰ Συκῆ nuncupabatur, interquieſcebant. Die ſeptimo certamen edebatur, *Eleuſinια* dictum, in honorem Cereris ac Proſerpinæ, ex quo qui victor diſceſſerat, pro præmio certam menſuram hordei (hoc enim Eleuſine primum inventum credebatur) referebat. m) Dies octavus Ἐπιδαύρια nominabatur, quoniam eo initiatus fuerat Aeſculapius, Epidauro Athenas, initiationis cauſſa, myſteriis jam peractis veniens. Ab illo tempore initiari eodem die conſueverant, qui myſteriis hiſce nondum eſſent imbuti. n) Nono denique diei Πλημοχόη nomen erat, ex vaſe fictili ejus nominis, de quo hæc habet Pollux: o) Ἐστι κεραμεοῦν ἀγγεῖον, οὐκ ἔχον ὀξὺν τὸν πυθμένα, ἀλλὰ ἑ-

Q q 2 δραῖον

m) Schol. Pindari ad *Olympion.* Od. IX. f. 74. col. 2. Phurnutus de *nat. Dc.* c. XXVIII. p. 209.

n) Philoſtr. in *vita Apollonii*, l. IV, c. XVII. & XVIII. p. 155. Pauſan. in *Corinth.* c. XXVI, p. 171.

o) *Onomaſt.* l. X. c. XX. ſegm. 74.

δραῖόν τε καὶ στάσιμον. *Vas eſt fictile, non acutum fundum habens, ſed latum & ſtabilem.* Hoc nimirum vaſe ἐχρῶντο τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων, καὶ ταύτην ἀπ' αὐτοῦ ἐκάλουν Πλημοχόην, *utebantur*, uti ſtatim addit Pollux, *ultimo Myſteriorum* (Eleuſiniorum) *die, eumque hinc* Πλημοχόην *vocitabant.* Quomodo vero uſi ſint vaſe illo, ex Athenæo licet diſcere, p) qui Ἐν Ἐλευσῖνι, inquit, τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι Πλημοχόας, δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσι τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. *Eleuſine ultimo Myſteriorum die, quem Plemochoas nominant, impletas vino Plemochoas duas ſtatuentes, ad orientem unam, alteram ad occaſum, illas myſticis & arcanis precibus recitatis evertunt.* Erat autem everſio iſta quædam quaſi libatio, in iis numeranda, quas σπονδὰς μυστηριώτιδας, *libationes myſticas* appellat Pollux. q) Ceterum non a ſolis Athenienſ-

p) *Dipnoſoph.* l. XI. p. 496.
q) *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 36.

nienſibus, ſed a Celeenſibus quoque, Phliaſiis, Pheneatis, Lacedæmoniis, Parrhaſiis, Cretenſibus, imo a Romanis quoque celebrata fuerunt Eleuſinia, obſervante Jo. Meurſio, qui ſingula ad ſolennitatem hanc ſpectantia libro ſingulari r) uberius expoſuit.

§. XIV.

Θεσμοφόρια inſtituta fuere a Triptolemo, Celei, Eleuſiniorum regis, apud quem Ceres diverterat, filio natu maximo, in honorem Cereris *Legiferæ*, frugumque inventricis. s) Hoc ſcilicet pacto gratiam referre voluit Triptolemus Cereri, a qua, præter leges nonnullas, artem ferendi terendique fruges, eisdemque ad victum utendi, fuerat edoctus. Celebrabant feſtum hoc civitates Græciæ complures, e. c. Lacedæmonii, Drymæenſes in Phocide, *Thesmophoria.*

 The-

r) Qui inſcribitur *Eleuſinia*, editusque primum eſt Lugd. Bat. 1619.

s) Apollod. *Biblioth.* l. I. c. V. §. 2. Phurnutus de *nat. Deorum*, c. XXVIII, p. 209. & p. 212. Hyginus *Fab.* CXLVII, CCLXXIV, & CCLXXVII. Lutatius ad *Theb.* Stat. l. II.

Thebani, Mileſii, Megarenſes; ſed omnium ſolenniſſime Athenienſes, annis quidem ſingulis. t) Durabat Athenis per dies quinque, u) inde a die decimo quarto menſis Pyanepſionis. Agebantur autem ejus ſolennia Eleuſiniorum in civitate, nec niſi a feminis; quarum cœtui ſi vir aliquis ſeſe immiſcere auſus eſſet, pœna afficiebatur gravi a Prytanibus. x) Legebantur vero ex populis Atticæ (δήμοις) ſingulis binæ, ingenuæ quidem legitimoque matrimonio natæ: defungebanturque electione feminæ populares, ſive ex eodem δήμῳ oriundæ. y) Sumtus in ſacra hæc faciendos mariti feminarum ad illa electarum contribuere cogebantur, ſi quidem tria illæ talenta in dotem attuliſſent. z) Oportebat feminas illas

t) Schol. Theocriti ad *Idyll.* IV, v. 25.
u) Colligitur id ex Ariſtoph. *Theſmophor.* v. 86. ubi dies hujus feſti tertius *μέση ἡμέρα, medius* vocatur. Cf. ad eum locum Lud. Küſteri *notas*, & Biſeti ſchol. ad v. 382.
x) V. Ariſtoph. comœd. cit. v. 659. ſqq.
y) Iſæus *Orat.* VII. quæ eſt de *Cironis hereditate* p. 511.
z) Id. *Orat.* II. quæ eſt de *Pyrrhi heredit.* in fine.

illas caſtitatem ſervare ſeveram non ſolum ipſis ſolennitatis diebus, ſed aliquot etiam diebus ante eam, quippe præparationi ad ſacra illa deſtinatis. a) Vt igitur ſervare eo facilius poſſent, herbas ſibi in lecto ſubſternebant varias, quæ Veneris appetitum credebantur reſtinguere, e. c. cneorum, viticem, (ἄγνον) cnyzam; imo allio quoque, ejuſdem rei cauſſa, veſcebantur. b) Præerat vero feminis illis ſacerdos aliquis, ad ſacra moderanda, Στεφανηφόρος dictus, quod *coronam geſtans* ſacra obiret. c) Abſolvebantur autem Theſmophoria cærimoniis fere hiſce: Die Pyanepſionis undecimo, adeoque triduo ante feſti initium, libros legum, capiti impoſitos, Eleuſinem deferebant feminæ ex Athenarum urbe: d) ex quo dies ille appellatus fuit Ἄνοδος, *Aſcenſus.* e) Porro ſacrificium facie-

 bant

a) Clem. Alexandr. *Strom.* l. IV. p. 522. Ovid. *Metamorph.* l. X. v. 431.
b) Meurſ. in *Gr. fer.* l. III. p. 158.
c) Mentionem hujus inſcriptio facit vetus apud Meurſ. p. 156.
d) Schol. Theocr. l. c.
e) Heſych. voce Ἄνοδος.

bant arcanum, Δίωγμα, ac poſtea Ἀποδίωγμα vocitatum, in memoriam profligatorum quondam circa illud tempus & Chalcidem usque pulſorum reipublicæ hoſtium: id quod precum votorumque, a feminis tunc factorum, tributum fuerat efficaciæ. f) Præterea Cererem, Proſerpinam, Plutonem, Calligeniam (quam aliqui Cereris nutricem fuiſſe perhibent, alii ſacerdotem, ancillam vero g) alii) almam Tellurem, Mercurium Gratiasque precibus in fano Eleuſinio invocabant ſolennibus. h) Die Pyanepſionis decimo ſexto, qui tertius erat, adeoque medius ipſius feſti, Νηστείας nomine appellari ſolitus, jejunabant, humi deſidentes in templo. i) Hoc jejunium quam fuerit rigidum, ex eo poteſt intelligi, quod inediam Ariſtophanes gravem cum Thes-

f) Heſych. voce δίωγμα, & Suidas voc. Χαλκιδικὸν δίωγμα.

g) Heſych. voce Καλλιγένεια.

h) Ariſtoph. in *Theſmophor.* v. 304. ſqq.

i) Plut. in *Demoſth.* p. 860. ubi dies ille ἡ σκυθρωποτάτη τῶν Θεσμοφορίων ἡμέρα, *Theſmophoriorum* nuncupatur *triſtiſſimus.* Id. in libro de *Iſide & Oſir.* p. 378.

Theſmophoriorum comparat jejunio. Sic enim apud illum Prometheus: k)

Ἀλλ' ὥσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν
Ἄνευ θυηλῶν.

Sed ſicuti in Theſmophoriis jejunium agimus,
Absque ſacrificiis.

In ſuſcepti illius jejunii rationem Phurnutus inquirit, cujus en tibi ſententiam: l) Νηστεύουσι δὲ εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος, ἢ γεραίροντες αὐτὴν ἰδίῳ τρόπῳ τινὶ ἀπ' αὐτῆς, ἢ διὰ τὸ πρὸς μίαν ἡμέραν ἀπέχεσθαι τῶν δεδομένων αὐτοῖς ὑπ' αὐτῆς, ἢ κατ' εὐλάβειαν ἐνδείας παρὰ τῆς Θεοῦ ποτὲ γενομένης. *Jejunium ſibi imperant in honorem Cereris, aut quod eam jejuniis honorent, ritu quodam, quem ipſa dictarit: aut quod velint abſtinere diurno temporis ſpatio a muneribus, quæ a Cerere acceperint, aut caveant, ſive evitent annonæ caritatem, quam quondam, immittente Cerere, graviter experti ſunt.* Die feſti extremo ſacrificium fiebat Ζημία dictum, ad aver-

k) In *Avibus* v. 1518.
l) De *nat. De.* c. XXVIII, p. 210. ſq.

averruncandam Deæ iram, ſi quid forte peccatum fuiſſet in cærimoniis. m) In quibus licet ſummam oſtendere feminas oporteret gravitatem, jocandi tamen conviciandique illis dabatur licentia, ut Jamben imitarentur, quæ vario ſcommatum genere Cererem laceſſiverat, eaque ratione riſum illi excuſſerat. n) Qua in re modum fortaſſis nonnullæ exceſſerunt. Denique ut gaudii, de conceſſis divino beneficio frugibus legibusque ab omnibus teſtificandi, nec miſeri illi, qui vinculis detinerentur, expertes eſſent; ſolebant Theſmophoriorum feſto e carcere dimitti captivi, ſaltem illi, qui ſacrorum adhuc eſſe poſſent participes, nec admiſſo aliquo crimine ita fuiſſent inquinati, ut ſacris excludi deberent omnibus. o)

§. XV.

Panathenæa. Παναθήναια, feſtum in iis, quæ Mi-

m) Heſych. voce ζημία.
n) Apollod. *Biblioth.* l. I. c. V. §. I.
o) Marcellinus ad *Hermog.* & Sopater de *diviſ. quæſt.* apud Meurſ. l. c. p. 164. Cf. *Prolegom.* §. VI.

Minervæ in honorem apud Atticos celebrabantur, maximum, p) inſtituta primum fuere ab Erichthonio, Rege Athenienſium quarto: q) inſtaurata vero poſtea, & ſolenniora reddita a Theſeo, Rege decimo, poſtquam ille habitatores Atticæ e vicis in unam Athenarum urbem conduxiſſet. Idem Rex ſolennitati huic, quod ab incolis Atticæ regionis *omnibus* celebranda poſthac eſſet, Παναθηναίων nomen tribuit, quum Ἀθήναια vocaretur antea. r) Diſtinguebantur Panathenæa in *minora* & *majora*: s) quorum hæc anno quovis quinto, ac initio quidem per diem tantum unum, t) videl. die Hecatombæonis XXIII, poſtea per plures; illa vero annis agebantur ſingulis, vel, ut alii volunt, intra triennium ſemel, die Thargelionis vigeſimo.

p) Pollux *Onomaſt.* l. I. c. I. ſegm. 37. Schol. Ariſtoph. ad *Nubes*, v. 385.
q) Harpocrat. voce Παναθήναια.
r) Pauſan. in *Arcad.* c. II. p. 600.
s) Harpocrat. voce Παναθήναια.
t) Thucyd. l. VI. p. 448. Schol. Eurip. ad *Hec.* v 469. Cf. Meurſ. *Panathen.* c. V. & VI.

ſimo. Minoribus certamen edebatur triplex, equeſtre unum, alterum gymnicum, tertium muſicum. Moderabantur hæc certamina athlothetæ X, lecti ex ſingulis tribubus ſinguli. u) Equeſtre, quod ante Platonem pedeſtre fuit, lampadarium erat. Opera ſcilicet danda erat certantibus, ut facem, quam manibus tenebant, ardentem ſervarent inter currendum, & ad locum deſtinatum perferrent non exſtinctam. x) Gymnicum, idque non unius generis, roboris oſtendendi cauſſa ſuſceptum, in Stadio peragebatur, quod ex ſolennitate hac nomen acceperat *Panathenaici.* y) Muſicum inſtitutum fuerat a Pericle, habebaturque in Odeo, z) inter tibicines, cithariſtas cantoresque, laudes decantantes Ariſtogitonis, Harmodii atque Thraſybuli, qui rempubl. ab oppreſſione Tyrannorum liberaverant. a) Concertabant

u) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 93.
x) Meurſ. l. c. c. VIII. & in *Græc. fer.* voce λαμπάς.
y) Vid. P. I. c. II. §. XX. p. 73.
z) Vid. P. I. c. II. §. XV.
a) Philoſtr. in *vita Apollon.* l. VII, c. 4.

bant etiam inter ſe poëtæ quatuor dramatibus (quæ τετραλογία vocabantur) ſimul, quorum quartum Satyricum eſſet. b) Porro chorus quoque exhibebatur circularis, & ſaltatio armata, (Τριτογένεια huic nomen erat, quod in honorem fieret Minervæ) quam juvenes inſtituerent adhuc impuberes, iique nudi, πυῤῥιχισαὶ dicti. c) Committebatur etiam pugna navalis ad promontorium Sunium. d) Victoriam e certaminibus qui retuliſſent, epulum præbebant ſuis ſodalibus, e) & pro præmio coronam accipiebant oleagineam, f) urceum item olei ex oleis illis, quæ juxta Academiam erant, & peculiari nomine Μορίαι nuncupabantur. g) Denique ſacrificium quoque fiebat ſolenniſſimum, ad quod civitates Atticæ ſingulæ bovem mit-

b) Diog. Laert. in *Plat.* p. 220.
c) Lyſias in *Apologia* δωροδοκίας, ſive *orat. XX.* p. 342. ſq. Ariſtoph. in *Nub.* v. 983. ſqq. atque ibi Schol.
d) Lyſias l. c. p. 343.
e) Athen. *Dipnoſoph.* l. IV. p. 168.
f) Id. l. V. p. 187. Suid. voce Παναθήναια.
g) Lucianus de *Gymnaſ.* T. Opp. II. p. 273.

mittebant immolandum. Quo ex ſacrificio, poſtquam Diis ſuæ oblatæ fuiſſent partes, epulum populo exhibebatur publicum, h) in quo pocula compotationi inſerviebant inuſitatæ magnitudinis. i) Eadem, quæ hactenus recenſuimus, ſolennia in Panathenæis etiam majoribus fuere uſitata: adjungi tamen iis ſueverunt nonnulla etiam alia. Ac in his cumprimis memorabilis pepli deductio. Veſtis erat candida, manicis carens, clavis aureis interſtincta, k) texta a virginibus aliquot, figuriſque exornata variis, Minervæ in bello Giganteo facinora præclara, Jovis item & virorum quorundam fortium imagines repræſentantibus. l) Hic igitur peplus, tanquam velum aliquod, operi appendebatur in formam navis conſtructo, quod *navis* vocitabatur *Panathenaica*. Deducebatur navis iſta, ope machinarum ſubterranearum,

h) Ariſtoph. in *Nub.* v. 385. ejusque Schol.
i) Athen. *Dipnoſoph.* l. XI. p. 495.
k) Lutatius ad *Theb.* Statii l. X.
l) Eurip. in *Hecuba* v. 469. ſqq. ejusdemque Schol.

rum, e Ceramico ſuburbano ad templum Cereris Eleuſiniæ, idque circumvecta ad Pelasgicum, hinc ad Apollinis Pythii templum, atque inde tandem ad locum, ubi ſubſiſtendum ei erat. m) Tum peplus, in Arcem apportatus, Minervæ ſimulacro inſternebatur. Sequebatur navim peplumque turba hominum ingens, omnis ætatis, ſexus atque ordinis. Conſpiciebantur in his ſenes nonnulli, Θαλλοφόροι ex eo nominati, quod *ramos geſtarent* oleæ: n) viri item ætate florentes cum armis, nominatim cum clypeo & haſta. o) Sequebantur hos inquilini cum ligone, σκαφηφόροι, & uxores eorum cum hydria, ὑδριαφόροι appellatæ. p) Poſt viros hoſce feminasque ephebi incedebant chlamydati coronatique, hymnum Deæ canentes. q) Sequebantur nobiles quædam κανηφόροι, *caniſtra geſtantes*, velamentis tecta, in quibus

m) Philoſtr. de *vitis ſophiſt.* l. II. p. 550.
n) Heſych. voce θαλλοφόροι.
o) Thucyd. l. VI. p. 448. ſq.
p) Heſych. voce σκαφηφόροι. Æl. *Hiſt. var.* l. VI. c. I. Pollux *Onomaſt.* l. III. c. IV. ſect. 55.
q) Heliod. *hiſt. Æth.* l. I.

bus res ad ſacra facienda neceſſariæ aſſervabantur. r) Pediſſequæ his erant inquilinorum filiæ virgines, umbellam ferentes ſellamque, σκιαδηφόροι & διφροφόροι hinc nuncupatæ. s) Curam hujus pompæ inſtruendæ t) οἱ Νομοφύλακες ſuſtinebant, faſcia alba redimiti. u) Præter pompam hanc, Rhapſodi etiam carmina recitabant Homeri, ex inſtituto Hipparchi. x) Porro corona aurea donari moris erat eos, quos inſigni honore, propter merita ſua, affectos vellet populus, idque publice per Præconem proclamari. y) Dignum etiam, quod obſervetur, illud eſt, quod, dum res ſacra in ſolennitate hacce fieret, Præco conceptis verbis bona precaretur Athenienſibus & Platæenſibus, qui auxilio

r) Heſych. & Harpocrat. voc. Κανηφόροι.
s) Ariſtoph. in *Avibus* v.1550. ſqq. ejusque Schol. Harpocrat. voce σκαφηφόροι. Æl. *Hiſt. var.* l. VI. c. 1. Heſych. voce διφροφόροι.
t) Inſtruebatur autem, ut pompæ reliquæ, in Pompeo, de quo vid. P. I. c. II. §. XI.
u) Pollux *Onomaſt.* l. VIII. c. IX. ſegm. 94.
x) Lycurgus *orat. adv. Leocr.* p. 165. Æl. *Hiſt. var.* l. VIII, c. 2.
y) Demoſth. de *corona* p. 329.

xilio Athenienſibus adverſus Perſas venerant, & in pugna Marathonia cornu tenuerant ſiniſtrum. z) Denique, uti Theſmophoriis, ita Panathenæis etiam majoribus dimitti e vinculis ſolebant captivi, ſi vera tradit Vlpianus. a)

CAPVT III.

DE EXERCITIIS CORPORIS APVD GRÆCOS VSITATIS.

§. I.

PRæter feſta hactenus recenſita, plurimaque ejus generis alia, ſolennitates ſacræ etiam aliæ ſtatis temporibus agebantur, nominatim *Olympica, Pythia, Nemea* atque *Iſthmica.* Quæ quum totæ fere eſſent agoniſticæ, non videtur committendum, ut exponere de illis inſtituamus prius, quam de illis corporis exercitiis certaminibusque, quorum documenta inſignia eisdem in ſolennitatibus, quæ *ludi* vocari ſolent *ſacri*, edere con- *Exercitia corporis, ſive certamina quot fuerint, & cur inſtituta.*

z) Herodot. l. VI. c. III.
a) *Enarrat.* orat. Demoſth. *contra Timocr.* p. m. 237.

ſueverunt Græci, pauca quædam præceperimus. Numerantur autem vulgo quinque. (1) Δρόμος, *Curſus*, (2) Ἅλμα, *Saltus*, (3) Δίσκος, *Diſci jactus*. (4) Ἀκόντισμα, *Jaculatio*. (5) Πάλη, *Lucta*, vocarique ſolent in univerſum Πένταθλον, *Quinquertium*. Indicavit ea Simonides hoc diſticho: b)

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Iſthmia & Pythia Diophon, Philonis filius, vicit,
Saltu, pedum celeritate, (curſu) *diſco, jaculo, lucta.*

Addi tamen his poteſt ſexto ἡ πυγμή, *pugilatus*, qui pariter in certaminibus ſuum obtinuit locum. Inſtituta au-

b) *Antholog. Epigr.* l. I. c. I. epigr. ult. Cf. l. II. c. I. epigr. 7. atque ibi Scholia, in quibus hi leguntur verſus:

Ἅλμα ποδὸς, δίσκου τε βολὴ, καὶ ἄκοντος ἐρωὴ,
Καὶ δρόμος, ἠδὲ πάλη· μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Saltus pedis, diſci jactus, & jaculi impetus,
Et curſus, & lucta: unus vero omnibus fuit finis.

autem fuere exercitia hæc eo potiſſimum fine, ut corpus redderetur agile, robuſtum, & ad belli uſus quam maxime idoneum. Militiæ enim omni fere tempore ſtudioſiſſimos ſeſe præſtiterunt Græci veteres.

§. II.

Curſui eo magis dabant operam, quo majori laudi ducebatur pedibus velocem eſſe. Militis certe ſumma erat gloria, ſi præter fortitudinem pedum etiam valeret pernicitate, utpote quæ non poſſet non valde ei eſſe utilis tum in impetu, tum in receptu faciendo. Homerus: c) *Curſus.*

Ὀυ μὲν γὰρ, μεῖζον κλέος ἀνέρος ὄφρά κεν ἦσιν,
Ἢ ὅτι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

Neque enim major gloria viri, quoad fuerit,
Quam cum pedibus ſtrenuus eſt, & manibus ſuis.

Exercebantur vero curſu in *Stadio.*

c) *Odyſſ.* l VIII, v. 147. Ipſis etiam ſacris in litteris pedum velocitas in dotibus numeratur eximiis, e. c. 2. Sam. I, 19. II, 18. locisque aliis.

Sic curriculum vocabatur CCC cubitos, ſive CXXV paſſus geometricos longum, nec admodum latum: quocirca & ἀυλὸς appellatum fuit, voce non *tibiam* ſolum *fiſtulamque* ſignificante, ſed etiam quicquid in rectitudinem productius anguſtumque eſt. Hinc Δίαυλος *ſtadium* eſt *geminum*, puta ſpatium, quod currendo quis & recurrendo, ſive itu ac reditu, eodem quidem in ſtadio emetitur. d) Curriculum aliud Δόλιχος erat, quod ſtadia complectebatur ſeptem, e) vel ſecundum Suidam f) viginti quatuor, niſi ſit mendum in numero κδ'. Diſtingui hinc ſolebant curſores in ϛαδιοδρόμȢς, διαυλοδρόμȢς, & δολιχοδρόμȢς. g) Armati ſi currerent, quod διαυλοδρόμοις maxime uſitatum, clypeum geſtantes, & in capite criſtam, ὁπλιτοδρόμοι dicebantur. h) Locus, a quo currendi fiebat initium, his-

d) Vid. Spanhemii *Obſerv.* ad Callim. *hymnum in Pallad.* v. 23.
e) Schol. Ariſtoph. ad *Aves*, v. 293.
f) In Lexico, hac voce.
g) Pollux *Onomaſt.* l. III. c. XXX. ſegm. 146.
h) Vid. Spanhem. l. c.

hiſce ſignabatur nominibus: Ἄφεσις, ὕσπληγξ, γραμμὴ, βαλβὶς. i) Linea erat in ipſo ſolo modice cavata, cui repagulum ſive regula, ad ejus cavitatis modulum attemperate facta, ſic imminebat, ut decidens lineæ cavum impleret, & exæquaret, ſicque οἱ σταδιεῖς, ſive excurſuri in ſtadium, limen haberent complanatum. k) Hinc igitur omni virium contentione currebant οἱ σύνδρομοι, ad terminum usque ſive metam, τέλος, τέρμα, βατῆρα. l) Currebant vero olim quidem zona præcincti, m) poſtea vero, ut expeditius currerent, omnino nudi. n) Præventi nondum abſoluto curſu qui eſſent ab aliis, ſumma nitebantur ope, ut eos aſſequerentur: quod illi διώκειν dicebant. o) Metam omnium primus qui attigiſſet, huic præmium de-

i) Pollux *Onomaſt.* l. III. c. XXX, ſegm. 146.
k) Docet ex Solini *Polyh. epigr.* quodam Gr. & Papin. Statio Jo. Fried. Guntherus in diſſert. de *curſoribus vet. gymn.*
l) Pollux l. c.
m) Pauſan. in *Att.* c. XLIV. p. 106.
n) Vid. P. Fabri *Agoniſt.* l. II. c. 2. p. 117. Cf. Voſſium de *quat. art. popul.* c. III, §. 43.
o) Id. l. III. c. XIX. p. 305. Cf. 2. Cor. IV, 9.

decernebatur (ἆθλον, βραβεῖον), a Βραβευταῖς, qui & Αγωνοθέται dicebantur & Αθλοθέται. p) Præmium vero illud vel corona erat ex oleaſtro, aut pinu, aut apio aut lauro, vel ex malis etiam conſtabat ſacris; q) cum ſumma gloria & felicitatis ſingularis exiſtimatione. Quo præmio potiri, λαμβάνειν Paullo Apoſtolo eſt τὸ βραβεῖον, & καταλαμβάνειν. r)

§. III.

Curſus equeſtris & curulis. Certabatur vero curſu etiam equeſtri & curuli. Ad equeſtrem vel equis utebantur, quos κέλητας vocabant, a κέλλειν, q. e. τρέχειν, i. e. *ſellarios, deſultorios, doſſuarios*, qui currui nulli junguntur, s) vel equabus, (κάλπαις), ex quibus, cum a meta prope abesſent, deſilientes ſeſſores, prehenſo ſuæ quilibet equæ freno, cum equabus decurrebant. t) Curule ad certamen vel ἅρμα adhibebant τέθριππον, *cur-*

p) Id. l. I. c. XVIII. p. 64. & c. XXIII, p. 80.
q) *Anthol. epigr. Gr.* l. I. c. I. epigr. I.
r) 1. Cor. IX, 24.
s) V. Eraſmi Schmidii *annotat.* ad inſcript. Odæ I. *Olymp.* Pindari.
t) Pauſan. *El. priori* c. IX. p. 396.

currum, cui *equi* juncti eſſent *quatuor*, quorum curſus duodecies continue fiebant, unde Pindarus u) τεθρίππους δυωδεκαδρόμους, *quadrigas duodecim curſus conficientes*, & curriculum ipſum δωδεκάγναμπτον τέρμα δρόμου ἵππων, *duodecies inflexum terminum curriculi equorum* vocat; x) vel ἀπήνην, ſive *rhedam mularem*, ad quam bini juncti eſſent muli, y) interdum & equi. z) Meta, circa quam currum, rhedam, equos mulosque flectebant, eaque e ligno facta querno, cubiti altitudine, appoſitis utrinque binis lapidibus, qui ſtudioſe cavendi erant aurigis, νύσσα dicebatur & καμπτήρ. a)

§. IV.

In *ſaltu* (ἅλματι) corpus in ſublime attollebant, & ad terminum usque certum promovere conabantur. Quæ exercitatio utilitatis plurimum afferre *Saltus.*

u) In *Olympion.* Oda II, antiſtr. 3. v. 5. & 6. Cf. Er. Schmid. ad Odæ hujus inſcript.
x) Ibid. Oda III. ſtr. 3, v. 5.
y) Pauſan. l. c.
z) Schmid. ad inſcript. Odæ V. *Olympion.* Pindari.
a) Pollux *Onomaſt.* l. III, c. XXX, p. 147.

re poterat militibus, quibus ſæpenumero vel foſſa tranſilienda, vel impediens aliqua altitudo ſuperanda. b) Locus, unde ſaltus faciendus, βατὴρ; ſpatium ſaltu ſuperandum, κανὼν; terminus vero ſaltu attingendus, σκάμμα dicebatur, ſive τὰ ἐσκαμμένα, *terra effoſſa*, agger. Hunc qui attigiſſet, laudem capiebat magnam: majorem vero, qui ſuperaſſet. Natum hinc eſt adagium: πηδᾶν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, in eos factum, qui *limites tranſilirent*, vel modum excederent. Aliquando, vel ut accuratius ſe librarent, vel oſtentationis cauſſa, ſaltum faciebant, pondera (ἁλτῆρας) figuræ ovalis vel manibus tenentes, vel humero aut capiti impoſita, imo pedibus etiam affixa, geſtantes. c)

§. V.

Diſci jactus. Ad δισκοβολίαν δίσκοις utebantur, h.e. laminis rotundis, ſive orbibus trium vel quatur digitorum craſſitudine, longioribus paulo plus pede, alias lapi-

pi-

b) Vid. Vegetium l. I. de *re militari* c. IX.
c) V. Pollux *Onomaſt.* l. III. c. XXX. ſegm. 151. Cf. Hieron. Mercurial. de *arte gymnaſt.* c. XI.

pideis, alias ferreis, alias æneis, lentis figuram referentibus. Talem jam orbem, pondere admodum gravem, ope amenti ſive lori, per foramen, quod in medio erat, transmiſſi, manu ad pectus adducta, atque extrorſum & deorſum reducta, rotationis inſtar in aerem jaculabantur, annitentes, ut vel quam longiſſime, vel ad metam præfixam proxime illum promoverent. d)

ſ. VI.

Sagittatio & jaculatio.

Diſcorum jactui affinis erat ἔλψις, quo quidem nomine *projectio* generatim omnis ſive lapidis, ſive jaculi, ſive alius ponderis, ſpeciatim vero τοξικὴ deſignatur & ἀκόντισμα, *ſagittationem* dicere poſſis & *jaculationem.* Sagittatio tribus præcipue modis ſolebat fieri, vel ſolis amentis, vel arcubus, vel baliſtis, quibus ſagittas ſubtiles exilesque inſigentes, ac primo tendentes, deinde remittentes illas ejaculabantur. Jaculatio vero non modo ſine amento, arcu baliſta-

d) V. Hieron. Mercurialem de *arte gymnaſt.* l. II. c. 12. & Fabri *Agoniſtic.* l. II. c. 1. & 4.

ve peragebatur; ſed grandiores etiam ſagittas craſſioresque virgas, & plerumque graves palos requirebat. Quinimo ſagittarii ſolis ſeſe brachiis movebant, ἀκοντίζοντες autem, ſive *jaculatores* in jactu brachia contorquebant extendebantque, & præterea dorſum, nec non femora, pedibus immotis, flectebant agitabantque. Habebant vero, qui ſic exercebantur terminos & ſcopos ſibi propoſitos, quos modo præterire, modo ferire ac attingere victoriæ gratia quisque conabatur. e) Hinc Horatius de quodam juvene: f)

Sæpe diſco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

§. VII.

Lucta. *Lucta* (πάλη), definiente Mercuriali, g) exercitatio fuit, in loco gymnaſii peculiari, nempe palæſtra ſive porticu tecta, quæ *xyſtus* vocabatur, fieri ſolita, in qua luctatores bini nudi

e) Vid. Mercurialem l. II, c. 13.
f) *Od.* l. I. Oda VIII. v. 11.
g) Lib. II. c. 8.

di, uncti oleo & pulvere adſperſi, ſeſe brachiis complicantes, invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebant, illud præcipue quærentes, ut pedes primo comprehenderent. Arte olim caruit lucta, ſolaque corporis magnitudine & robore certatum fuit. Theſeus vero artificioſam effecit, & in diſciplinæ formam redegit, teſte Pauſania. h) Victor habebatur ὁ τριάξας, ſeu ἀποτριάξας, h. e. qui adverſarium *ter proſtraviſſet*, vel ut δάκτυλον ἀνατεινάμενος, *digito ſublato* victum ſe fateretur, coegiſſet. Duplex vero lucta erat, ὀρθία πάλη, quæ & ὀρθοπάλη, qua ſtantes luctabantur, & ἀνακλινοπάλη, qua humi decumbentes, & ſeſe volutantes concertabant, premendo ſe invicem digitis extremis, mordendo, ſcalpendo omnibusque modis lædendo.

§. VIII.

In *pugilatu* (πυγμῇ) nudi manibus decertabant in pugnos conjunctis, primum quidem nudis, poſtea vero cæ- *Pugilatus.*

h) In *Attic.* c. XXXIX. p. 94.

cæſtuum opere munitis. Dicebantur vero cæſtus lora bubula, quibus hic illic globuli inſerti lapidei, ferrei, vel plumbei. Hæc lora manibus circumligabant pugiles, ut ferirent gravius, interdum & brachiis, ad cubitum usque, vel & ad humeros. Jam cæſtibus iſtis inſtructi pugiles ſic congrediebantur, ut ſeſe invicem percutere ſtuderent, modo caput, modo dorſum, modo brachia petentes, nec unquam ſeſe mutuo complicantes. Operam cumprimis dabant, ut ictum adverſarii vitarent, atque ei contra plagas faciem fœdantes, ὑπώπια dictas, infligerent. Superabat in pugna qui adverſarium pugnorum ictibus vel in terram proſternebat, vel gravius & damnoſius feriebat, eumque, ut victum ſe vel voce, vel manu, vel geſtu quodam alio confiteretur, adigebat. Ceterum pugilatores, ut gravius percutere valerent, & plagas ipſis illatas minus ſentirent, operam dabant enixam pinguedini comparandæ. i)

§. IX.

i) V. Terent. in *Eunucho*, Act. II. Scen. III. v. 58. Cf. Mercurialem l. II. c. 9.

§. IX.

Ex lucta & pugilatu, idem inquit Mercurialis, k) tertium quoddam exercitationis genus componebatur, quod παγκράτιον vulgo appellabant. Hoc uti qui vellet, ei non modo leges luctæ, ſed etiam pugilatus vincendi gratia licebat adhibere. l) Poterat ſcilicet pugnis ferire adverſarium, pugilum; proſternere item, comprimere, continere, mordere, genubus & calcibus percutere, luctatorum more. Hinc qui, dum vel pugnis vel lucta certarent, inferiores ſe futuros ſentiebant, procidere ſolebant humi, artemque atque vires volutando ſeſe experiri. Dici etiam hoc genus ſolebat παμμάχιον, & qui illo uterentur πάμμαχοι. *Pancratium.*

CAPUT IV.

DE LUDIS OLYMPICIS.

§. I.

LUdorum publicorum (quos, quod omnis generis edi in illis ſolebant *Ludi publici quibus de*

k) L. II. c. 9. Cf. de certamin. in univerſum Luc. de *gymnaſ.*

l) Vid. Nicephori *Scholia* in *Syneſ.* de *inſomniis* ſub fin. p. 428. edit. Pariſ. 1633.

cauſſis inſtituti fuerint, eorumque præcipui.

bant certamina, ἀγῶνας vocabant Græci) ſolennitas quadruplici potiſſimum fine fuit inſtituta. 1) Vt honos haberetur Diis, aut Heroibus. 2) Vt populo jucundior redderetur religio, quippe ſpectaculorum amantiſſimo. 3) Vt amicitia firmaretur inter nationes Græciæ varias, ad ludos illos undique confluentes. 4) Vt occaſio eſſet iis, qui præclaras animi corporisque dotes multo ſtudio comparaſſent, proferendi illas in lucem, præmiumque capiendi, atque eo ipſo ad æmulationem accenderentur alii. Solenniores autem in illis fuere quatuor, ἱεροὶ dicti, quorum ſingulis ex loco, ubi celebrarentur, data fuere nomina, puta *Olympici*, *Pythii*, *Nemei* atque *Iſthmici*. m) Archias poeta his complexus eſt verſibus:

Τέσσαρές ἐισιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροὶ,
Ὁι δύο μὲν θνητῶν, ὁι δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,

Ἆθλα

m) *Anthol. epigrammat. Græc.* l. I. c. I. epigr. I.

ʼΑθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πί-
τυς.

Quatuor ſunt certamina in Græcia,
quatuor ſacra:
Duo quidem mortalium, duo vero
immortalium:
Jovis, Apollinis, Palæmonis, Ar-
chemori:
Præmia vero illorum olea, poma,
apium, pinus.

§. II.

Ludi Olympici ubinam & quonam tempore acti. Eorum primus auctor & inſtaurator.

Olympici ludi nomen habuerunt ex Olympia, Elidis, Peloponneſi regionis, oppido, templo atque cultu Jovis Olympii claro, juxta quod ad Alpheum fluvium, anno quovis quarto exacto, n) ac menſe quidem anni quinti primo, circa plenilunium, inde a die undecimo ad XV usque Hecatombæonis, agebantur. o) Quis

n) Ex quo factum eſt, ut quaslibet quadriennes periodos *Olympiadas* vocarint Græci: quanquam poetæ interdum, pro ſua licentia, olympiadas, quod in anni quinti initium ludi inciderent, quinquennes faciunt.

o) Suid. vocibus ὀλυμπία & ὀλυμπιάς. Pindarus *Olymp.*

Quis primus inſtituerit, dubium fere eſt. Quidam enim Herculem Idæum, Hercule Alcumenæ filio antiquiorem; alii Jovem ipſum de Titanibus victis triumphantem; p) rurſus alii quandam Aetolorum coloniam, Herculis poſteris ſociatam; q) alii denique, nominatim Pindarus r) & Diodorus Siculus, s) quos plerique ſequuntur, Herculem, Jovis & Alcumenæ filium, auctorem eorum faciunt. Poſtea, cum per quadringentos prope annos intermiſſi fuiſſent, renovavit eos Iphitus, Praxonidæ, ſive, ut aliis placet, Hæmonis filius, Lycurgo, Spartanorum legislatori, σύγχρονος. t) Hinc Iphiti ab ætate Olympias numerata fuit prima, quæ in annum a mundo condito

Olymp. Od. III. ſtr. II, v. 8. & Od. V, ſtr. I, v. 13 & 14. Cf. Eraſin. Schmid. in *Prolegom.* in *Olymp.* f. 7. col. 2.

p) Vid. Pauſan. *Eliac. priori* c. XI, p. 392.

q) Vid. Strabo l. VIII. p. 543.

r) In *Olymp.* Oda II. v. 5.

s) *Biblioth. hiſt.* l. IV. c. 44.

t) Plutarch. in *Lycurgo*, ſtatim in princ. p. 39. Pauſan. *Eliac. priori* c. IV. p. 383.

dito 3208, ante C. N. 776. incidiſſe creditur. u)

§. III.

In exiſtimatione ludi Olympici habiti fuere maxima, quod in honorem agerentur Jovis, Dei ſupremi. Hinc Pindarus: x)

Dignitas atque celebritas.

Μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα
Φέρτερον αὐδάσομεν.

Neque quam quod eſt Olympiæ, certamen
Præſtantius dicemus.

Pauſanias: y) Πολλὰ μὲν δὴ καὶ ἄλλα ἴδοι τις ἂν Ἕλλησι, τὰ δὲ καὶ ἀκοῦσαι θαύματος ἄξια. μάλιστα δὲ τοῖς Ἐλευσῖνι δρωμένοις, καὶ ἀγῶνι τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ μέτεστιν ἐκ Θεοῦ φροντίδος. *Multa ſane habet Græcia, quæ vel ſpectentur vel audiantur cum admiratione: maximam vero dignitatem myſteriis Eleuſiniis ludisque Olympicis religionis cura conciliavit.* Quare ad celebritatem iſtam omnis conveniebat Græcia, imo nationes etiam

u) V. Pauſan. *El. pr.* c. VIII, atque ibi *les Remarques* de l'Abbé Gedoyn.
x) *Olympion.* Od. I. v. 11.
y) *El. pr.* c. X. in princ.

etiam exteræ, ex Ægypto, Libya, Sicilia, cet. partim decertandi, partim ſpectandi cauſſa, ſic ut eſſent theatra μυϱίανδϱα συμπληϱέμενα, *multis virorum millibus plena*, uti Lucianus loquitur, z) non obſtantibus ſolis æſtu aliisque aëris injuriis, quæ ſuſtinendæ erant agoniſtis ſpectatoribusque. a)

§. IV.

Procuratio horum ludorum penes quos fuerit, Præfectorumque officium & miniſtri.

Procurationem & adminiſtrationem ludorum Olympicorum Piſæi primum geſſere, poſtea, deleta eorum urbe, (ex cujus ruinis Olympiam ſuccreviſſe ſunt qui conjiciunt) b) Elei, ſive Elidis, urbis in cognomine regione principis, habitatores, qui propterea, univerſa conſentiente & concedente Græcia, omni periculo exemti, omnisque belli expertes fuere, ſiquidem regionem inhabitare cenſebantur ſacram nullique populationi obnoxiam, teſtante Polybio.

z) De *Gymnaſ.* T. Opp. II. p. 274. Cf. Schmid. *Prolegom.* ad *Olympion.* f. 7. col. 2.
a) Vid. Æl. *Hiſt. var.* l. XIV, c. 18.
b) Cellar. *notit. orbis ant.* Tom. I. p. 1186.

lybio. c) Ex his igitur lecti ludorum præſides judicesque, qui victoribus ſua adjudicarent præmia. Vocabantur illi Ἑλλανοδίκαι, item ἀθλοθέται & ἀγωνοθέται, erantque numero novem, quorum tres de equorum certaminibus, tres de quinquertio, tres de ceteris certaminibus cognoſcebant: acceſſit vero mox decimus. At minime tamen perpetuus ille fuit numerus, ſed modo auctus, ut eſſent duodecim, pro tribuum, in quas diviſi Elei, numero, modo imminutus, ut non niſi octo eſſent. Tandem vero, & quaſi poſtliminio denarius numerus revocatus eſt, nec poſtea immutatus. d) Oportebat autem Ἑλλανοδίκας per menſes decem ante, quam haberentur ludi, in loco quodam urbis Elidis (cui loco Ἑλλανοδικαιῶνι nomen erat, ſito quidem prope forum urbis) habitare, ibidemque per totum illud tempus, quod ad initi-

c) *Hiſt.* l. IV. c. 73.
d) Pauſan. *El. priori* c. IX. p. 397. Cf. Ant. van Dale *diſſert.* ſeptimam, quæ eſt de *Agonothetis, Hellanodicis*, cet. cap. I.

um ludorum ſupererat, ex Νομοφύλαξι, ſive *legum conſervatoribus* jura ludorum perdiſcere. e) Jusjurandum etiam præſtabant, judicaturos ſe accurate ἐπὶ δικαίῳ, f) ſecundum jura, leges præſcriptas atque æquitatem, nec munera accepturos, qua vero re adducti quemvis aut probarint, aut improbarint, ſe non eſſe in vulgus prolaturos. g) Quod ſi minus ſervaſſent, multa illis imponebatur gravis ab integro ſenatu Olympico, ad quem ab Hellanodicis provocari poterat. h) Vt autem coercere ſtatim poſſent Hellanodicæ athletas nequiter ſe gerentes, atque immorigeros, miniſtri illis dati fuerant publici, ἀλύται dicti: Sic Elei *lictores* vocabant, quos Græci alii ῥαβδοφόρους appellare ſolebant, & μαστιγοφόρους. Præfectus ipſorum ἀλυτάρχης dicebatur. i)

§. V.

e) Pauſan. *Eliac. poſter.* c. XXIV.
f) Ad hoc alludi videtur 2. Tim. IV, 8.
g) Pauſan. *Eliac. pr.* c. XXIV, p. 441.
h) Idem *Eliac. poſt.* c. III. p. 458.
i) Vid. *Etymol. M.* hac voce, & Cf. Ant. van Dale *diſſert. ſept.* p. 525.

§. V.

Athletarum conditio & officium.

Jam apud Hellanodicas iſtos nomen ſuum, juſto tempore, ut profiterentur neceſſe erat athletæ omnes, quotquot certamen aliquod ludorum in ſolennitate cupiebant ingredi. Quos quales eſſe oportuerit, quid præſtare, qualiterque ſeſe, præſertim ante certamen, gerere, breviter nunc explicandum eſt. Itaque requirebatur ante omnia, ut nulla turpitudinis macula vita ipſorum eſſet inquinata. Nam cum flagitioſis malæque famæ hominibus Lacedæmoniorum, (quorum magnus procul dubio ludis hiſce vel certandi vel ſpectandi cauſſa ſemper interfuit numerus) nemo in arenam deſcendiſſet. Xenophon: k) Ἐν δὲ Λακεδαίμονι πᾶς μὲν ἂν τις αἰσχυνθείη τὸν κακὸν σύσκηνον παραλαβεῖν, πᾶς δ᾽ ἂν ἐν παλαίσμασι συγγυμναστήν. *Lacedæmone quivis pudendum duxerit hominem flagitioſum vel in idem contubernium, vel ad eadem exercitia in luctis admittere.* Quapropter athletæ, ad certamina ituri, afferre ſecum ſole-

k) De *Republ. Laced.* p. 684.

ſolebant a popularibus litteras commendatitias, *συςατικὰς*, l) ad quas Apoſtolum alicubi alludere nonnulli exiſtimant. m) Porro decem menſes integros præparationi inſumere cogebantur, ſic ut novem menſibus Eleorum in Gymnaſio exercitiis operam darent levioribus, decimo autem gravioribus integrisque certaminibus, ut in ludis ipſis; atque intra illud tempus multos perferre labores, moleſtias varias, atque a certis ciborum potuumque generibus abſtinere. Epictetus: n) Θέλεις Ὀλύμπια νικῆσαι; κἀγὼ νὴ τοὺς θεούς. κομψὸν γάρ ἐστι. ἀλλὰ σκόπει καὶ τὰ καθηγούμενα, καὶ τὰ ἀκόλουθα, καὶ οὕτως ἅπτου τῶν ἔργων. Δεῖ σ' εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην, ἐν ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν. Ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπι-

l) Dio Chryſoſt. in *Rhodiaca*, f. 233. col. 2. ed. Ald.

m) P. Faber *Agoniſt.* l. III. c. XXIII. p. 327. Lydius *Agoniſt. ſ.* c. XXXI.

n) *Enchirid.* c. XXXV. Cf. ibi Wolfii & Caſaub. *annotat.*

ἐπιςάτῃ. Εἶτα εἰς τὸν ἀγῶνα παρέρχεσθαι. Ἔςι δὲ ὅτε χεῖρα βλαβεῖν, σφυρὸν ςρέψαι, πολλὴν ἀφὴν καταπιεῖν, ἐθ' ὅτε μαςιγωθῆναι· καὶ μετὰ ταῦτα πάντα νικηθῆναι. *Vis Olympia vincere? Et ego medius fidius: præclarum enim habetur. Sed conſidera, quid antecedere, quid ſequi ſoleat: atque ita rem gerendam ſuſcipito. Oportebit te conſervare ordinem, veſci ingratis, abſtinere bellariis, exerceri neceſſario, & certo tempore, in æſtu, in frigore: non frigidam bibere, non vinum, ut fieri ſolet. Ad ſummam, tanquam medico, ſic laniſtæ te tradas oportet: deinde in certamen deſcendere: aliquando manum lædere, talum diſtorquere, multum pulveris deglutire: interdum flagris cædi, & vinci poſthæc omnia.* Abſtinebant præterea plerique ab uſu etiam Veneris, ut corpus eo minus debilitarent. Clemens Alexandrinus: o) Φασὶ δὲ, καὶ ἀθλητὰς ἐκ ὀλίγες ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένες, καθάπερ τὸν Κροτωνιάτην Ἄςυλον, καὶ Κρίσωνα τὸν Ἱμεραῖον.

o) *Stromat.* l. III. p. 447.

ϛαιον. Ajunt autem, athletas quoque non paucos abſtinere a Venere, propter exercitationem corporis continentes: quemadmodum Crotoniatem Aſtylum, & Criſonem Himeræum. Facile ergo hinc intelligitur, quid ſibi velint verba Apoſtoli: p) Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται. *Omnis certamen initurus continet ſeſe ab omnibus.* Denique jurare oportebat athletas, cum ludi incoandi mox eſſent, ſuper apri proſiciis, ſe menſes decem integros exercitiis, præparationis cauſſa ſuſceptis, de quibus modo dictum eſt, impendiſſe; item, nullo ſe uſuros eſſe dolo, nec arte iniqua aut illicita ulla mores legesque ludorum perverſuros. q) Feminæ initio ne ad ſpectandum quidem admittebantur, adeo ut capitis pœna ſtatuta eſſet ei, quæ celebritatis tempore Alpheum fluvium trajeciſſet. r) Poſtea vero inter ipſos etiam athletas receptas nonnullas fuiſſe, ex Pauſania cognoſcimus. s) §. VI.

p) 1. Cor. IX, 25.
q) Pauſan. *Eliac. pr.* c. XXIV. p. 441.
r) Id. ibid. c. VI. p. 389.
s) In *Laconic.* c. VIII. p. 222.

§. VI.

Locus, in quo edebantur certamina, *Gymnaſium* erat, quod dicebatur *Eleorum*, vel *Olympium*. Partes hujus tres erant: *Stadium*, *Hippodromus* & *athletarum Palæſtræ*. *Stadium* agger erat e terra aggeſtus, cujus latus utrumque ſpectatores occupabant. Alterutro in latere ſedilia exſtructa fuerant ludorum præfectis: e regione ara eminebat e candido lapide, in qua ſedens femina ſacerdos Cereris Chamynes ludos ſpectabat. In ſtadio extremo, ortum verſus, ſepulcrum monſtrabatur Endymionis, a quo non ita procul, occaſum verſus, ad ipſum aggeris exitum, ara aberat Taraxippi (quod Neptuni equeſtris cognomen eſſe putat Pauſanias) figura rotunda, ad quam equi ſubito tam vehementer conſternati feruntur fuiſſe, ut impetu eorum inordinato frangi ſæpius contigerit currus, & aurigas vulnerari. Quapropter moris fuit aurigis, antequam certamen ingrederentur, vota ad hanc aram nuncupare, ut propitio uterentur Taraxippo. *Hip-*

Certaminum locus.

podromus Stadio ad occaſum erat, formam referens proræ, verſo in curriculum roſtro, extenſus in longitudinem ultra pedes quadringentos. Exſtructæ hic a dextra lævaque cellulæ, quas ſortito inter ſe partiebantur equeſtre aut curule certamen inituri, quibus locus hicce pro carceribus inſerviebat, unde currendi facerent initium. Ad mediam fere proræ partem ara conſpiciebatur e crudo latere, quam conventibus ludorum ſingulis tectorio recenti oblinere conſueverant. Super hac aquila collocata, alis late paſſis, quæ ope machinæ ſic moveri poterat, ut ſubvolatura videretur. Hippodromo oppoſitus, ab altera ſtadii parte, in orientem ſpectante, ambitus erat minor, ubi *athletarum*, quibus certamina ſuſcipere conſtitutum erat reliqua, *palæſtræ*, & non procul hinc remota eorundem *habitacula*, ſive diverſoria. Deſcripſit ſingula hæc plenius Pauſanias, t) cum quo conferri juvabit delineationem Gymna-
ſii

t) *Eliac. poſter.* c. XX & XXI.

ſii Olympii non inelegantem, quam ex auctore illo confecit Folardus. u)

§. VII.

Committebantur athletæ, ſpeciatim luctatores & pancratiaſtæ, vitandæ omnis fraudis cauſſa, ſorte: quæ quomodo duci ſueverit, explicate docet Lucianus his verbis: x) *Athletarum ſortitio.*

Κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται, ἱερὰ τῦ θεῦ. ἐς ταύτην ἐμβάλλονται κλῆροι μικροὶ, ὅσον δὴ κυαμιαῖοι τὸ μέγεθος, ἐπιγεγραμμένοι. ἐγγράφεται δὲ ἐς δύο μὲν, ἄλφα ἐν ἑκατέρῳ· ἐς δύο δὲ τὸ βῆτα, καὶ ἐς ἄλλυς δύο τὸ γάμμα· καὶ ἑξῆς κατὰ τὰ αὐτὰ, ἢν πλείυς οἱ ἀθληταὶ ὦσι, δύο ἀεὶ κλῆροι τὸ αὐτὸ γράμμα ἔχοντες. Προσελθὼν δὴ τῶν ἀθλητῶν ἕκαςος, προσευξάμενος τῷ Διῒ, καθεὶς τὴν χεῖρα εἰς τὴν κάλπιν, ἀνασπᾷ τῶν κλήρων ἕνα· καὶ μετ' ἐκεῖνον ἕτερος· καὶ παρεςὼς μαςιγοφόρος ἑκάςῳ, ἀντέχει αὐτῦ τὴν χεῖρα, ὐ παρέχων ἀναγνῶναι ὅ, τι τὸ γράμμα ἐςὶν, ὃ ἀνέσπακεν· ἁπάντων δὲ ἤδη ἐχόντων, ὁ Αλυτάρχης οἶμαι, ἢ τῶν Ἑλλανοδι-

u) Exhibet illam l'Abbé Gedoyn in verſione Pauſaniæ Gallica, T. III. p. 76. edit. Amſtel.
x) In *Hermot*. T. Opp. I. p. 535. ſq.

νοδικῶν αὐτῶν εἷς, οὐκ ἔτι γὰρ τοῦτο μέμνη-
μαι, περιιὼν, ἐπισκοπεῖ τοὺς κλήρους ἐν κύκλῳ
ἑστώτων· καὶ οὕτω τὸν μὲν τὸ ἄλφα ἔχοντα
τῷ τὸ ἕτερον ἄλφα ἀνεσπακότι παλαίειν ἢ
παγκρατιάζειν συνάπτει· τὸν δὲ τὸ βῆτα,
τῷ τὸ βῆτα ὁμοίως, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ὁ-
μογράμμους κατὰ ταυτά. οὕτω μὲν γὰρ, ἢν
ἄρτιοι ὦσιν οἱ ἀγωνισαὶ, οἷον ὀκτὼ, ἢ τέσσα-
ρες, ἢ δώδεκα. ἢν δὲ περιττοὶ, πέντε, ἑπτὰ,
ἐννέα, γράμμα τι περιττὸν ἑνὶ κλήρῳ ἐγγρα-
φὲν, συμβάλλεται αὐτοῖς, ἀντίγραφον ἄλλο
οὐκ ἔχον· ὃς δ᾽ ἂν τοῦτο ἀνασπάσῃ, ἐφεδρεύει,
περιμένων ἔστ᾽ ἂν ἐκεῖνοι ἀγωνίσωνται, οὐ γὰρ
ἔχει τὸ ἀντίγραμμα· καὶ ἔστι τοῦτο οὐ μικρὰ
εὐτυχία τοῦ ἀθλητοῦ, τὸ μέλλειν ἀκμῆτα τοῖς
κεκμηκόσι συμπεσεῖσθαι. *Argentea urna*(O-
lympicis in ludis) *Deo ſacra in medio
poſita eſt. In eam parvæ ſortes conjiciun-
tur fabæ magnitudine, litteris inſcriptæ.
Duabus, utrique nimirum, α inſcri-
bitur, duabus item β, duabus quoque
aliis γ, ac deinceps, ordine litterarum,
ſi ſint athletæ plures, duæ ſemper ſor-
tes eandem litteram habent. Tum a-
thleta unusquisque accedit, &, invo-
cato Jove, manuque in urnam immiſ-
ſa, unam ex ſortibus trahit, & poſt*

eum

eum alter. Et adſtans unicuique flagellifer, protenſa manu obſtat, quominus legat, quænam ſit littera, quam traxit. Sed cum jam habent omnes, Alytarches y) *opinor, aut Judicum* (τῶν Ἑλλανοδικῶν) *unus circumeundo ſortes in orbem ſtantium inſpicit. Sicque eum, qui* α *habet, cum eo, qui alterum* α *traxit, aut luƈta aut Pancratio decertaturum committit: eum quoque qui* β *cum eo, qui* β, *ſimiliter, aliosque eadem ratione, qui easdem litteras ſortiuntur. Sic enim committuntur, ſi pari numero ſint athletæ, ut oƈto, vel quatuor, vel duodecim; ſi vero impares, quinque, ſeptem, novem, ſupervacua aliqua littera, uni ſorti inſcripta, una cum aliis in urnam mittitur, litteram aliam ſibi reſpondentem non habens: quam qui traxerit, viƈtori imminet, exſpeƈtans dum illi certaverint: non enim oppoſitam litteram habet. Nec parva eſt felicitas iſta athletæ, quod viribus integer cum defeſſis eſt certaturus.*

§. VIII.

y) Vid. §. IV.

§. VIII.

Ludorum quis fuerit ordo, ex Pauſania accipiamus: z) Ὁ δὲ κόσμος, inquit, ὁ περὶ τὸν ἀγῶνα ἐφ᾽ ἡμῶν, ὡς θύεσθαι τῷ Θεῷ τὰ ἱερεῖα, πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου ὕστερα ἀγωνισμάτων. Οὗτος κατέστη σφίσιν ὁ κόσμος ὀλυμπιάδι ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα. τὰ πρὸ τούτων δὲ ἐπὶ ἡμέρας ἦγον τῆς αὐτῆς ὁμοίως καὶ ἀνθρώπων καὶ ἵππων ἀγῶνα. Τότε δὲ προήχθησαν ἐς νύκτα οἱ παγκρατιάζοντες, ἅτε οὐ κατὰ καιρὸν ἐσκληθέντες. αἴτιοι δὲ ἐγένοντο οἵ τε ἵπποι, καὶ ἐς πλέον ἔτι ἡ τῶν πεντάθλων ἅμιλλα. - - ἐμπόδιον δὲ οὐκ ἔμελλε παγκρατίου τοῦ λοιποῦ τὸ πένταθλον, οὐδὲ οἱ ἵπποι γενήσεσθαι. *Ludorum* (Olympicorum) *ætate mea hic propemodum ordo eſt. Mactantur Deo victimæ, poſt peracta quinquertii curſusque equeſtris certamina: atque ita eſt ſeptima & ſeptuageſima Olympiade inſtitutum. nam ante eodem die & equi & homines inducebantur. Pancratiaſtæ tunc ſub noctem prodibant. neque enim ſatis mature poterant arceſſi, quum dies equiriis,*

z) *Eliac. pr.* c. IX, p. 396.

riis, & potiſſimum quinquertio conſu-meretur. - - Mutato vero ordine non amplius pancratio quinquertium, aut equorum certamina obſtaculo eſſe poterant. Idem alibi: a) Εἰσιᾶσι δὲ πρὶν μὲν τὸν ἥλιον ἀνίσχειν, συμβαλόντες δρομέας· μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας ἐπὶ τὸ πένταθλον, καὶ ὅσα βαρέα ἄλλα ὀνομάζουσι. *Veniunt* Hellanodicæ *in Gymnaſium ante ſolis ortum, ut curſores committant: dimidiato vero jam die ad quinquertium,* (ſaltum, diſci jactum, jaculationem, luctam, pugilatum) *& graviora quæ vocant certamina.*

§. IX.

Victorum proclamatio atque præmium.

Proclamatio victorum per præconem fiebat publicum. Primo nominabatur genus victoriæ, deinde perſona victrix: tertio pater victoris: quarto patria vel regio vel civitas. Habebaturque honor ſummus, ſi aliqua civitas Ὀλυμπιονίκην genuiſſet & educaſſet. Vnde Plinius, b) *non tam victoriæ quam victoris patriæ coronam*

a) *Eliac. poſter.* c. XXIV. p. 513.
b) *Hiſt. nat.* l. XVI. c. 4.

ronam datam fuiſſe ſcribit. c) Præmium corona erat ex oleaſtro, (κότινον vocant Græci) quæ capiti victoris, poſtquam diademate illud cinctum fuiſſet, imponebatur. Sufficere hoc præmium exiſtimarunt Græci, ut non tam utilitate & lucro allecti, quam virtute & gloria incitati ſe exercuiſſe viderentur victores. Sequebatur tamen eos gloria ſumma, adeo ut *Olympionicen citari apud Græcos prope majus & glorioſius eſſet, quam Romæ triumphaſſe*, teſtante Cicerone. d) Addimus Vitruvii teſtimonium, e) quod ita habet: *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos conſtituerunt honores, ut non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferrent laudes; ſed etiam, revertentes in ſuas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias inveherentur, e reque publica perpetua vita conſtitutis vectigali-*

c) Vid. Eraſmi Schmidii *Proleg.* in *Olymp.* Pindar. fol. 10.
d) *Orat. pro Flacco*, p. 646.
e) In *præfat.* l. IX. de *architectura.*

galibus fruerentur. Athenienſes iis, qui Olympia viciſſent, quingentos denarios, ex inſtituto Solonis, dono dederunt, imo & alimenta publica in Prytaneo præbuerunt: f) qui honos habebatur maximus. Vtque perpetua maneret apud poſteros victorum memoria, eorum pene omnium ſtatuas Olympiæ, in luco Jovis, quem Ἄλτιν vocant Pindarus g) & Pauſanias, h) dicari moris erat.

§. X.

Vnum reſtat, quod non indignum videtur obſervatu; videlicet, non curſu tantum, pedeſtri, equeſtri & curuli, ſaltu, diſcorum jactu, jaculatione, lucta, pugilatu & pancratio inter athletas; ſed ingenio etiam atque arte inter oratores ac poetas in ludis hiſce fuiſſe certatum. Sic Gorgiam oratorem in Olympica πανηγύρει magnum dediſſe eloquentiæ ſpe- *Certamina oratorum atque poetarum.*

f) Plutarch. in *Solone*, p. 91. & *in Ariſtide*, p. 335.
g) *Olympion.* Oda. X. ſtr. III, v. 5.
h) *Eliac. pr.* c. X. p. 397.

ſpecimen, refert Pauſanias. i) Quin & hiſtoriarum conditores ſcripta ſua eodem in conventu interdum recitarunt. Auctor certe eſt Suidas, k) Herodotum in ludis Olympicis Muſas ſuas recenſuiſſe, eoque ipſo ad æmulationem accendiſſe Thucydidem, adhuc puerum. De poeticis certaminibus liquet res ex Athenæo. l) Neque tamen poëtæ promiſcue omnes inter ſeſe concertarunt, ſed epici tantum atque lyrici, non item comici aut tragici. m)

CAPVT V.

DE LVDIS PYTHIIS.

§. I.

Pythii ludi, a quo inſti-

PYthii ludi, ſive ab Apolline ipſo, n) ſive a Diomede o) inſtituti, ex

i) *Eliac. poſter.* c. XVII. p. 495.
k) Voce Θουκυδίδης
l) *Dipnoſoph.* l. XIV. p. 620.
m) Luculenter id oſtendit Chr. Gottl. Schwarzius in diſſert. de *certamin. vet. poet. atque orat.* §. LII. p. 64.
n) Vt vult Ovidius *Metam.* l. I. v. 445.
o) Vid. Pauſan. in *Corinth.* c. XXXII. p. 186.

ex antiquo urbis Delphorum, juxta quam agebantur, nomine, quod Pytho erat, fuere appellati. Celebrabantur in honorem Apollinis, in memoriam quidem confixi ab eo ſerpentis immanis, qui matrem ipſius Latonam, dum eſſet gravida, acriter fuerat perſecutus. p) Recurrebant initio non niſi poſt annos octo, nono ineunte, unde & periodus Pythiorum ἐννεαέτηρις nuncupari ſueverat: poſtea vero, cum collapſos inſtauraſſent Amphictyones, (judices hi erant publici totius Græciæ, quorum officium erat partim Oraculi Delphici dignitatem conſervare, partim lites difficiliores, inter nationes Græciæ obortas, diſceptare ac dirimere, partim denique, quod poſtremo acceſſit, ludos Pythios adminiſtrare) quadriennio integro exacto, q) & menſe quidem anni quinti ſecundo, Metagitnione, circa plenilunium, æſtate fere me- *tuti, unde nominati, & quando acti fuerint.*

Tt 2 dia

p) Vid. Ovid. l. c.

q) Vid. Er. Schmidii *Prolegom.* in *Pythion.* Pindari p. 3. ſqq.

dia, ſic, ut in annum cujusque Olympiadis tertium inciderent, quemadmodum præ ceteris luculenter docuit des Vignoles r)

§. II.

Certamen Pythiorum muſicum, & alia, item ſacrificia.

Principio non niſi κιθαρῳδίαις certatum fuit & αὐλῳδίαις, *cantibus ad citharam vel lyram*, & *ad tibiam*. Nempe in memoriam pugnæ Apollinis cum Pythone certum modulabantur carmen, quod νόμος vocabatur Πυθικὸς, ſive *modus Pythicus*. Partes hujus quinque erant, quas ſic recenſet Strabo: s) ἀνάκρουσις, ἄμπειρα, κατακελευσμὸς, ἴαμβοι καὶ δάκτυλοι, σύριγγες. Quæ nomina ſingula hunc in modum explicat Geographus, ut ἀνάκρουσιν *præludium* eſſe doceat; (certaminis, quod Apollo cum Pythone iniit) ἄμ-

r) In diſſ. peculiari de *tempore ludorum Pythiorum*, in *Hiſtoire critique de la republ. des lettres*. Tom. VI. p. 99. ſeqq.

s) *Geogr.* l. IX. p. 645. Cf. Schmidii *Prolegom.* cit. p. 7.

ἄμπειραν vero certaminis *initium*, & primum quaſi periculum, quo ſe Apollo ad prælium expediens, & telorum jaculationem tentans, pugnæ locum idoneum captavit; κατακελευσμὸν ipſam *pugnam*, ad quam partim ſe ipſum exhortatus, partim acclamatione illa Parnaſſiorum, ἰὴ Παιὰν, ἰὴ Παιὰν, incitatus atque roboratus fuit; ἰάμβες καὶ δακτύλες a temporum numero eſſe dictos, & ἰάμβες quidem propter λοιδορίαν, ſive *convicium*, quo Pythonem Apollo provocavit; (ἰαμβίζειν enim λοιδορεῖν, *conviciari* eſt) δακτύλες vero propter *feſtinandi* ſtudium; σύριγγας denique mortem Pythonis imitari, vitam cum ſibilis quibusdam exhalantis. Enumerat tamen partes modi Pythici paulo aliter Jul. Pollux, hunc in modum: t) Τῦ δὲ Πυθικῦ νόμυ τῦ αὐλητικῦ μέρη πέντε· πεῖρα, κατακελευσμὸς, ἰαμβικὸν, σπονδεῖον, καταχόρευσις· δήλωμα δ' ἐςὶ νόμος τῆς τῦ

t) *Onomaſt.* l. IV. c. X. ſegm. 84. Cf. etiam Pauſan. in *Phoc.* c. VII. p. 813.

Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα. Καὶ ἐν μὲν τῇ πείρᾳ διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος. ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ, προκαλεῖται τὸν δράκοντα. ἐν δὲ τῷ ἰαμβικῷ, μάχεται. Ἐμπεριείληφε δὲ τὸ ἰαμβικὸν, καὶ τὰ σαλπιστικὰ κρούματα, καὶ τὸν ὀδοντισμὸν, ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τετοξεῦσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας. τὸ δὲ σπονδεῖον, δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ Θεοῦ. ἐν δὲ τῇ καταχορεύσει, ὁ Θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. *Pythici vero modi, qui tibia canitur, partes quinque ſunt, rudimentum, provocatio, jambicum, ſpondeum, ovatio. Repræſentatio autem eſt modus pugnæ Apollinis contra draconem. Et in ipſo quidem experimento locum circumſpicit, num pugnæ conveniens ſit; in provocatione vero provocat draconem. Continet autem Jambicum tubæ cantus, & odontiſmum, utpote dracone inter ſagittandum dentibus frendente. Spondeum vero Dei victoriam; & in ovatione Deus ad victorialia carmina ſaltat.* Ex verbis poſtremis ſatis quidem liquidum eſt, ſaltatum ſimul fuiſſe ad tibiæ cantum; ſed fallitur

ta-

tamen utique Jul. Cæſ. Scaliger, u) quando ſaltationi illi actus,ſive partes tribuit quinque, quæ, Pollucis ex mente, ad cantum potius ipſum pertinent. Tandem vero recepta in Pythios ludos omnia illa fuere certamina, quæ in Olympicis fuere uſitata. x) Sacrificia inſuper magno numero offerri ſueviſſe, ex iis patet, quæ de Jaſone, Theſſalorum duce, refert Xenophon. y)

§. III.

Cum muſicis adhuc certaminibus Pythiorum abſolveretur ſolennitas, præmium victori dabatur vel ex auro, vel ex argento, vel ex ære conſtans, e. c. tripodes ænei. Poſtquam vero certamina acceſſiſſent alia, coronam tribui placuit, ad exemplum Olympiorum, eamque vel ex eſculo, *Victoris præmium.*

u) *Poët.* l. I. c. XXIII.
x) Pauſan. l.c.
y) *Hiſt. Græc.* l. VI. p. 598.

vel ex lauro conſertam. z) Luciani ætate pro præmio, fuere μῆλα τῶν ἱερῶν τῦ Θεῦ, a) per quæ aliqui *poma Apollini ſacra*, ex malo quadam; alii *baccas lauri*, alii denique coronam intelligunt e ramuſculis mali, ſuo fructu oneratis. b)

CAPVT VI.

DE LVDIS NEMEIS.

§. I.

Ludi Nemei unde nominati, qua occaſione, & cujus in honorem inſtituti fuerint.

LVdi *Nemei* ex Nemea nomen acceperunt, ſita in Argolide, Peloponneſi regione, inter Cleonas & Phliuntem oppida. Nemeam vero ſunt qui χώραν, *regionem*, c) ſunt etiam qui χω-

z) Pauſan. l. c. Conf. Eraſmi Schmidii *Proleg.* in *Pythionicas* p. 9. 11. & 12.
a) Vid. librum ejus de *Gymnaſ.* T. Opp. II. p. 274.
b) Vid. Palmerii ad illum Luciani locum *annotat.*
c) Auctor *prologi* tertii ad Pindari *Nemea.* Steph.

χωρίον, *vicum*, vel oppidulum, d) fuiſſe ſcribunt. Quos in concordiam fortaſſe redegeris, ſi tractum quendam ejus nominis vicum habuiſſe dicas cognominem. Is igitur tractus templum Jovis Nemei habuit plane inſigne, & circa illud lucum cupreſſorum, in quo ludi, de quibus agimus, celebrabantur, Pauſania e) & Strabone f) teſtibus. Inſtituta Nemea fuiſſe tradunt auctores prologorum in *Nemea* Pindari, Pauſanias, g) Hyginus h) & Apollodorus i) in honorem Opheltæ, filii Lycurgi, in illo tractu tunc regnantis ſacerdotioque fungentis. Eum nimirum in cupreſſeto illius loci inter herbas ludentem

Steph. Byzant. de *urb. ac pop.* hac voce. Cf. eundem p. 470, ubi *Molorciam urbem* eſſe dicit *Nemeæ*.

d) Pauſan. in *Corinth.* c. XV. p. 144.

e) Loco cit.

f) *Geogr.* l. VIII. p. 579. ſq.

g) Loco cit.

h) *Fab.* CCLXXIII.

i) *Biblioth.* l. III. c. VI. §. 4.

reliquerat Hypſipyle nutrix, ut ſeptem Argivorum duces, qui ad Thebanam expeditionem iverant, & per ſilvam ſitientes oberrabant, ad fontem aliquem deduceret. Interim vero puer a ſerpente ictus exſpiraverat. Quod cum duces cum Hypſipyle reverſi vidiſſent, ſerpente telis confixo Ophelten ſepeliverunt, & in ſolatium nutricis, gratique animi teſtificandi ergo, ludos funebres circa tumulum inſtituerunt. Ibi tum unus ex ducibus Argivis, Amphiaraus vates, in exſequiis Opheltæ nomen mutavit, Ἀρχέμορον appellans, non ſine omine, quod caſus hujus pueri eſſet ἀρχὴ μόρȣ, *principium mortis*, vel *infortunii*, ſiquidem infeliciſſime pugnaturi erant. Eosdem vero ludos paulo poſt Hercules, leone Nemeo in eadem ſilva occiſo, dignitate & amplitudine auxit, & pro Archemoro Jovi dicavit Nemeo. Ex quo factum, ut ad Herculem aliqui originem eorum retulerint. k)

§. II.

k) V. *Proleg.* Eraſmi Schmidii in *Nemeonicas* Pindari p. 1. & 2.

§. II.

Quo menſe editi fuerint ludi, incertum eſt. Neque enim hac in re ſibi conſtare videas Interpretem Pindari, l) qui uno in loco ad Hecatombæonem, in alio vero ad Boëdromionem refert. Menſis uterque æſtivus erat. Ab eo mirum in modum diſcedit Pauſanias, m) qui certamina hæc hiberna facit. Id vero certius, habita fuiſſe Nemea anno quovis tertio, biennio ſolido elapſo, ſic quidem, ut in Olympiadem unam ſolennitates Nemeæ duæ inciderent. n) Præſides, ſive judices certaminum ex Corinthi, Argorum & Cleonarum habitatoribus legebantur, qui veſte, qua induti erant, atra originem ſacrorum a luctu promanaſſe indicabant. o) *Quando habiti, eorumque Præſides.*

§. III.

l) Apud Schmid. l. c. p. 5.
m) In *Corinth.* c. XV. p. 144. & *Eliac. poſter.* c. XVI, p. 491.
n) Oſtendit id dilucide idem Schmid. l. c.
o) Interpr. Pindari *prologo* III. Cf. Schmid.

§. III.

Certamina & præmium. Præter certamina omnis generis gymnica, & equeſtria nonnulla, curulia etiam agebantur, illud ſpeciatim, ad quod currus adhiberi ſolebat, cui quatuor juncti eſſent equi. Vſitatum quoque erat equeſtre puerorum certamen, quo duo δίαυλοι, ſive quatuor ſtadiorum ſpatium decurrendum erat. Quod certamen cum intermiſſum aliquamdiu fuiſſet, Hadrianus inſtauravit Imperator. p) Victori corona dabatur ex olea, ad bella uſque Medica, tempore Xerxis & Artaxerxis. Poſtea vero ex apio, eoque viridi, in memoriam Opheltæ, qui ſuper apio reptans ictus a dracone fuerat. q)

CAPVT VII.

DE LVDIS ISTHMICIS.

§. I.

Ludorum nomen, celebritas, inſtitutio atque inſtauratio. *Iſthmicis* ludis pariter locus nomen dedit, videlicet Iſthmus Corinthiacus,

p) Pauſan. *Eliac. poſter.* c. XVI. p. 491.
q) Interpr. Pind. *Prol.* III.

cus, r) Peloponneſum Græciæ jungens continenti. Acti enim fuere in luco quodam Iſthmi, pinubus opaco. s) Celebritas eorum fuit maxima, quia *propter opportunitatem loci per duo diverſa maria omnium Græcorum undique conventus erat*, ut ait Livius. t) Reputanturque a nonnullis Pythiis antiquiores. Inſtituti autem feruntur in honorem Milicertæ, Athamantis, Orchomeniorum in Bœotia regis, filii, cum quo mater Ino, ut furorem effugeret mariti, in mare ſeſe dederat præcipitem. Cujus ſortem miſeratus Neptunus, inter Numina cum cooptavit marina, Palæmonis nomine inſignitum. Interim corpus Melicertæ, maris fluctibus diu jactatum, in littus ejectum fuit Corinthium, inventumque ibi a Siſypho rege, Athamantis fratre, oraculi juſſu huma-

r) De quo vid. P. I. c. I. §. V.

s) Strabo l. VIII. p. 583. Cf. Pauſan. in *Corinth.* c. I. p. 112.

t) *Hiſt.* lib. XXXIII. c. 18.

matum: quo facto honores ludorum perpetui, jubente rurſus oraculo, Melicertæ fuerunt decreti. u) Intermiſſos aliquamdiu ludos inſtauravit Theſeus, Neptunoque dedicatos ſplendidiores fecit, quum antea nocte tantum peragerentur, Initiisque, (τελετῇ) quam ſpectaculo & celebritati publicæ, viderentur ſimiliores. x)

§. II.

Tempus, atque Præſides. Non frequentarunt Elei.

Celebrari conſueverant ludi anno quoque tertio, poſt completa ſingula biennia. y) Præſides & judices Corinthios habuerunt. Corintho autem per Lucium Mummium exciſa, datum fuit moderamen Sicyoniis, Corinthiorum vicinis. Mox vero re-

u) Pauſan. in *Att.* c. XLIV, p. 108, & in *Corinth.* c. I. p. 111. Apollod. *Biblioth.* l. I. c. IX. §. 1, 2. ſqq.

x) Plutarch. in *vita Theſei* p. 11.

y) Vid. Er. Schmid. Prolegom. in *Iſthmion.* Pind. p. 3.

reſtituta Corintho, rediit honos priſtinus ad Corinthios, manſitque penes eos ultra Hadriani Imperatoris tempora. z) Illud memorabile, quod cum nationes Græciæ omnes ludos iſtos frequentarent, ſoli Elei ab eisdem abſtinere ſueverint, metu quidem devotionis, qua Molione, Actoris uxor, omnes cives Eleos diris defixerat, quicunque Iſthmicum conventum eſſent celebraturi. Rem pluribus narrat, cauſſamque ſimul indicat Pauſanias. a)

§. III.

Certamina atque præmium.

Certaminum eadem hic fuit ratio, ac in ludis Græciæ ceteris, adhibitumque ſimul illud fiſtularum. Præmium victori antiquitus corona dabatur ex pinu, quod illa arbor ad naves fabricandas eſſet idonea, ideoque grata cenſeretur Neptuno. Poſtea apium

z) Pauſan. in *Corinth.* c. II. p. 114.
a) *Eliac: priori* c. II.

apium uſurpatum fuit, idque aridum, (puta ſemen apii, cum ſuis cauliculis, qualiter ab hortulanis ſecari, & ad maturitatem usque ſervari ſolet, uti docuit b) Laur. Begerus) quod & aquatica eſſet planta, Neptuno conveniens, & feralis, ideoque memoriæ Melicertæ poſſet inſervire. Aliquot vero ſeculis poſt, pinus denuo fuit recepta. c) Mactari autem ſolebant victores hoc etiam honore, ut ſtatuæ ipſorum in aditu templi, Neptuno in Iſthmo ſacri, collocarentur. d)

b) In *Examine dub. quorund.* p. 9.
c) Plutarch. in *Sympoſ.* l. V. quæſt. 3. p. 675.
d) Pauſan. in *Corinth.* c. I. p. 112.

F I N I S.

INDEX.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Academia unde dicta, & ubi ſita 70
locus erat initio ſqualidus; poſtea vero a Cimone, Miltiadis filio exornatus fuit 71
a Sylla nemus ejus exciſum ib.
illuſtris ex eo maxime evaſit, quod Plato ibi philoſophiam publice docuit ib.
viſebantur ibi, præter alia, inprimis ſepulcra clarorum virorum, qui in bello, pro patria geſto, occubuerant ib.
Accipiter, prædam rapiens, quid portenderit 546
Acclamatio fauſta qualis in ſacris Apollinis & Minervæ adhibita 448
Aceſtoridæ; ex his apud Argivos virgines deligebantur, qui Palladis Deæ ſacra obibant 265
Acrocorinthus arx, monti impoſita celſo 87
ulterius deſcribitur 88
Adire deos, ad deos confugere quinam dicantur 425
Adonia; feſtum in honorem Adonidis inſtitutum 588
quibus ritibus fuerit celebratum 589. 590
Adonis, filius Cinyræ, Aſſyriorum regis 588

fata ejus ſingularia 589
horti ejus quid 590
apud Orientales vocabatur Tammus 5
Adulteri, in delicto deprehenſi, pro profanis & impuris habebantur 172
Ἄδυτον locus in templo reconditus, quo præter ſacerdotes adire fas nemini erat 175.176
Ædes Athenienſium privatæ vilioris erant conditionis 69
impuratæ luſtrari ſolebant 474. not. 1.
Æs Dodonæum deſcribitur 496.497
Ætolia verſus Occidentem eſt plana & fertilis, verſus Orientem aſpera & ſterilis 23
Agamemnon Iphigeniam filiam immolandam tradere coactus 348
Ἀγωνοθέται & Ἀθλοθέται quinam dicti? 640
Agri, diis conſecrati, a Græcis τεμένη appellabantur 135
cur conſecrati fuerint? 137
elocari ſueverunt, &, ut eorum fructus a furibus tuti eſſent, ſepto cingi 137.138
Ἀγυρμὸς dies primus Eleuſiniorum 618
Αἰτητικὰ, *ſacrificia petitionis*, cur & a quibus maxime fieri ſolebant 363
Ἀκρόδρυα, fructus arborum omnis generis 404
Ἀλεκτρυομαντεία ſ. divinatio per gallum gallinaceum 559
ejus ratio & modus exercendi deſcribitur ib.
Ἅλμα. vid. Saltus.
Ἄλση qualia loca? 139
Altare quis primus conſtituerit? 232
Ἀλύται quinam dicti? 654

Ambroſia quid? 219
Ambulacrum locus, ubi inambulans Ariſtoteles philoſophiam docuit, unde ſectatores ejus poſtea Peripatetici dicti 72
Ἀμνίον vas, quo ſanguis victimæ excipiebatur 371
Amphiaraus, vir illuſtris, divinandi ſcientia præditus 531
cur expeditionem Thebanam devitare ſtuduerit ibid.
quo mortis genere perierit ib.
ab Oropiis in numerum deorum relatus, & quare ib.
Amphictyones judices publici totius Græciæ 669
officium eorum in quo potiſſimum conſtiterit ibid.
Ἀνάκεια, Caſtoris & Pollucis templa & feſtum 187
Ἀνάῤῥυσις ſecundus dies Apaturiorum 597
cur ita dictus ibid.
Ἀναθήματα quid? 243
Annus, ejus ratio apud veteres Græcos 573
veteres Attici illum incipiebant poſt ſolſtitium hibernum, poſteriores vero ab illo novilunio, quod ſolſtitium æſtivum proxime ſubſequebatur 576
quot menſes habuerit ib.
Ἄνοδος, dies undecimus menſis Pyanepſionis 625.
cur ita dictus ib.
Antheſteria, feſtum Baccho ſacrum 591
quando, & quamdiu celebratum fuerit ib.
cærimoniæ & ritus ejus 592 593

dictum quoque *Liberalia antiqua* 608
Ἀνθρωποθυσία, ejus exempla quædam memorabilia 349
Antiquitates Græcorum ſacræ quid denotent 1
adjuvant lectionem veterum autorum, tam Latinorum, quam Græcorum 2
nec non interpretationem V. & N. teſtamenti 3.4
item lectionem Patrum antiquæ eccleſiæ 8
detegunt originem rituum apud Judæos & chriſtianos uſitatorum 9
illarum fontes ſunt ſcriptores profani, Græci & Latini, nec non Patres 10
Apaturia, feſtum Græcorum ſolenne, quo parentes liberos in album ſeu nomenclatorem civitatis referri curabant 595
nominis ejus origo 594.595
quo menſe, & per quot dies fuerit celebratum ibid.
cærimoniæ & ritus in eo obſervati 596.ſeq.
Ἀπήνη currus ſacer, quo deorum ſimulacra circumvehebantur 226
Apollo quo habitu in numo Trallianorum depictus conſpiciatur 316
cur præſes atque moderator vaticiniorum & oraculorum habitus 491
cur λοξίας h. e. vocem emittens obliquam appellatus 515
vnde *Clarius* dictus 534
quo munere Trophonium affecerit, cum ab eo, quod homini eſſet optimum, petiiſſet 519

ejus

ejus ſimulacrum cur aureis catenis in baſi devinctum? 229
Apollonii Tyanenſis precatio 417
Aqua luſtralis pontificiorum originem ſuam debet Græcis 10
marina cur in luſtrationibus frequenter adhibita 473
fontis Caſtalii fatidicam reddere credebatur mentem bibentis 506
Aquila Græcis dictum faſtigium templorum 165
alis plaudens, & a dextra ad ſiniſtram volitans omen feliciſſimum 546
Ara Jovis ὑπάτȣ; in ea nihil animati offerebatur 53
Deo ignoto conſecrata ubi ſita 58
Aræ quibus in locis collocatæ? 229
conſtruebantur ex varia materia, & interdum auro obducebantur 233
earum figura, altitudo & ornatus 234.235
cur deorum nominibus & inſignibus inſcriptæ 236
varium habuerunt uſum 237
quæ in templis, vel ædibus tectis incluſæ, camino inſtructæ fuerunt 239
conſecrabantur iisdem, quibus ſtatuæ, ritibus ibid.
diis ignotis poſitæ dictæ βωμοὶ ἀνώνυμοι 133
quid ad eas ponendas occaſionem dederit 134
Arbores conſecratæ 143
Arcadia montoſa, herbarum & lignorum ferax 25
Ἀρχεῖον quale conclave? 176

in periculis ibi theſauri cuſtodiebantur ib.
ejus varia cognomina græca 177
Archigalli quinam dicti? 277
Ἄρχων quis? 275
gerebat curam Bacchanaliorum & Thargeliorum ib.
Ἀρδάνιον quale vas 472
Areopagus ubi ſitus? 60
in eo de capitalibus, aliisque majoris momenti cauſſis noctu & ſub dio cognoſcebatur ib.
Argolis olim paluſtris, poſtea fertilis 24
Arma quænam diis oblata 247
Arx Athenarum varie fuit nominata 49
ejus magnitudo & ſitus ib.
pars ejus borealis a Pelasgis, auſtralis vero a Cimone muro cincta 50.51
adibatur una tantum via ib.
opera ejus memorabilia 152
Aſylum, privilegium ejus templis nonnullis, & civitatibus attributum 251
origo aſylorum dubia; antiquiſſima tamen ſunt ib.
quibus cumprimis templis jus hoc aſſignatum 252
quibus hominum generibus potiſſimum profuerit 255
a Græcis tamen privilegium hoc variis artibus eluſum 256
Athenæ, urbs totius Græciæ princeps 38
Encomia ejus 39

olim Cecropia dicta a primo rege Cecrope 40
ab Amphictyone vero, vel Theſeo primum *Athenæ* appellata 42
origo hujus appellationis ib.
quid nomen hoc denotet, ſi pro appellativo ſumatur? ib.
ab incolis ſuis etiam Ἄϛυ eo ſenſu, quo Latini Romam urbem vocarunt, dicta 43
Ejus ſitus, & magnitudo 44. 46
multa habuit loca, ædificiis vacua ib.
pluribus cincta fuit muris 47
portas habuit XIII., inter quas tres potiſſimum memorabiles 48
templa urbis inferioris 55
ſtatuæ atque aræ 57
curiæ & fora 59. 62
porticus, theatra, gymnaſia & ſtadia 63. 64. 65
ædes privatæ cujus conditionis 69
quot cives, ſervos, & inquilinos habuerit 69, 70
Portus, Phalereus, Munychius, & Piræeus 74
Athenienſes quale ſacrificium ſtatuæ conſecratæ obtulerint 217
Deos etiam peregrinos coluerunt, & quare 131
horum vero deorum cultum publicum non niſi ſolemni decreto Areopagitarum confirmatum exercebant ibid.

Deos ignotos cur colendos eſſe duxerint 132
liberos ſuos ſacris Eleuſiniis initiari curaverunt, & quare 617
Athleta ſortem de certaminis ſocio ducturi, Jovem precari ſoliti 414
in ludis Olympicis juſto tempore apud Hellanodicas nomen ſuum profiteri tenebantur 655
non debebant turpitudinis macula eſſe inquinati ib.
Vnde etiam ſecum adferre ſolebant a popularibus litteras commendatitias 656
quamdiu ſe ad certamen præpararint ib.
Epicteti hac de re locus 657
abſtinendum quoque iis erat ab uſu Veneris ib.
tempus, præparationi impenſum, juramento confirmare tenebantur 658
fuere etiam feminæ, quibus ab initio Olympica ſpectare ſub pœna capitis interdictum erat, inter eos receptæ ib.
cur ſorte commiſſi ſint 661
Luciani hac de re locus 662. 663
Attica regio varia habuit nomina, inprimis Jonia etiam dicta 44
Vnde Atthis ſive Attica appellata 45
montoſa, aërem habet tenuem 24
Attici cur reliquis Græcis acutiores 24
Aves quænam auſpicatæ, quænam inauſpicatæ habitæ 545

Augures Græci, omina obſervaturi, quomodo ſteterint 545
Auſpicari poculis quid Homero dicatur 386

B

Bacchanalia generaliori nomine ὄργια dicta 507
Athenis duplicia erant, vel verna, vel autumnalia 508
verna quare etiam ἀςικὰ ſeu urbana dicta ib.
non ſunt confundenda cum Antheſteriis ib.
autumnalia vocabantur lenæa, item ruralia, quia rure peragebantur ib.
initio paucis ritibus, poſtea vero magno cum luxu & pompa celebrata ib.
noctu potiſſimum agebantur, & quare 610
bacchantes cum lampadibus tædisque diſcurrebant ibid.
Cur habitu uſi ſint ludicro 611
plurimum vociferabantur: Jo Bacche &c. 612
ridicule etiam ſaltabant ad tympanorum & cymbalorum ſtrepitum ibid.
Caper, ſacrificio deſtinatus, magna cum pompa ducebatur ib.
virgines nobiles caniſtra omnis generis primitiis referta geſtabant 613
Comiſſationibus quoque dabatur opera, atque omne libidinis genus exercebatur ib.
Ludi etiam, & certamina varia edebantur 614

feſti hi dies non confundendi cum Liberalibus trietericis, apud Thebanos uſitatis ib.
Bacchus, ejus theatrum erat omnium pulcherrimum 64
In eo tragœdiæ & comediæ agebantur ib.
ſimulacrum ejus minio vel cinnabari exornabatur 205.206
quomodo fingi ſolitus 212
cur φαυϛήριος, h.e. lucernalis, cognominatus 610
Barba cur deorum ſignis addita 211
Biblotheca Athenis a Piſiſtrato primum poſita 67
a Xerxe ablata, a Seleuco vero Nicanore reſtituta 68
a Sylla in Italiam translata, ab Hadriano vero imperatore inſtaurata ibid.
Blaſphemiam eloqui quis dicatur 566.not.o.
Boeotia terra præſtans, frumenti & vini ferax 23
Boeotii anguillas ex lacu Copaide inuſitatæ magnitudinis Diis immolabant, & quare 333
Βωμοὶ, aræ diis ſuperis ſtructæ 230
Bos arator, vel plauſtrum trahens an in ſacrificiis fuerit adhibitus 335.336
Bos ſeptimus in ſacrificiis quid? 353
Branchus ob formoſitatem ab Apolline adamatus, & vaticinandi facultate donatus 537
Brauronia, feſtum Dianæ ſacrum 601
curabantur hæc ſacra a decem antiſtitibus, qui ἱεϱοποιοὶ dicti 602

ſacrificium hoc feſto offerebatur ex cap. a ib.
Βρέτας imago ſculpta 196
Βȣθῦται & *Βȣ́τυποι*. vid. *Θῦται*.
Βȣθυτεῖν quid ſignificet? 335
Βȣφόνια, ſolennitas antiquiſſima 599
nomen unde ortum ib.
quo tempore, & quibus cærimoniis peragi ſolita? 600

C.

Cadmea, arx Thebarum 97
Cadmus, an Thebas condiderit, & quare? 93
Cædes animalium monſtroſorum luſtratione expiata 468
hominum non alia, quam iuſta aut fortuita, luſtrationis ritu expiari potuit ib.
quænam cædes iuſta reputata ib.
cædis fortuitæ, luſtratione expiatæ, notabile exemplum 470
Cærimoniæ quænam a veteribus inter precandum obſervatæ 422.423
Calliſtratus jure aſyli a mortis ſupplicio ſe non potuit ſervare 253
Capræ, cur ad ſacrificia, Apollini offerenda, potiſſimum adhibitæ? 511
Captivi cur in feſto Thesmophoriorum e carcere dimiſſi? 628
Cares appellatio ſervorum unde? 594. not. o.
Caſtitas quomodo exploretur potu ſanguinis taurini 272
Caſtor & *Pollux* cur *ἄνακες* dicti? 187
Catulus in luſtratione a Græcis adhibitus 478
Cecrops an primus bovem immolaverit 329

uſum

uſum pelanorum in ſacris apud Athenienſes inſtituit 352
Cenchreæ vicus & portus Corinthiorum 90
Ceramicus qualis tractus, & unde nomen ſuum acceperit 61
Ceres unde Ἰσλω appellata 445
a Vulcano compreſſa cur Luſiæ cognomen retulerit? 470
ejus ſignum coronæ, ariſtis graves, cum papavere 293
cur ei potiſſimum primitiæ frugum oblatæ? 404
Cereris Eleuſiniæ ſacra cur myſteria & τελεταὶ dicta? 303
Ciceronis teſtimonium de illis 304
Cærimoniæ initiationis in his ſacris 305. ſeq.
Certamen bibendi quomodo in feſto Bacchi fuerit inſtitutum? 592
Ceryces unde genus ſuum duxerint? 263
quales functiones ſacræ iis demandatæ? 264. 296
non confundendi cum præconibus, qui ad civilia & domeſtica negotia adhibebantur 297
Cur Ἱεροκήρυκες quoque appellati? ibid.
Χαριςήρια, ſacrificia, quibus diis gratiæ agebantur 362
Χέρνιβα, gutturnia, ex quibus aqua manibus affundebatur lavandis 399
Χόες dies ſecundus in feſto Bacchi 592
cur ita dictus? ibid.

Chorus, locus in foro Spartano, ex eo ſic dictus, quod puberes ibi choros agitabant Apollini 83
Chrematiſmus genus ſomnii, quo per gravem perſonam, vel etiam Deum, aliquid denunciatur 517
Chryſes magno pretio filiam captam a Græcis redimere voluit 284
Χύτροι ſolennitas diei tertii in feſto Bacchi 593
nomen hoc unde? ibid.
Cithæron, Boëotiæ mons, fabulis carminibusque celebratus 30
Cleanthes quo ritu inferorum opem imploraverit? 424
Color, minio temperatus, in ſimulacris deorum exornandis adhibitus 205
Concentus muſicus cur in ſacrificiis adhibitus? 381
Conſulentes oracula ſacrificiis Apollinem placare tenebantur, priusquam reſponſum impetrarent 511
per fanum circumduci ſolebant 512
quibus cærimoniis in cellam quandam templi deducti? ib.
Corcyræi gratum animum Apollini Delphico teſtificaturi, bove eum donant æneo 248
Corinthiorum regio ſolum habuit obliquum & aſperum 91
Corinthus (rex) cujus filius fuerit? 86
Corinthus urbs olim Ephyra dicta 85
Strabonis de ea elogium ib.

ejus ſitus, figura & ambitus 87
eſt urbs antiquiſſima ibid.
loca ejus memorabilia 88
cur ſupercilioſa dicta? 91
Coronæ cur deorum ſimulacris impoſitæ? 209
erant vel frondeæ, vel aureæ 210
ſumma earum fuit religio ib.
a ſupplicantibus inprimis offerebantur ibid.
eas furto violare apud Athenienſes capitale erat ib.
conſecrari præcipue ſolebant ab imperantibus 245
iis caput cingere debebant rem ſacram facturi 394
quales in ſacris cuique deo convenientes reputatæ? 395
quomodo capiti, vel collo applicatæ? ibid.
Craneum, cupreſſorum lucus 90
Craſſus, Romani exercitus imperator, quomodo ab Ateio tribuno plebis diris ſit devotus? 430
Cretæ inſulæ magnitudo 35
Cribro divinare quid Luciano dicatur? 560
Croeſus quæ donaria Amphiarao miſerit? 246
uxoris ſuæ monilia, & zonas Delphos miſit ibid.
quo ſacrificio & muneribus Apollinem Delphicum ſibi faventem reddere ſtuduerit? 487. 488
Curatores ædium ſacrarum. vid. Ναοφύλακες.
Curatores ærarii ſacri. vid. Quæſtores.

Curia quingentorum; in hac ſenatus magnus conventus ſuos habebat 60
Curſores triplicis generis erant 638
armati clypeum & criſtam in capite geſtabant ib.
currebant olim zona præcincti, poſtea vero penitus nudi 639
victores inter illos quale præmium obtinuerint? 640
Curſus; cur Græci ei fuerint dediti? 637
deſcriptio loci, ubi curſus inſtituebatur 639
equeſtris etiam erat & curulis 640
qualis currus adhibitus in curſu curuli? 641
Cyclades inſulæ quot numero? 35
Cyllene montium Arcadicorum altiſſimus & maximus 31
Cynici inter Græcos oracula riſerunt 482 not.h.
Cynoſarges gymnaſium unde nomen ſuum acceperit? 73
templum Herculis ibi poſitum, & luco cinctum erat ibid.
in eo nothi ſe exercebant ib.
Antiſthenes, autor Cynicorum, in eo docuit ibid.
tandem a Philippo Macedonum rege incendio deletum ib.

D.

Δαδȣ̃χοι. vid. *Tædiferi.*
Dædalus, inſignis artifex, rudiorem ſimulacrorum formam expolivit 196

quos

quos imitatores habuerit 197
Dæmones quid? 123
interdum ipſi dii hoc nomine inſigniuntur 122
diſtinguebantur in bonos & malos 125
eorum officia ſecundum Platonem, inter quæ inprimis mortalium obſervatio 126 127
Dans ſacerdos Vulcani locuples 284
Decimæ quibus ex rebus ſolutæ? 406
Dei ignoti appellatione ad ipſum ſummum hujus univerſi conditorem reſpici plerisque videtur 133
Delphorum urbs totius terrarum orbis umbilicus credita 19
Devovendi ritus apud Romanos deſcribitur 429 430
eum procul dubio Romani a Græcis acceperunt ibid.
fuit quoque inter Ebræos uſitatus 441
Διαμαστίγωσις ſolennitas Lacedæmoniorum nobiliſſima in quo conſtiterit? 603
Plutarchi locus de illa ib.
præerat his ſacris femina 605
inſtituta fuit a Lycurgo, Lacedæmoniorum legislatore, & quare ibid.
Diaſia, feſtum antiquiſſimum, in honorem Jovis placidi celebratum 606
nomen ex Διὸς & ἄση, quod ægritudinem animi ſonat, compoſitum creditur ib.
cauſa, cur Athenienſes in eo rem ſacram cum

cum aliquo vultus mœrore celebraverint? ibid.
ſequiori ætate per complures annos fuit intermiſſum 607
non victimæ, ſed placentæ, in formam animalium effictæ, hoc feſto offerebantur ibid.
Δίαυλος ſtadium geminum ſeu ſpatium, quod currendo quis & recurrendo emetitur 638
Dies; naturalis, ſeu tempus ab ortu ſolis ad ejus occaſum in quot partes a Græcis diviſus? 581
civilis, Græcis *νυχθήμερον*, apud Athenienſes ab occaſu ſolis incipiebat, & in occaſu alio deſinebat ibid.
non longe ante Alexandrum M. in XXIV. partes æquales ſeu horas a Græcis diviſus ibid.
quinam fauſtus, vel infauſtus? 571
Dii adſcriptitii quinam? 130
Græcorum primi 105
homines cur in eorum numerum relati? 108
109
qui factum, ut civitates quoque pro diis cultæ? 110. 111
ingens deorum apud Græcos numerus unde? 116
dividuntur potiſſimum in tres ordines, cœleſtes, terreſtres, & inferos ibid.
diviſio hæc unde originem ſuam traxerit? 117

cultus diverſus iis præſtitus, maximus cœleſtibus, minor terreſtribus, minimus vero inferis ibid.
dii magni quot? 118
eorum nomina, munia, officia & cognomina 119
eorum imagines depictæ erant in porticu Jovis Eleutherii 120
tutelares quinam? 121
quinam συμβωμοὶ & πάρεδροι dicti? 184. 186
deorum capita cur nimbis ſeu radiis ſplendentibus cincta? 215
eos ex ſacrificiis alimenta capere ethnici credebant 321. not. a.
Diogenis Cynici tumulus 89
Diogenes Laërtius quo tempore floruerit? 84
Dione, Veneris mater, templum Dodonæum cum Jove habuit commune 182
Διονύσια vid. *Bacchanalia.*
Διοπετῆ ſimulacra cœlo delapſa 219
eorum aliqua exempla 220
Διώγμα ſacrificium arcanum, in feſto Cereris, in memoriam profligatorum hoſtium, oblatum 626
Διώκειν quid ſignificet inter curſores? 629
Diræ quid Græcis denotent? 427
efficaciſſimæ & exitioſiſſimæ iis cenſebantur, adverſus quos effuſæ erant ibid.
tolli earum vis putabatur, ſi certis cærimoniis ſacrorum miniſtri reſecrarent homines, qui devoti fuerant 429

eas

eas diſſolvere, expiare & reſecrare quinam dicantur? 429
Diſci jactus quale exercitium corporis apud Græcos? 643
Dithyrambi, hymni in Bacchum facti 445
Divinatio quando fieri ſoleat? 311
ejus nomina 542
quid illa & quotuplex? 481. not. d. & 542
Dodona, Epiri urbs, propter Jovis oraculum memorabilis 18
unde nomen acceperit? 493
Dodonæus lebes unde in proverbium abierit, & de quibus uſurpetur? 498
Δόλιχος curriculum, quod ſtadia complectitur ſeptem, vel viginti quatuor 638
Donaria ad ornatum templorum plurimum conferebant 243
cur iis exornata ſint fana & templa? 244
quibus ex rebus conſtiterint? ib.
cauſſæ, quæ ad donaria offerenda homines impulerunt 248
a quibus oblata? 249
Δορπία, primus dies Apaturiorum 596
cur ita dictus? ibid.
Δωδεκηΐς ſacrificium e duodecim pecudibus conſtans 346
Δράγματα ſpicarum manipuli 404
Dyrrhachium ſeu *Epidamnus*, præcipua in Illyride urbs 17

E.

Ἐγγαστρίμυθοι & ἐγγαστριμάντεις quas perſonas notent 312. 313

Ειδωλόθυτα quæ dicantur in N. T. 384
Ἑκατόμβη ſacrificium omnium ſplendidiſſimum 346
nomen hoc unde? 347
occaſio & origo ejus ib.
interdum etiam hæc vox uſurpatur de quocunque ſacrificio ſplendido 348
Eleorum regio incolis, & rerum omnium copia refertiſſima 24
Eleuſinia ſacra, quæ & μυστήρια dicta, unde nomen duxerint? 615
in honorem Cereris ejusque filiæ Proſerpinæ agitabantur ib.
a quo inſtituta, & qua occaſione 615.616
diſtinguebantur in majora & minora ib.
maiora Eleuſine menſe Boëdromione in honorem Cereris, minora Agris menſe Antheſterione in honorem Proſerpinæ agebantur ibid.
occaſio minora inſtituendi 616.not.s.
agi & ſpectari non poterant, niſi ab iis, qui rite eſſent initiati 617
ea divulgare capitis pœna interdictum erat ibid.
horum ſacrorum ſupremam curam gerebat rex ſacrorum, ſecundus inter novem Archontes ibid.
quo tempore & quamdiu celebrata ſint 618
quid ſingulis diebus, quorum quilibet peculiare habuit nomen, peractum ſit, deſcribitur 619.620.621.622

non

non ſolum vero ab Athenienſibus, ſed etiam ab aliis populis celebrata ſunt 623
Ἐλλοὶ vel Σελλοὶ quinam? 494
Elyſius campus, vulgo beatorum ſedes habitus, ubi quærendus? 33
Ephebeum qualis locus 84
Epheſus cur Νεωκόρος magnæ deæ Dianæ dicta 299
Ἐπίβδα quartus dies feſti Apaturiorum 595
fuit vero hoc nomen & aliis diebus commune ibid.
Epictetus quam precandi formulam præſcripſerit 418
Epicurei oraculorum contemtores 482. not. h.
Ἐπιδαύρια dies octavus Eleuſiniorum 621
cur ita dictus? ibid.
Ἐπίορκος homo injuſtus atque improbus 459
Epirus regio aſpera, & montium plena, olim incolis abundavit 22
Epoptæ quinam? 305
Epulum ſacrum vel domi, vel in templo, & quidem in peculiari conclavi habebatur 384
quale ab Alexandro M. fuerit inſtitutum? 385
Eraſinus fluvius, terra merſus, in Argolide rurſus prodit 28
Erymanthus, Peloponneſi mons, apro Herculis fabuloſus 31
Eryſichthon Theſſalus ob violatum lucum a Cerere Dea perpetua fame ita punitus, ut numquam exſaturari potuerit 150
Ἐσχάρα qualis ara? 230

plerumque diis terreſtribus heroibusque conſecrata ibid.
Eteobutadæ quinam dicti? 264
ex his ſacerdos femina Minervæ Poliadis delecta ibid.
Εὐκταῖα ſacrificia votiva 361
Eumolpidæ unde nomen ſuum ſortiti? 263
ſacerdotes erant hereditario jure ibid.
Eumolpus, pater poetæ Muſæi, & opilio 263
ab Athenienſibus ſacris Eleuſiniis Cereris & Proſerpinæ præficitur ibid.
Εὔορκος, recte jurans, uſurpatur de homine juſto atque probo 459
Εὐπατρίδαι. vid. *Patricii.*
Εὐφημεῖν. vid. *Favere linguis.*
Expiatores quomodo græce dicti? 409
interdum feminæ, maxime vero vetulæ, expiandi partes datæ ib.
Exta quomodo ominoſa ſint, & vel bonum, vel malum portendant? 550

F.

Fabula de Amphione, mœnia Thebarum ad lyræ cantum exſtruente, quid denotet? 95
de columbis nigricantibus, e quercu Dodonæa reſponſa reddentibus, unde orta? 495
Fanum cur apud Latinos veteres etiam nemus dictum? 154
Delphicum quomodo a Cicerone & Juſtino deſcriptum? 510
cur ſæpius a Barbaris, & ab ipſis Græcis direptum? 511

Ne-

Neptuni, cognomento Erechthei, deſcriptum 53
clarum fuit puteo, aquam habente marinam, quæ flante auſtro ſonum edere obſervabatur ibid.
Favere linguis quid? 568
Feſta quid? eorum nomina & cauſæ 582
de uſu eorum Strabonis locus 583, 584
apud Athenienſes duplo plura agebantur, quam apud ceteros Græcos, & quidem ſumtu publico, 585
Feſtum commune Boeotiorum omnium Παμβοιώτια appellatum 145
Fides Græca unde in proverbium abierit? 459
Fœdus ineuntes qua formula uſi ſint? 456
cur in ſacrificio victimæ, fruſtatim conciſæ, ſegmenta ſic diſpoſuerint, ut per partes medias tranſiri poſſet? ibid.
percutere fœdus, icere, ferire unde hæ formulæ? 456. not. i.
Formula: in caput tuum, ad omen malum avertendum conducere credita 569
precandi pro amicis inſipientibus 417
proverbialis: Nemo novit, niſi forte avis quæpiam, unde orta? 544
Forum Athenienſe vetus deſcriptum 62
quælibet ejus pars ex mercibus, quæ ibi venales erant, peculiare nomen ſortita 63
decoratum fuit ſtatuis multis, & celebritate forum novum ſuperavit ibid.
Frumentum ſacrum quid? 279

ubi reconditum, & ad quæ epula adhibitum? 280

Furiæ; eas cujusvis menſis die quinto per terras oberrare ad plectendos perjuros Græci putarunt 459

Furor cum vaticinatione conjunctus eſſe ſolebat 310

quibus indiciis ſe prodiderit 312. 507. 508

G.

Γαμηλία ſacrificium, puellarum cauſſa oblatum 599

Γάϛρη vel γάϛρα vas æneum, quod tripodi imponebatur 504

Genus vitæ diſſolutum cur Tacitus cum Bacchanalibus comparet? 614

Glaucothea, Æſchinis mater, ex quo genere fuerit? 309

Græci an aliqua religionis ſuæ capita ab Ægyptiis mutuati ſint? 100

nonnulla a Phœnicibus & Thracibus acceperunt 102. 103

plurima vero ipſi, ingenioſi cum eſſent, excogitaverunt 105

an victimas humanas diis obtulerint, & quare? 348. 350

quinam eorum luſtrationis ineptias riſerint? 480

Græcia, unde hoc nomen? 14

olim Pelasgia dicta 13

poſtea Hellas 15

tempore Homeri Ἀχαΐς 16

ejus

ejus termini ibid.
complectitur ſub ſe Macedoniam, Illyridem, Theſſaliam, Epirum cet. 17
libera Hellas propria dicta 18
quas regiones ſub ſe complectatur? ibid.
ſoli ingenium & natura 22. ſeq.
fluvii, lacus, montes, valles, & campi 26. 27. 28. 32
Inſulæ & coloniæ 33. 37
Gymnaſium Eleorum vel Olympium deſcribitur 659
Ptolemæium 66

H.

Hegeſiſtratus, Samiorum legatus, quomodo a Leutychide Lacedæmonio ſit exceptus? 570
nomen ejus ducem ſonat exercitus ibid.
Helicon, mons Muſis ſacer 30
Hellanodicæ præſides ludorum Olympicorum 653
initio erant novem, poſtea vero modo aucti, modo imminuti ſunt, prout occaſio ferebat ibid.
officium eorum in quo conſtiterit? ibid.
quid jurejurando promiſerint? 654
Hellenium, locus Spartæ celebris, ubi civitates Græciæ, quæ contra Xerxem arma ceperant, inter ſe conſultarunt 83
Hepar inter partes extorum ominoſas præcipua habebatur, & divinationis tripus vocabatur 551. not p.
quando omen boni, quando mali fuerit? ib.

Hercules cur ritu luſtrali expiari ſe curaverit? 467
Herodotus contra Plutarchum vindicatur, 102
Heroës quinam? 128
dicti ſemidei ibid.
quidam eorum in deorum numerum recepti, qui idcirco dii adſcriptitii dicti 130
Hippodromus, locus in gymnaſio Olympio, deſcriptus 660
Hiſtoria lepida de Dorione quodam, qui Mylone diverſorium reperire non potuit 182.185
Hiſtoria hominum & civitatum ab eis conditarum ſunt permixtæ 112
Hoſtiæ voluntas, an libenter mortem ſubitura eſſet, quomodo explorata? 366
Hymni quid? 444
cantari ſolebant non in ſacris tantum, ſed in conviviis quoque, finito prandio aut cœna, priuſquam ad compotationem accederetur 446
iis de diis, aut deabus, quibus ſacrati erant, nomina tributa ſunt peculiaria 444

I.

Jaculatio quomodo peracta? 643
in quo differat a ſagittatione? 644
Ἴακχος, ſextus dies Eleuſiniorum 619
quare ſic dictus? ibid.
Jambe anus quædam, quæ vario ſcommatum genere Cereri Deæ riſum excuſſit 616.628

Jejunium rigidum cur in honorem Cereris inſtitutum? 627
Ἱερεῖς quinam dicti? 278
Ἱερομαντεία, divinatio per ſacrificia, inſtituebatur vel ex victima, vel ex ejus viſceribus 550
Ἱεροποιοὶ quinam ſpeciatim appellati? 278
Ἱεροφάντης dictus, qui myſteriis præerat Cereris, & alios illis initiabat 276
eorum primus fuit Eumolpus ibid.
apud quoſdam per annos IV. conſtituebantur, apud Athenienſes erant perpetui 283
Ignifert quinam dicti? 300
apud Lacedæmonios ignem ſacrum exercitui præferebant ad regionis usque fines ibid.
Ἱλαςικὰ vel διαλλακτικὰ ſacrificia expiatoria 364
Illyris regio aſpera & montium plena 22
Immolatio victimæ quomodo peracta? 375
Initiantes quinam, & varia eorum nomina 303
Initiati in ſacris Eleuſiniis quomodo appellati? 305
veſtem, qua amicti erant, nunquam deponebant, niſi longo uſu detritam 306
ritu initiationis juſtiores ſanctioresque, & a periculis tutiores factos ſe eſſe exiſtimabant 308
Jones Dianæ quotannis virginem atque puerum, qui forma erant præſtantiſſima, oraculi juſſu mactarunt 348
Jonia. vid. *Attica.*

Iſchomachus inſtitutionem uxoris in rebus, ad curam rei familiaris pertinentibus, numquam ſine ſacrificio & precibus adgreſſus eſt 413
Iſthmus; ejus ſitus & magnitudo 20
Italia inferior dicta Græcia magna, & quare? 38
Ithaca, patria Vlyſſis 33
Ἰθύφαλλοι quinam dicti? 613
Judæi multos ritus a Græcis acceperunt 9
eorum mos captivum tempore paſchatos a vinculis liberandi Græcis debetur ib.
Ἴȣλοι hymni in Cererem 445
Juno cum pavone effingi ſolita 213
cur Lacedæmonii eam capras comedentem cognominarint? 323
Jupiter cur dicatur βασιλεὺς, ὄμβριος, ἀςραπαῖος? 120
ſimulacrum ejus quo ſitu effigiatum? 198
Jovis Olympii ſimulacrum, quod Phidias fabricatus eſt, inter eburnea fuit nobiliſſimum 203
aureo exornatum fuit amiculo 208
ſemper fere barbatus effingebatur 211
item cum ſceptro, aquila & fulmine 213
ei capra, taurus & juvencus immolabatur, non vero oves 338
cur juramentorum cuſtos vocatus? 449
cur pro moderatore oraculorum habitus, & πανομφαῖος dictus? 490
Jusjurandum per quos & quæ præſtari conſueverit? 449

per aquam ſtygiam erat deorum ipſorum juramentum maximum graviſſimumque 450
formulæ & ritus in eo obſervati ib.
exemplum juramenti integri 454
ab eo ſapientiores vel prorſus abſtineri, vel nonniſi graviſſimis de cauſſis dari illud voluerunt 455
quinam apud Græcos illud præſtare debuerint? 455. 456
plerique Græcorum raro fidem jurejurando datam ſervarunt; melior tamen eorum pars jusjurandum ſancte colendum duxit 458 459

K.

Καθαρισμὸς vid *Luſtratio.*
Κανᾶ, caniſtra ad flores & ſpicas portandas in ſacris adhibita 398
Κανηφόροι, virgines, quæ in Bacchanalibus caniſtra geſtabant 613
Καπνομαντεία, divinatio per fumum, Potteri verbis deſcripta 554
Κληρομαντεία, divinatio per ſortes quomodo inſtituta? 556
Κοπίδες, gladii leviter curvati, falcibus ſimiles 397
adhibiti ad ſecandas carnes ſacrificales 398
Κοσκινομάντεία, divinatio per cribrum quando & quomodo fuerit ſuſcepta? 560
Κριθολόγοι quinam dicti? 277
Κουρεῶτις tertius dies Apaturiorum 597
cur ita dictus? ibid.

L.

Lacedæmon rex Moſis ætate floruit 79
Lacedæmonii cur ſuilla carne in re ſacra facienda uſi ſint plurimum? 332
quomodo deos precati? 418
cur ſacramenti religionem in publicis negotiis parum curarint? 460
Laconica regio cava, montibus cincta, & aditu in bellis difficilis 25
Vnde nomen ſuum ſortita? 77
Laudes inter pocula diis cantatæ 388
Lechæum portus Corinthiorum 90
Leges Solonis axibus inſcriptæ ligneis 59
Lerna lacus, in quem Argivi purgamenta projecerunt 28
Λέσχαι, loca confabulationibus dicata 68
apud Latinos vocabantur ſtationes, poſterioribus autem temporibus ſcholæ 83 not. f.
Libamen quid, & ex quo conſtiterit? 357
initio aqua tantum, poſtea vero melle, tum oleo, & tandem vino libatum fuit 358
Liberalia trieterica feſtum, quod anno quovis tertio apud Thebanos in honorem Bacchi celebrabatur 615
Liberi; quibus ritibus eorum nomina in tabulas publicas relata? 598
Licentia jocandi & conviciandi cur in feſto Cereris feminis permiſſa? 628
Λίκνα vanni, in quibus primitiæ frugum, & μυστικὰ Bacchi & Cereris geſtabantur 398

Λικ-

Λικνοφόροι virgines, quæ in feſto Bacchi vannos in capite portabant 613
Limites tranſilire, proverbium hoc unde ortum? 642
Limnæum vicus Dianæ ſacer 84
Lingua victimæ cur & quando diis ſacrificata? 390
cur in honorem potiſſimum Mercurii cremata fuerit? 391
Locutio proverbialis: percutere crure femori impacto, e moribus Græcorum deſumta 4
Λοιβὴ vid. *Libamen*
Luci quid? 138
vocis origo unde? 140. & not. a.
cur ad ſacra delecti? ibid.
in iis etiam arbores ſingulares conſecratæ ſunt? 143
exempla ejusmodi arborum ib.
aræ & ſimulacra deorum in iis collocata 144. 145
in iis preces & ſacrificia fiebant, & omnis generis ritus ſacri peragebantur 145
quandoque etiam comitia populi ibi habebantur 146
omnis quoque generis flagitia in iis exercita ibid.
cur Deus Iſraëlitas lucos excidere juſſerit? 148
eos violare capitis pœna interdictum erat ibid.
cur ſepto concluſi? 151

habe-

habebant jus aſyli 152
templa etiam in iis exſtructa ibid.
Lucta exercitatio corporis in porticu tecta, quæ xyſtus vocabatur, fieri ſolita 644
erat duplex, vel ſtantium, vel terra decumbentium & ſeſe volutantium 645
a Theſeo in diſciplinæ formam redacta ibid.
modus eam peragendi ibid.
quisnam ex ea victor receſſerit? ib.
Ludi Iſthmici unde nomen ducant? 679
fuerunt admodum celebres ibid.
a quo inſtituti atque inſtaurati? 679. 680
quo tempore fuerint celebrati? ibid.
præſides & judices Corinthios habuerunt ibid.
cauſſa, cur a ſolis Eleis non fuerint frequentati 687
quæ certamina & præmia in iis fuerint uſitata? 681. 682
Ludi Nemei unde nomen acceperint? 674
qua occaſione, & cujus in honorem inſtituti? 675. 676
tempus, quando habiti, incertum 677
præſides, ſive judices eorum unde lecti? ib.
quæ certamina, & præmia in iis uſitata? 678
Ludi Olympici unde nomen duxerint? 649
ubi & quo tempore acti? ib.
eorum primus auctor & inſtaurator 650
cur in ſumma exiſtimatione fuerint? 651
ad illos omnis Græcia, imo nationes etiam exteræ confluebant 652
procuratio eorum penes quos fuerit? ibid.

co-

eorum præfecti horumque miniſtri 653.654
athletarum in his ludis requiſita & officium 655
edebantur in gymnaſio Eleorum, ſive Olympio 659
qualis ordo in iis obſervatus? 664
Victores in iis quomodo proclamati, quibusque præmiis ornati? 665.666
Olympionicen citari apud Græcos ſummus honos ib.
neque tantum corpore, ſed etiam ingenio atque arte inter oratores ac poetas in ludis hiſce fuit certatum 667
Ludi publici quibus de cauſſis inſtituti ſint? 648
eorum præcipui Olympici, Pythii, Nemei atque Iſthmici ib.
Ludi Pythii unde nomen traxerint 669
a quo inſtituti, & quando acti? ib.
celebrabantur in honorem Apollinis ib.
in iis certabatur cantibus ad citharam, vel lyram, & ad tibiam 670
carmen, quod canebatur, dicebatur modus Pythicus ib.
partes hujus carminis quæ & quot fuerint? 671
in iis tandem omnia illa certamina recepta, quæ in Olympicis uſitata erant 673
victores in his ludis quæ præmia reportarint? 674
Ludi ſacri apud Græcos quinam? 636
quot numero? ib.
uno nomine vocantur quinquertium ib.

quare inſtituti ſint? 637
Ludus talorum in conviviis ſacris uſitatus 389
Luſtratio quid, & ejus nomina 461
ſacrorum & oraculorum cauſſa fiebat 461. ſeq.
præcipue vero ob cædem commiſſam 465
exempla hujus rei notabilia 466. ſeq.
luſtrationis lege etiam adſtringi cenſebantur, qui uſum habuerant Veneris 470
morem ejus a quibus Græci didicerint? 471
funere inquinati luſtrare ſe debebant ib.
ad luſtrationem quæ res adhibitæ? 472
quomodo ea in Inferorum cærimoniis peracta? 477
Lyceum unde dictum, & ubi ſitum? 72
in ejus ambulacro Ariſtoteles ambulando philoſophiam docuit ib.
incenſum & dirutum partim a Philippo, Macedonum rege, partim a Sylla ib.
Lycurgus Lacedæmoniis leges daturus quomodo oraculum Delphicum conſuluerit? 484
ejus templum 82
M.
Macedonia ferax frugibus & metallis 22
Magnæ matris templum maxima religione cultum 82
Μάντεις; nomen hoc unde derivetur? 310
Manus cur templum ingreſſis lavandæ? 395
eas expandere verſus mare iis uſitatum, qui deos invocabant marinos 424
Mars; cur Lacedæmonii ei catulos caninos immolaverint? 340

Me-

Megalobyzi quinam dicti? 273
Megarica regio maximam partem montoſa 24
Mel; cur eo mortuis atque inferis libatum ſit? 359
Melanthius, Athenienſium rex, quo dolo Xanthum, Thebanorum regem circumvenerit? 594
Μέλισσαι, Cereris & Apollinis Delphici ſacerdotes feminæ 289
nomen hoc unde? ib.
καταχρηστικῶς interdum uſurpatum ib.
Μήναι & μηνίσκοι ſtatuarum tegumenta 215
Menſæ ſacræ cur diis poſitæ? 239
diis cumprimis bonis ponebantur, eæque vel argenteæ, vel aureæ, aut ſaltem inauratæ 241
interdum ararum vicem præſtiterunt 242
Menſes quot? 576
eorum ordo & nomina apud Atticos 577
diſtinguebantur in tres partes ſive decades 578
dies decadis tertiæ ordine inverſo numerati 580
Mercurius quo habitu effictus? 213
Meſſeniaca regio bonæ frugis ferax, & paſcuis apta 25
Meton Athenienſis invenit & introduxit cyclum annorum XIX. 575
Μητρῳακοὶ; hymni in matrem Deûm compoſiti 446
Minerva; ejus ſimulacrum, a Phidia ex ebore elaboratum, quot cubitorum fuerit? 52

ejus ſacellum deſcriptum 53.54
ſignum ejus omnium ſanctiſſimum, & cœlitus delapſum habebatur ib.
cur Poliuchos & Chalciœcos cognominata? 81
templum ejus æneum deſcriptum ib.
cur frenatrix dicta? 89
a Græcis Αθήνη vocatur 113
uti vulgo deſcribi ſolet, & ſtatua ejus effingi, ſymbolum eſt Athenarum, urbis habitatorumque conditionem, indolem, ingenium, mores, ſtudia atque res geſtas repræſentans ib.
unde cognomen *Sciradis* acceperit? 265
cur ei capra non immolata? 339
Miniſtri ſacerdotum apud Græcos quotuplices? 294
Modus Pythicus carmen in ludis Pythicis decantatum 670
quot partes habuerit? 671.672
Mola ſalſa, in ſacrificiis adhibita, quid? 350
Mors ab Apolline omnium rerum optimum homini judicata 520
Mos apud Græcos conſecrandi lapides oleo illito a Phœnicibus ortum traxit 195
Mulieres Trojanæ quomodo Palladem orarint, ut afflictis Trojanorum rebus ſuccurreret? 426
quale votum Minervæ fecerint? 443
Munera cur ab iis, qui oracula conſulebant, oblata? 510

Mycenæorum ager olim florens, Ariſtotelis ætate aridus & ſterilis 24
Myſtæ quinam? 305

N.

Ναοφύλακες quinam, & quid præcipue iis curandum fuerit? 281
Νεκρομαντεία, divinatio per mortuos, in Theſſalia potiſſimum frequens fuit 558
quibus cærimoniis peracta? ib.
Nemea qualis locus, an regio, an vicus, vel oppidulum? 675
Νεωκόροι; unde hoc nomen? 207
quam functionem ſacram adminiſtraverint? 298
ſequioribus temporibus non ſolum ædium ſacrarum, ſed ſacrorum etiam ipſorum cura iis demandata 299
Neptunus; cur piſcatores ei thynnum immolent? 333
quæ victimæ ei propriæ? 339
cur tauri nigri illi ſacrificati? 342
Νηϛεία dies menſis Pyanepſionis XVI. rigido jejunio celebratus 626
Noctua apud veteres ſapientiæ, prudentiæ, vigilantiæ ac ſobrietatis fuit ſymbolum 114.not.n.
Νόμος πυθικὸς. vid. *Modus Pythicus*.
Nothi vitamque turpem agentes pro profanis & impuris habiti 171
Novilunii feſtum antiquiſſimum 586
initio tantum in Lunæ, poſtea in deorum omni-

omnium honorem ſolenniſſime celebratum ib.

O.

Οβελοὶ, ferra acuminata, quibus carnes figebantur, epuli ſacri cauſſa aſſandæ 398
Odæ. vid. *Hymni.*
Odeum theatrum ubi ſitum? 64
ibi muſici ſe exercebant, & cauſſæ frumentariæ diſceptabantur 65
Oenomaus maximus oraculorum contemtor 483. not. h.
Οινομαντεία, divinatio per vinum quomodo ſuſcepta? 554
Οιωνιστικὴ in genere omnem divinationem artificialem, in ſpecie vero auguria & auſpicia denotat 543. 544
cur huic divinationi multum tribuerint Græci? ib.
*Ολμος vas æneum, quod tripodi imponebatur 503
Ὁλόκληροι quinam Græcis dicti? 268
Ολολυγὴ ſeu ὀλολυγμός. vid. *Vlulatus.*
Omina quid? 561
duplicis ſunt generis, alia ex ipſis hominibus, alia ex rebus externis capiuntur ib.
ad priora referuntur notæ corpori impreſſæ, repentinæ animorum perturbationes, palpitationes, tinnitus aurium & ſternutamenta 562
quænam e rebus externis ominoſæ habitæ? 563
quandoque etiam ex verbis capta, ut teſtimonio Ciceronis conſtat 565

mala

mala quomodo avertantur? 569
fauſta quomodo accipiantur? 570
feliciſſimum omen eſt aquila alis plaudens, & a dextra ad ſiniſtram volitans 546
infelix accipiter prædam rapiens ibid.
Ὀνειροκρίται, ſomniorum interpretes; eorum varia nomina 548
ars & peritia illorum in quo conſtiterit? ib.
Ὄνειρος ſomnium, quo res eventuræ ſymbolo aliquo ſignificantur 547
Opinio apud Græcos antiquiſſima, nihil proſpere abſque deorum ope poſſe geri 413
Oracula quid, & eorum nomina 481
eorum dignitas & auctoritas 482
a ſapientioribus ſubinde irriſa ibid.
quibus in rebus, & quibus de cauſſis conſulta? 483. 484
eorum effata pro veris habita 486
ea conſulturi quæ munera offerre debuerint? 487
utrum a cacodæmone, an a ſacerdotum profecta ſint fraudibus atque impoſturis 489
variis modis fuere reddita 491
antiquis temporibus eorum ingens fuit numerus 530. not. k.
Oraculum Amphiarai; ejus origo 531
quibus cærimoniis fuerit conſultum? 533
ſi conſulentes a morbo ſanati fuiſſent, argentum aurumque ſignatum Amphiarao muneris loco offerre tenebantur 534
Oraculum Branchidarum Mileſium quoque, & Apollinis Didymæi vocatum 536

ejus origo, claritas, & vetuſtas 537
quomodo fuerit verbis per feminam fatidicam redditum? 538
deſtructum aliquando fuit a Xerxe, Perſarum rege, ſed denuo inſtauratum 539 540
Oraculum Colophonium unde nomen habeat? 534
ſitus ejus ibid.
reſponſa dabat per aquam, teſte Tacito & Jamblicho 533
Oraculum Delium ubi floruerit? 540
quomodo fuerit redditum, & quo anni tempore? 541
a Juliano apoſtata, contra Perſas profecturo, conſultum ibid.
Oraculum Delphicum omnium fuit clariſſimum 498
nomen ejus unde? ibid.
quomodo per capras primum detectum, & qua ætate fuerit conſtitutum 499
quibus numinibus conſecratum fuerit 500
locus oraculi qualis? 501
quo tempore & menſe fuerit conſulendum? 509
cauſſæ, cur non omni tempore conſuli potuerit? 510
reſponſa ejus lingua græca & carminice exprimebantur 513
erant vero adeo obſcura & ambigua, ut eventui cuicunque poſſent aptari 514
cauſſa hujus obſcuritatis 515
a ſimplicioribus quidem pro veriſſimis habita,

bita, ſagacioribus vero ſæpius fuerunt ſuſpecta 516
cauſſa falſa & vera, cur oraculi hujus auctoritas ſucceſſu temporis fuerit imminuta 517. 518
quando penitus ſilere inceperit? ibid.
Oraculum Dodonæum omnium fuit vetuſtiſſimum 492
nomen unde traxerit? 493
fundatum a Pelasgis, antiquiſſimo Græciæ populo 494
ejus ſedes & miniſtri ibid.
fons mirabilis 495
an æris Dodonæi ſonitus huic oraculo inſervierit? 496
qua ætate oraculum hoc jam defecerit? 498
Oraculum Trophonii a quo nomen ducat? 519
ſitum erat prope Lebadiam in finibus Phocidis ibid.
antrum ejus quomodo a Saone fuerit detectum? 520
Pauſaniæ teſtimonium hac de re 521
locus ejus, & ad eum deſcendendi modus a Pauſania deſcriptus 523
Conſulentes quomodo ſe præparare debuerint? 525. 526
in antro ipſo quid viderint, atque audiverint? 527
quomodo inde rurſus aſcenderint? 528
quid poſt reditum ex antro iis contigerit? 529
Ὅραμα ſive viſio quale ſomnii genus 547

Oreſtes matrem Clytemnæſtram, cum Ægiſtho mœcho repertam, interficiens cædem luſtratione expiavit 466
Ornatus victimæ immolandæ in quo conſtiterit? 365
"Οσιοι, ſive ſancti quinam dicti? 283
numero fuerunt quinque ibid.
Ουπιγγες vel Ουπιγγοι hymni in Dianam 445

P.

Paanes hymni dicti, qui Apollini dicati erant 445
Παιανίζειν quinam dicti? ibid.
Παμμάχιον vid. *Pancratium*
Panathenaa feſtorum illorum, quæ in honorem Minervæ apud Atticos celebrabantur, maximum 629
a quo primum inſtitutum, & deinde ſolennius redditum? ibid.
cur ei nomen παναθηναίων tributum? ib.
diſtinguebantur Panathenæa in minora & majora ibid.
quo tempore & quamdiu utraque celebrata? ibid.
in minoribus certamen edebatur triplex, equeſtre, gymnicum, & muſicum 630
concertabant etiam inter ſe poetæ quatuor dramatibus 631
pugna navalis committebatur ad promontorium Sunium ibid.
ſacrificium quoque fiebat ſolenniſſimnm, atque ex hoc deinde epulum publicum conficiebatur 631. 632

ritus

ritus & cærimoniæ, quibus Panathenæa majora abſoluta ſunt 632.633.634
Panathenaicum ſtadium omnium, quæ Athenis erant, nobiliſſimum 66
Pancratium exercitium corporis ex lucta & pugilatu compoſitum, 647
dictum quoque παμμάχιον ibid.
Pandion, Athenarum rex, cur præceperit, ut die ſecundo in feſto Bacchi quilibet e ſuo vaſe biberet? 592
Pantheon Athenis CXX. columnis marmoreis ſuffultum 55
exſtructum ab Hadriano imperatore, & hodienum ſupereſt ib.
Παρασίτιον ædes, in qua frumentum ſacrum recondebatur 280
Paraſitus frumenti ſacri collector 278
nomen hoc olim venerabile & ſanctum erat 279
in Delo inſula in annum modo conſtituebatur 282
Παραςῆσαι θύματα quid denotet? 365
Parnaſſus mons una cum fonte Caſtalio Muſis & Apollini ſacer 30
Parthenon templum Minervæ virgini conſecratum 52
a quo exſtructum? ib.
ejus magnitudo ib.
in eo præter alia memorabilia etiam Minervæ ſignum aſſervabatur ib.
eſt hodienum ſuperſtes, & ſeruit Turcis pro fano ibid. not. h.

Participem eſſe menſæ dæmoniorum quid denotet? 387
Paſcere in loco ſacro apud Athenienſes prohibitum 149
Patricii apud Græcos præ ceteris ſacerdotia gerebant 265
Pejerantes a furiis diſcruciari Græci crediderunt 459
Pelani quales panes? 352
eorum uſum in ſacris apud Athenienſes inſtituit Cecrops ib.
Pelasgi cur Athenis ejecti? 50.not.u.
Pelasgia nomen Græciæ antiquiſſimum 13
Πέλειαι & Πελειάδες feminæ ad miniſterium oraculi Dodonæi deſtinatæ 494
Πελέκεις bipennes, quibus tendines cervicis hoſtiæ incidebantur 398
Pelius mons nemoroſus & cedrorum quoque ferax 29
Pella, urbs princeps in Macedonia 17
Peloponneſus quot & quas regiones complectatur? 20
Peplus qua pompa & apparatu in Panathenæis majoribus circumductus? 632
Περιαγνίζειν, περικαθαίρειν, περιμάττειν quid Græcis denotet? 475
Περίβολος. vid. *Septum.*
Periodus quadriennis unde Olympias dicta? 649.not.n.
Περιῤῥαντήριον quid? 170
ab Aſconio labrum vocatur ib.
collocatum erat ad ingreſſum templi eo loco,

co, ubi deſinebat pars templi anterior minus ſancta 171
Periſcylaciſmus luſtrationis genus 478
Perſonæ ſacræ quæ, & earum dignitas 257.258
earum primi fuerunt ſacerdotes 261
Phalli quid? 249.not.a.
Pharſalus Pompeii clade inſignis 19
Phocæenſes, in Cyrnum conceſſuri, qualem ritum in jurando adhibuerint? 452
Phœnices an theologiam ſuam ritusque ſacros in Græciam, ſpeciatim in Bœotiam, intulerint? 102
Phoroneus, Argivorum rex antiquiſſimus, an Ægyptius fuerit? 101
primus in regione Argivorum templa & altaria fabricatus fertur ibid.
Phthia Achillis patria 18
Pindarus; ejus memoriam ſancte coluit Alexander M. 98
Pirene fons celebris, ad quem Bellerophon Pegaſum cepit 87
plenus ſemper aquæ pellucidæ & potabilis 88
Πιθοιγία dies primus in feſto Bacchi 591
cur ita appellatus? ib.
Placenta cornuta quid, & cur bos ſeptimus appellata? 353
quænam e placentis lunæ dictæ? ib.
Plataniſtas, locus in urbe Spartana celebris 84
Platonis deſcriptio dæmonum 123
Πλημοχόη vas fictile, quo ultimo Eleuſiniorum die.

qui hinc idem nomen tulit, libationem myſticam peragebant 622
Pnyx locus, ubi conciones populi habebantur, in quibus electio magiſtratus & belli ducum fiebat 62
Poculum dæmoniorum bibere quid ſignificet? 387
Poeta; ejus officium erat, ut oracula, in proſa edita, in verſus cogeret 509
illorum certamina in theatro edebantur in feſto Bacchi 594
victor jure civitatis donabatur ibid.
Pompeum, ædificium publicum Athenis, deſcriptum 58
Pontifices quinam? 274
varia illorum nomina ibid.
Porcellus luſtrationis cauſſa mactatus 478
Porticus Perſica 83
Porticus regia; in ea tribunal erat ejus, qui magiſtratum gerebat annuum, *regnum* dictum 61
Theſmothetæ hic jusjurandum dabant ibid.
Porticus varia unde dicta? 63
in ea Zeno docuit ſectæ Stoicæ autor ibid.
Portus Munychius unde dictus, & ubi ſitus? 76
Portus Phalereus quot ſtadiis ab urbe abfuerit? 74
Portus Piræeus Themiſtoclis conſilio conſtitutus & muro cinctus 75
muri hujus magnitudo & conditio ibid.
forum habuit geminum, & porticus quinque, quæ uno nomine *porticus longa* dictæ ibid.

Pra-

Praxiteles, inſignis artifex, opera ſpirantia confeciſſe dicitur 297
Preces quid? 410
earum varia nomina ibid.
in duas diſpeſci poſſunt claſſes 411
quædam enim καθαρκτικαὶ, quædam ζωοποιοὶ nuncupatæ ibid.
quam vim & efficaciam habeant? ib.
earum occaſiones & tempora 412
variæ formulæ 417
nemo, niſi lotus, & veſtibus puris indutus, ad preces accedere debebat 419
non perfunctorie, ſed animo ad preces intento precandum erat 420
cur clara voce precantes uti voluerunt Pythagoræi? 421
precantium geſtus ibid.
precaturi ſolenniter ad templa adibant, & quare 425
Primitiæ quid, & cur diis oblatæ? 403
quo tempore offerri ſolebant, & quibus potiſſimum diis? 404, 405
Proceſſiones pontificiorum a Græcis originem ſuam trahunt 10
quo nomine apud Græcos inſignitæ? ib.
Profani & impuri quinam? 171, 172
Prophetæ a vatibus diſtinguendi 317
oraculorum pronunciatores & interpretes erant 318
non ſecus ac vates coronis utebantur ibid.
reſponſa Pythiæ in litteras referebant, & in ordinem redigebant 508

Προ-

Προσάγειν τῷ βωμῷ quid? 365
Proſerpina; cur vacca ſterilis ei immolata? 340
Προσκυνεῖν quid apud Græcos denotet? 422
Προθύματα quid? 368
Proverbium: Trophonii in antro vaticinatus eſt, unde ortum? 529
Prytanes quinam, & quot numero? 59
ſenatui per vices præſidebant 60
Prytaneum unde dictum? 59
exſtructum fuit a Theſeo ibid.
in eo ignis inexſtinctus & leges Solonis ſervabantur ibid.
item victus quotidianus ſumtu publico viris de republica bene meritis præbebatur ibid.
Πταρμὸς Deus ſternutationis 562
Puellæ quando in album tribulium relatæ? 598
Puer ab Athenienſibus ad mortem condemnatus, ob folium aureum e corona Dianæ ſublatum 210
Pueri quinam *Hermæ* dicti? 526
Pugilatus qua ratione inſtitutus? 646
quis in eo victor habitus? ibid.
pugilatores cur pinguedini comparandæ operam dederint? ibid.
Pulſare terram pedibus manibusve ritus erat, quo dii inferi invocabantur 424
Πυρομαντεία f. divinatio per ignem ſacrificiorum Potteri verbis deſcripta 552
Pythagoræi cur clara voce precandum eſſe voluerunt? 421

Pythagoras quo animo deos invocandos eſſe præceperit? 420
Pythia femina oracula reddens 504
unde ἐγγαστρίμυθος dicta? ib.
prima fuit Phemonoë, oracula verſibus hexametris decantare ſolita 505
principio una tantum, poſtea vero ad oracula pronuncianda tres fuere conſtitutæ ibid.
cur lege ſancitum, ne amplius virgo, ſicut initio moris erat, ſed femina quinquagenaria major Pythiæ munere defungeretur? 506
quomodo ad tripodem deducta & præparata fuerit? ibid.
cur laurum manducaverit? 507
quibus ſignis furorem prodiderit 507. 508
voce horribili & indiſtincta eructabat reſponſa Dei ibid.
Demoſtheni φιλιππίζειν dicebatur 517

Q.

Quæſtores, ſive ærarii ſacri curatores quale officium adminiſtraverint? 280
numerus eorum pro magnitudine templorum variabat ibid.

R.

Ῥαβδομαντεία, ars divinandi per virgas verbis Theophylacti deſcripta 557
Religionis Græcorum origo 100
Rex apud Athenienſes dicebatur, qui ſecun-

dum locum in novem Athenienſium archontib. s tenebat 260. 617
apud Ægyptios ſine ſacerdotio imperare non poterat 259
Rhodopis, meretrix celebris, ex parte decima opum ſuarum verua confici curavit ad boves torrendos 407
Ritus jurandi ſingularis 452
Ῥίψις, nomen generale, quamvis projectionem ſive lapidis, ſive jaculi denotans 643
Roma in numis feminæ forma effićta, & Deæ nomine inſignita 111. not l.

S.

Sacella loca diis ſacrata ſine tecto 189
Sacellum Jovis Bulæi & Minervæ Bulææ 60
cur ſenatores in eo vota nuncupaverint? ib.
Sacerdotes erant primi inter perſonas ſacras 261
eorum nomina 262
quotuplici modo conſtituti? ib.
cur interdum ſorte deſignati? 267
eorum requiſita 268
priusquam ad ſacra munia admitterentur, corporis & vitæ integritas examini ſubjiciebatur 271
cur quidam virilia ſibi exſecare coacti? 272
in ſacris Rheæ ſeu Cybeles ſuis virilibus litabant 273
quot annos nati eſſe debebant? ib.

ad.

adminiſtrationis ſuæ rationem ſuperioribus reddere tenebantur 281
an eorum officium fuerit perpetuum? 282
eorum reditus quinam & quanti? 284
utplurimum veſtitu talari & coloris albi utebantur 285
Herculis ſacerdos quo veſtitu uſus? 287
quibus in ſacris feminæ munere ſacerdotali functæ? 288
deligebantur plerumque innuptæ, eæque virgines 290
caſtitatem non ſervantes gravi pœna afficiebantur ib.
quibusdam in locis ad nubilem usque ætatem ſacrum munus tantum adminiſtrabant 291
viduæ quoque & feminæ univiræ ad ſacerdotium admiſſæ, & qua lege? 292
quædam inſignia iſtius Numinis, cui miniſtrabant, geſtare in more habuerunt 293
Sacerdotium olim cum regno fuit conjunctum 260
Veneris Paphiæ in Cypro honoratum valde & opulentum 286
Sacra diis ſuperis tempore matutino, inferis veſpertino vel nocturno ſolebant fieri 400
νηφάλια quænam? 319
Sacrificia quid, & eorum nomina 321 323
ſacrificandi actus quibus formulis denotetur? ib.
eorum origo 324

antiquiſſima ex herbis, frugibus terræ aliis, & fructibus arborum apparabantur 325
Porphyrii hac de re teſtimonium 326
ex animalibus quo tempore & qua ex cauſa introducta? 329.330
quæ genera animalium ſequioribus temporibus fuerint ad ea adhibita? 332
an etiam piſces ſint immolati? 333
bovinum ſacrificium maxime excellens habitum 334
eorum ſpecies erant ſeptem 361
ritus ſacrificandi quomodo peractus? 365
quomodo diis marinis ſacrificatum? 379
ſacrificiorum inſtrumenta atque vaſa 397
tempus ſacrificandi vel ſtatum, vel arbitrarium erat 400
ſacrificia erant vel privata, vel publica 401
ſacrificium, Dianæ offerendum, ex quibus rebus conſtiterit? 198
quale ſtatuæ conſecratæ ab Athenienſibus oblatum? 217.218
Sagittatio tribus præcipue ſolebat fieri modis, vel ſolis amentis, vel arcubus, vel baliſtis. 643
Saltatio quare in ſacrificiis adhibita? 381
Luciani hac de re teſtimonium ib.
Saltus quomodo apud Græcos exercitus? 642
Sancti quinam inter ſacerdotes dicti? 511
Sanctitas ſecundum Euthyphronem in quo conſiſtat? 410
Sanguis victimæ altari affuſus 373
in ſacris inferorum fovea exceptus 371

Σχίζαι ligna fiſſa, ex quibus pyra ſtruebatur ſuper altare ad cremandas partes ſacrificales 397
Scias locus Spartæ, ubi conciones habebantur 83
Scientia hymnorum partim a Muſæo, partim ab Orpheo compoſitorum, apud quam familiam fuerit? 302
Scriptores Græci & Latini qua cautione teſtes in antiquitatibus citandi? 11
Scrobs, caverna diis inferis conſecrata 231
ejus magnitudo ibid.
Securis cur in feſto Buphoniorum ſententiis judicum condemnata, & mari demerſa? 601
Σηκὸς quid denotet? 174
Senatus magnus apud Athenienſes e viris quingentis conſtabat 60
Septum, quo agrorum ſacrorum fructus, ut a furibus tuti eſſent, cingebantur, περίβολος dictum 138
Servi qua formula ad labores revocati, peractis Antheſteriorum ſolennibus? 594
Sicyoniorum civitas aſyli privilegio inprimis fuit clara 255
Signum Minervæ. vid. *Minerva*
Silentium inter ſacra ſervandum 396
Silua, Numini ſacratæ, a Græcis ἄλση dictæ 138
Simulacra ſacra quid, & eorum nomina 190
cur fabricata atque conſtituta ſint? ib.
quis primus poſuerit? ibid.

prima ſimulacra trunci, & rudes lapides, oleo peruncti 193
poſtea formam humanam acceperunt, dictaque ſunt βρέτη 195
eorum ſitus fuit varius 198
apud Græcos initio in uſu fuerunt lignea, lapidea & marmorea, poſtea vero etiam ex ære, ferro, & ebore efficta 200. 202
exornata etiam fuere auro, coloribus, veſtibus & coronis 204
cur ablui ſolita? 223. ſeq.
quænam myſtica dicantur? 219
cur reliquis ſanctiora habita? ib.
ſtato anni tempore in tenſis per urbem circumvehebantur, & quare? 226. 227
cur accurate cuſtodita? 228
Σκιομαντεία ſpecies divinationis per mortuos 558
mortui hac arte evocati, qua forma apparere ſint crediti? ibid.
Σκίρα feſtum qua ſolennitate peractum? 265
Solennitates omnium primæ quænam? 585
ſolennitas Θεοξένιων unde originem duxerit? 131
Somnia, ex quibus divinari poteſt, ſunt triplicia 547
exempla eorum ibid.
cauſſa, cur Græci ſomniis, præſertim iis, quæ media nocte exhibentur, multum tribuerint? 549
Sors quomodo in ludis olympicis ducta? 662
663

Mer-

Mercurii quid, & quare omnium prima habita? 556
Σωτῆρα Deum cur appellet Paullus 6
Σωτήρια ſacrificia, quæ ſalutis cauſſa fiebant 362
Sparta a rege Lacedæmone in honorem Spartæ uxoris ſuæ ita dicta 77
poſtea vero etiam Lacedæmon appellata ib.
omni tempore in magna exiſtimatione fuit, unde etiam reſpectu Athenarum alter Græciæ oculus dicta 78
ejus ſitus 79
a Lacedæmone condita creditur ibid.
ejus magnitudo & forma ibid.
cur muris initio deſtituta fuerit? 80
a Nabi tyranno validiſſimis muris cincta, qui poſtea ab Achæis deſtructi, a Romanis vero paullo poſt inſtaurati ſunt 81
quot templa habuerit? ibid.
loca ejus nobiliora 83
Σφαγίδες cultri mactatorii 397
Σπονδεῖα vaſa libatoria, ex quibus vinum in altare effundebatur pro libamine 399
Σπονδή, libamen, quod pro potione diis offerebatur, e vino ut plurimum conſtans 357
Stadia loca erant, ubi curſus peragebantur, & ſpectacula edebantur 66
Stadium cur αὐλὸς appellatum? 638
eſt curriculum CCC. cubitos longum, nec admodum latum ibid.
Panathenaicum Athenis omnium nobiliſſimum fuit 66

 ab

ab Herode Attico, cive Athenienſi locupletiſſimo ad ripam Iliſſi exſtructum 73
figura ejus & magnitudo 74
in eo curſu certabatur, ferarum venatio exhibebatur, ludique publici, Panathenaici dicti, agebantur ib.
rudera ejus hodienum ſuperſunt ib.
Statuæ; earum origo, & quare ſint poſitæ? 191
unde factum, ut illis natura divina fuerit attributa? 192
ſacræ cur certis cærimoniis conſecratæ? 216
in quibus cærimoniæ hæ conſtiterint? 217
ad eas generatim omnes ſeſe recipiebant, qui a diis aliquid impetrare vehementer cuperent 221
interdum ſolemni ritu abluebantur, & quare? 223. 224
Socratis ſtatua apud Athenienes publicum erat pœnitentiæ monumentum 58
Στεφανηφόροι quinam, & unde nomen conſecuti? 276
Στεφανώματα βωμῶν herbæ & flores, quibus aræ exornabantur 235
Sternutatio; numen ei ſingulare præeſſe credebant gentiles 562
conſuetudo bene precandi ſternutantibus unde nata? ib.
Στιχομαντεία ſive ars divinandi per verſus quomodo ſuſcepta? 557
Strymon fluvius Macedoniam & Thraciam diſterminans 26

Styrax ſuffimentum in ſacrificiis adhibitum 356
oblongus qualis? ibid.
Suffitus qualis in ſacrificiis adhibitus? 353
Sulphur; quomodo Græci eo uſi ſint in luſtrationibus? 476
Sus ex omnibus animalibus prima immolata & quare? 231
Syracuſæ muro cinctæ fuerunt CLXXX ſtadia longo 46
a Cicerone dicuntur Græcarum urbium maxima & pulcherrima ibid. not. d.

T.

Tædiferi qui? 295
an conjugio iis fuerit interdictum? ib.
eorum habitus ib.
Tænarum, nobile Laconicæ promontorium, fauces habere creditum per quas ad inferos deſcenderetur 31
Taraxippi ara; cur ad eam aurigæ, antequam certamen ingrederentur, vota nuncuparint? 659
Τέμενος vox quo ſenſu ſumenda? 135
Tempe vallis amœniſſima 32
Templa quid? eorum nomina 154. 155
ab Ægyptiis primum exſtructa, quos deinde Græci imitati ſunt ib.
ea a diis ipſis incoli vulgo creditum ib.
cauſſæ, cur exſtructa? 156
quibus in locis condita? 158
cur Athenienſium templa præcipua rupi admodum celſæ impoſita fuerint? 159

eorum diſpoſitio 160
cur ingreſſum habuerint Orientem verſus? 162
eorum magnificentia & ornatus 163
ad dignitatem eorum faſtigium quoque ſpectabat acutum triangulare, Græcis ἀετὸς dictum 165
ratione columnarum diverſæ fuerunt ſtructuræ 166
eorum forma 167
quæ rotunda forma prædita fuerint? 168
cingebantur porticibus, variis picturis plerumque exornatis 169
portas habebant quadratas & auro interdum obductas ib.
cur pleraque feneſtris caruerint? ib.
partes eorum generales duæ, ſacra & profana 170
partes eorum ſpeciales 173
cur ſubtus aliqua fornicata fuerint? 178
conſtabant una contignatione 179
pleraque uni tantum Numini dicata erant 180
alia tamen pluribus etiam ſacrata 181
quædam etiam in honorem Heroum condita 187
exempla nonnulla ejuſmodi templorum ib.
quænam hypæthra dicta? 188
quædam privilegio aſyli gaudebant 251.252
Templum Delphicum unde opulentiſſimum & magnificentiſſimum evaſerit? 244
Templum Dianæ erat ſubtus fornicatum 178

cur

cur Ἀρτεμίσιον dictum? 180. 81
fuit inprimis privilegio aſyli notabile 252
Templum Jovis Olympii deſcriptum 55
Templum Theſei ubi ſitum? 56
ſimile fere per omnia Parthenoni, niſi quod minus eſſet ibid.
præbuit aſylum ſervis, aliisque humilioris conditionis hominibus 57
Templum Veneris armatæ duas habuit contignationes 180
Templum ventorum, ab Andronico Cyrrheſte Athenis conſtitutum, octogonon erat 168
Thales Mileſius cycli, quo lunæ motus motibus ſolis conciliantur, inventor 577
Θαλλοφόροι quinam dicti? 633
Θαργήλια certum primitiarum genus 405
eodem etiam nomine feſtum, quod primitiarum cauſſa celebrabatur, inſignitum 404
Thaulonidæ qui? 265
ex his victimarii deſumebantur ibid.
Thebæ; unde hoc nomen derivetur? 91
quis urbem hanc condiderit? 93
ejus ſitus, magnitudo, & natura ſoli 94
ætate Dicæarchi jam ter everſa fuit funditus ob incolarum ſuperbiam ibid.
ejus mœnia & turres 94
quot portas habuerit? 96
loca ejus memorabilia 97
ab Alexandro M. funditus deleta 98
Theſmophoria, feſtum Cereri ſacrum, a quo inſtitutum fuerit, & quare? 623

a qui-

a quibus civitatibus fuerit celebratum? ibid.
quamdiu duraverit? ib.
ſolennia ejus adminiſtrabantur tantum a feminis ib.
quomodo hæ electæ, & ad ſacra iſta rite ſubeunda præparatæ? 625
præerat his ſacerdos ϛεφανηφόρος dictus ib.
quibus cærimoniis ſacra hæc peracta? ibid.
Theſſalia in quot regiones fuerit diſtributa? 18
terra fertiliſſima 23
Θεωρὶς menſa ſacra 240
Tholus quale ædificium Athenis? 67
erant in eo ſtatuæ Heroum ἐπωνύμων poſitæ, ad quas leges novæ, priusquam ferri poſſent, examinandæ proponebantur ib.
Θρονισμὸς vel Θρόνωσις qualis ritus? 307
Θύειν & θυσίαι quid? 354
Thus, in ſacrificiis adhibitum, quomodo in ignem conjectum? 354
quale ad ſuffitum ſacrum delectum? 355
thus maſculum quid denotet? 356
Θυσίαι κοιναὶ quænam? 401
Θῦται quinam, & quid officii geſſerint? 300
Τιμητικαὶ ſacrificia, quæ in venerationis teſtificationem diis offerebantur 361
Tinnitus in aure dextra quale omen? 562
Triballorum moribus vivere quid denotet? 386
Tripus inter dona, quæ Apollini offerebantur, erat præcipuum 245
cur a Pauſania Apollini aureus oblatus? ib.
machina erat tribus inſtructa pedibus 502
ejus altitudo 503

vas

vas ei imponebatur æneum, ac foramine inferne inſtructum, per quod ſpiritus fatidicus e ſpecu intraret, & ad vatem vaſi inſidentem penetraret 503
ornatus erat laureis coronis 508
Τριττὺς, ſacrificium e tribus conſtans victimis 346
Trophonius vates; ejus fata, & poſt mortem honores divini 519 520

V.

Vanni, in feſto Bacchi in capite portati, quomodo exornati fuerint? 613
Vates quinam? 310
eorum varia nomina ib.
quomodo lauro uſi ſint ad promovendam vaticinandi facultatem? 313
Vaticinandi facultas quibus adminiculis comparari & augeri fuerit credita 313.314.315.
corde & jecore certorum animalium eam comparari veteres exiſtimarunt 316
Porphyrii hac de re teſtimonium ib.
Veneratio; quo ſigno illam veteres prodere ſoliti ſint? 421
Venus; ejus ſimulacrum jacentis poſitum referebat 199
cur roſa & myrtus ei ſacra? 213.not.k
cum Vulcano concumbens cur aqua ſe abluerit? 470
Verba mali quid ſignificantia a veteribus ſtudioſe vitata & quare? 565
eorum loco vocabula rem emollientia, vel contrarium etiam ſignificantia adhibita 566

exempla vocum malignitatem rei emollientium ibid. 567
inprimis inter ſacra a verbis mali quid ſignificantibus abſtinendum erat 568
Veſpera apud Græcos dividebatur in maturam & ſeram 581
Veſtes cur diis oblatæ? 245
hujus rei exempla aliqua ibid.
Veſtitus offerentium in ſacris deorum ſuperiorum albus, in ſacris vero inferiorum ater erat 393
Victimæ; quæ cuivis Numini propriæ? 338
eas integras & perfectas eſſe oportebat, & quare 343
earum integritatem quomodo ſacrificantes exploraverint? 345
victimarum humanarum exempla 348. 349
quomodo jugulatæ ſint? 369
quæ partes præcipue immolatæ? 376. 377
cur illa, quæ in feſto Apaturiorum offerebatur, μεῖον appellata? 593
Viduæ apud Athenienſes & Delphos curam & cuſtodiam habebant ignis ſacri perpetui 292
Vinum ſimul cum aqua mera & mulſa in ſacrificiis mortuorum adhibitum 360
Virgines in ſacris Dianæ miniſtrantes cur urſæ dictæ? 602
Vlulatus olim denotavit fauſtam acclamationem, in ſacris maxime Minervæ uſitatam 448
Vmbilicus totius terrarum orbis. vid. *Delphorum urbs.*
Vota quid? 441
a quibus potiſſimum concepta fuerint? 442
eorum ſumma fuit religio 443
Vrbes quænam Νεωκόροι dictæ? 299
Vulcanus & Minerva Athenis unum habebant templum 182

Y. Ὑδρο-

Y.

Ὑδρομαντεία, ſive divinatio per aquas cur πηγομαντεία etiam dicta? 559
ad quæ in ea potiſſimum attenderint divinationem exercentes? ib.
Ὑγίεια, ſanitas quid in ſacrificiis denotet? 393
Ὑμνῳδοὶ, ὑμνήτριαι & ὑμνητρίδες quinam dicti, & quænam? 901
Ὑπηρέται Θεȣ̃, *miniſtri Dei*; appellatio ſacerdotum generalis 262
Ὑποφῆται adjutores erant prophetarum 319
interdum vox a ſcriptoribus tam late ſumitur, ut prophetas etiam complectatur ib.

Z.

Ζακόροι, *æditui*, qui templo purgando ornandoque præfecti erant 297

Errata typographica,

quorum pars major inde a pag. 81. ad pag. usque 128, ob auctorem tunc, cum plagulæ iſtæ exſcriberentur, abſentem, irrepſit.

Pag. 32. l. 9. pro (2) repone (3) p. 67. l. 3. lege Αἴχας. p. 74. l. 1. lapideo. p. 75. l. 7. conſtitutus. p. 77. l. 4. non conducibile. p. 81. l. 14. memoratu. p. 84. l. 6. pro *partes* pontes. p. 85. l. 8. διαπαντός. l. 9. ἠνιπέρησεν. p. 86. l. 10. pro *Manathænis* Marathonis. p. 87. l. 1. Hunc. l. penult. pro 583, 581. l. ult. ἀφνειός. p. 89. l. 15. pro (7) (3) l. 24. pro *partem* portam. p. 91. l. 10. ὀφρυῆ. l. penult. *Callim.* p. 92. l. 3. Metopes. l. antepenult. Θίβη. p. 93. l. 5. quum. l. 18. quam. p. 94. l. 23. pro *ob* dein. p. 95. l. 9. περί. l. 13. pro φατὸς, φάλαγγας τȣ̀ς. p. 96. l. 8. *portis*. l. 16. inſere poſt *ſeptem*, tum ex modo allegato Homeri loco. p. 97. l. 26. poſt *antiqua*, tabula. p. 98. l. 22. πράττοντες. p. 101. l. 22. *Ægyptius*. l. 24. poſt *Phoroneus* pone commatis ſignum, item l. 29. poſt

cre-

credo. p. 104. l. 12. *Memphin*. l. 16. *Libyaque*. p. 106. l. 7. ἀνθρώπων. l. 8. ἡγεῖσθαι. l. 10. poſt ἀεὶ inſere ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ. l. 12. ἐπονομάσαι ὕστερον. p. 112. l. 9. illæ. l. 11. civitatum. p. 114. l. 11. & *quod* noct. p. 116. l. 13. ἐπιχθονίοις. p. 118. l. 12. Ἄρης. l. 13. Ἄρτεμις. p. 120. in marg. *regionum*. p. 121. l. 1. ἐγχώριοι, ἐγγενεῖς. p. 122. l. 20. pro ἐς, ἐς. p. 123. l. 8. Δαιμόνων. l. 9. ἀνθρώπων. l. 20. ſq. dele verba: Digna eſt ſubminiſtrata a Platone Dæmonum deſcriptio, quæ huc apponatur. l. 24. ἔχον. p. 124. l. 2. ἐφεξῆς. l. 5, 6. γένους. l. 8. λέγωμεν. p. 125. ἀμαθεῖς. p. 126. l. 12. pro ὅν, ὄν. l. 14. ξυνδεδέσθαι. l. 18. ἀνθρώπῳ, διὰ. l. 20. ἐγρηγορόσι. p. 127. l. 19. εἰσι. l. 21. Εϑλοί. l. 24. φοιτῶντες. p. 128. l. 22. dele voculam *nec*. l. 25. Ἡμιθέας. p. 143. l. 7. *pyxide*. p. 152. in marg. *Templa*. p. 180. l. penult. dele punctum poſt *fuit*. p. 182. l. 12. ferebatur. p. 188. l. 19. ἀρίστων. p. 192. l. 26. pro ſimulacra *ſtatuas*. p. 216. l. 13. *deliteſcere*. p. 236. l. 14. dele comma poſt *quodam*. p. 239. ad not. s) hæc poni debebant: In *Pluto*, v. 677. quæ vero ad notam illam ibi leguntur, ad paginam referri ſequ. p. 283. l. 9. *totius*. p. 313. l. 24. dele comma poſt *lauri*. p. 356. l. 15. putant. p. 427. l. 14. profanatorum p. 486. §. V. pone in margine: *Oracula conſulturos quid offerre oportuerit*. p. 490. l. 20. dele diſtinct. ſignum. p. 518, 519. in numeris pagin. erratum eſt. p. 536. l. 11. *non eſt*. p. 563. l. 16. cornubus. p. 576. in inſcript. P. IV. p. 650. l. 17. σύγχρονος. p. 588. l. 23. *Græcia*. p. 642. l. 23. quatuor.

Si quid forte præterea peccatum fuerit, vel in litterula quapiam pro affini poſita, vel in ſpiritibus aut accentibus vocum Græcarum, vel in diſtinctionum ſignis minus recte collocatis cet. id Lector humanus ipſe facile emendabit.

(o)

AOA 1475695

Digitized by Google